BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO EBORENSE
43
9 C
9

Vincentij Cavazzi

Bonum [redacted] Auctoris

1752



PINX SC.

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEJUS
EGII ORDINIS CH·EQUES TORQUATUS
ARCHIDIAC· EBORENSIS

ALOYSII ANTONII VERNEII
EQUITIS TORQUATI
ARCHIDIACONI EBORENSIS

APPARATUS


AD

PHILOSOPHIAM ET THEOLOGIAM

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

LIBRI SEX.



ROMAE CIƆIƆCCLI.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
APUD NICOLAUM, ET MARCUM PALEARINOS.
SUPERIORUM FACULTATE.

JOSEPHO I.
LUSITANORUM REGI
PIO AUGUSTO FIDELISSIMO

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS
FELICITATEM.

SEPTEMDECIM, & eo amplius, ſunt anni, JOSEPHE I. rex invictiſſime, cum a non nullis condiſcipulorum rogatus, ut conſignarem litteris ea, quæ ego ad ſtudia Philoſophiæ, & Theologiæ neceſſaria eſſe prædicabam; & quorum non quidem facultatem, ſed

intel-

intelligentiam, legendis doctorum hominum libris, videbar conſecutus; quædam lucubravi, potius ad uſus meos, quam ut illis morem gererem, qui id a me requirebant. Intelligebam enim fieri non poſſe, ut pueri aliis doctrinis occupati, atque ab omni judicandi præſidio inparati, aut mea pervolverent patienter, aut ſi ea per otium legerent, in re & nova, & nova ratione diſputata quidquam proficerent. Cui enim, quæſo, perſuaſerim & puero, & æquali, & eodem loco nato, ac eadem diſciplina inſtituto, me præter ceteros verum, libris legendis, inveniſſe? eſſe me iis oculatiorem? &, quod plus eſt, unius diſcipuli ſententiam tot hominum, qui auctoritate valebant, ſententiæ anteponi debere? Itaque & mihi ſcripſi quæcumque ſcripſi: & adſiduo excerpendi uſu ex libris, quos legeram, incredibili ſtudio exarſi tum Veterum, tum Recentiorum ſententias cognoſcendi, ſingulaſque excutiendi: quo facilius intelligerem, pro qua parte veritas ſtaret, & veris ac firmis opinionibus mentem imbuerem.

Poſtea vero quam patria egreſſus ſum, atque in hac litteraria peregrinatione explendi deſiderium fuit poteſtas; tum demum in ea ſpe confirmatus ſum, fore aliquando ut ea perficerem & perpolirem, quæ quondam meditatus fueram: & in litterario pulvere rudia, & non-

dum

dum perfecta longum tempus delituerant. Stimulabant me etiam amici quidam, viri graviſſimi, & gentis noſtræ maximi fautores, ut ea in lucem proferrem, quæ noſtris tironibus excitandis, juvandiſque idonea judicabam. Et talibus undique aures meæ vocibus circumſonabant: Bene mereri de gente ſua, etiamſi utilitas præterea conſequatur nulla, præclarum facinus eſſe: ex quo uberrimam utilitatem percipiunt homines, nimirum poſteritatis memoriam: quod ipſum æqui æſtimatores rerum præſtantiſſimum fructum eſſe, in omni ætate exiſtimarunt. Addebant, facturum me non pœnitendum operæ pretium, ſi ea in Luſitaniam inportarem, quæ juventutem expolirent, & homines noſtros excitarent, eoque tamdem adducerent, ut politioribus nationibus, a quibus noſtrorum ingenia per ſummam injuriam exagitantur, palmam dubiam facerent eruditionis, & judicii.

Profecto talia doctiſſimorum hominum judicia vehementer movebant me: tum illud multo magis cum mecum identidem reputabam, in hac luce litterarum, atque in tanta doctiſſimorum hominum multitudine, quibus Gallia, Italia, ceteræque nationes florent: &, quod caput eſt, Parente tuo imperante, maximo illo bonarum artium, & litterarum fautore ac patrono; ſolam Luſitaniam, bonorum inge-

ingeniorum ſecundiſſimam parentem, abjectis & obſoletis ſtudiis eſſe addictam. Sic enim in animo cogitabam. Hem? Luſitania noſtra, quæ tantum Joanni V. debet, quantum nemini maiorum ſuorum, non hoc illi etiam debebit, ut dignam ſe prorſus faciat, quæ cum populis cultiſſimis certet de gloria litterarum? Artes omnes inliberales, tum & illæ ingenuo homine & liberaliter educato dignæ; item Hiſtoria cum Sacra, tum Profana bono in lumine collocata eſt Joanne V. imperante; Philoſophia vero, & Theologia omni cultu recentiori neglecto, in ſitu & ſqualore derelictæ jacebunt? Quid? irrideamur ab exteris nationibus, quod dum eæ incredibili labore ac diligentia bonas litteras perſequuntur; dum nulli ſumtui, nullis vigiliis parcunt, quo facilius graviſſimas ac utiliſſimas diſciplinas augeant, & amplificent; nos eas miſſas faciamus; & homines, quos ingenio vel ſuperamus vel æquamus, arte, doctrina, judicio ſuperiores nobis eſſe patiamur? Quid plura? conſtitui iter, quod cœperam, inſiſtere. Cumque ea, quæ ſcripſeram, volutarem, ſub manibus crevit opus: & qui mihi perſuaſeram, me brevem aliquam lucubrationem editurum, alia & alia volumina ſcribere coactus ſum. Neque vero diſciplinas fuſe ac diligenter diſputavi: quod ipſum nec adoleſcentes noſtri facile intelligerent,

nec

nec ferre poſſent : ſed digitum ad fontes intendi , viaſque monſtravi , per quas ad laudem aliquam litterarum nullo negotio pervenirent , ac de rebus omnium graviſſimis acute , & ſapienter judicare poſſent .

Ac ſane numquam tale opus aggrederer , niſi exploratum haberem , me talem Regem eſſe nactum , qui ea , quæ lucubrarem , expeteret : qui de iis pro merito judicare poſſet : quique litterarum gloriam per univerſam Luſitaniam cuperet propagare . Quamquam vero commovebant me preces amicorum , atque illa quantulacumque utilitas , quam ex meo labore intelligebam noſtrates homines capere poſſe ; tamen hæc numquam adigerent me , ut ea in lucem emitterem , quæ quotidiana legendi , & diſputandi exercitatione didiceram . Conſcius ſiquidem mihi eram fieri non poſſe , ut ego , privatus homo , nullaque publica auctoritate munitus , tot viros & graves & doctos , qui munus ipſum docendi profiteantur , alio converterem : id eſt , ad plane diverſum litterarum genus traducerem : & perſuaderem iis , ut acutiſſima noſtratium ingenia imbuerent ſolidiori doctrina , & compendiario facerent doctiores . Illud ſane me movit , & pæne impulit ad ſcribendum , tanti Regis gloria . Nam plane cognoſcebam , quanto opere exteræ gentes illius laudes extollerent , ſi viderent ipſæ ,

 illud

illud litterarum genus, quod eæ in hominibus noſtris requirebant, eo imperante, & favente, ab Luſitanis hominibus diligenter pertractari. Veniebat illud mihi in mentem, & frequenter occurrebat, quantum ſibi gloriæ magni duces Etruriæ, quantum Carolus II. Angliæ rex, quantum Ludovicus XIIII. Galliarum, quantum Leopoldus Cæſar, Fridericus Boruſſiæ rex, & Catharina Moſchorum imperatrix, quantum denique alii Reges, aliæque Reſpublicæ apud poſteras gentes conciverunt, quod bona ſtudia ſuſcitarint: & cum favore, tum munificentia viam muniverint, qua & humaniores litteræ, & graviores, ſed præſertim Philoſophia, ac Mathematica, ad ſummum faſtigium perduci poſſint. Et quamquam non is ego eram, qui tantæ hominum exſpectationi poſſem reſpondere; quippe qui mediocritatis meæ conſcius aptior mihi ipſe videbar, qui quædam privato ſtudio notarem, quam qui tradendis iis poſſem ſufficere; reputabam tamen hominis Luſitani eſse, quidquid judicii, & eruditionis haberet, in commune conferre: & conatus omnes ingenii effundere, ut Regis optimi, de Luſitanis, de me præclare meriti, gloriæ inſerviret.

Itaque feci, multaque conſcripſi, quæ, ſi vita ſuppetet, edemus. Unum in præſentia libellum divulgamus, qui viam ſternat adole-

ſcentibus noſtris ad recte progrediendum in iis ſtudiis, quibus boni Philoſophi, ac Theologi evadant. Quod & in omni diſciplina utile, & in his præter cetera eſse neceſsarium viri litteratiſſimi, ac graviſſimi arbitrantur.

Atque hos ego libros, quos Parente tuo favente conſcripſeram, ſub tanti Regis nomine apparere decreveram: ut exſtaret grati animi erga illum mei perpetuum monumentum. Sed quoniam ille in medio pæne vitæ curſu ceſſit e vita, nobis non minus relinquens moriendo doloris, quam adferebat vivendo lætitiæ; illius deſiderium hac una cogitatione lenimus, quod in te tanti viri imaginem intuentes, non Joannem V. mortuum, ſed in JOSEPHO filio redivivum nobis adeſſe gratulamur. Adeo ut mutato nomine eidem Regi lucubratiunculas noſtras offerre videamur.

Tuum ergo eſt horumce librorum ſuſcipere patrocinium: & ab ſemidoctorum hominum nòn dicam lingua,& judicio [dicat per me quiſque, quod ſentit, ſunt enim judicia libera] ſed malivolentia & livore defendere. Atque efficere, ut intelligant, ſi qui hæc reprehenderint, ea, quæ his libris continentur, & tamquam maxime neceſſaria adoleſcentibus noſtris proponuntur, apud cultiores gentes magna cum rei litterariæ utilitate, magnaque cum omnium bonorum adſenſione diſputari. Quod ſi facies,

confi-

confido fore ut homines noſtri gloria incitati multa & meliora cogitent & ſcribant: ac tamdem exteris ipſis, a quibus doctrinarum fontes, & docendi viam accepimus, earumdem diſciplinarum, atque omnium bonorum ſtudiorum laudem eripiant.

Plurimis profecto nominibus homines noſtri tibi adſtricti ſunt, nihil ut tantis beneficiis addi poſſe videatur. Addes tamen, & haud parum, ſi videbunt noſtrates, partes omnes a te non modo optimi Regis, ſed etiam patrisfamilias diligentiſſimi eſſe ſuſceptas. Ut qui per te ab hoſtium impetu ſalvi ſunt, & ſumma cum pace fortunis ſuis fruuntur; te etiam favente, in omni varietate litterarum fiant eruditiores. Apud me vero gratia manebit inmortalis, quem præter ceteros officiis maximis adfeciſti: cui animos feceris, ad ea libentius perficienda, quæ reliqua ſunt a me inchoata; vel ſi abſoluta, adhuc limam deſiderant. Vale, Regum optime, ad Luſitanorum bonum nate, ac me, ut inſtituiſti, complecti perge. Romæ I. a. d. IIIII. Kal. Octobr. A. C. N. cIↄIↄccL.

ALOY-

ALOYSIUS ANTONIUS VERNEIUS

Luſitanis Adoleſcentibus, qui gravioribus diſciplinis ſunt inſtituendi S. P.

SOLENT ii, *Adoleſcentes humaniſſimi, qui librum aliquem in lucem emiſſuri ſunt, in limine & quaſi veſtibulo operis præfari, & ſancte teſtari, id ſe potiſſimum facere compulſos precibus amicorum. Quod proœmium irridetur plerumque a ſemidoctis hominibus, qui ſibi perſuadent, id non vere, ſed ad oſtentationem dici: quo facilius probent lectoribus, ſe tale ſcriptum lucubraſſe, quod non modo utile ſit, ſed votis omnibus omnium expetatur, ac prope convicio flagitetur. Ego vero cenſeo, nihil umquam verius, nihil magis ex animo ab ullo ſcriptore eſſe dictum. Nam ut mittam cetera, quæ cum omnibus librorum conditoribus communia ſunt, quis ignorat, quanta ſit hominum in judicando diſſenſio? quam ineptis ſententiis occupentur eorum plurimi, qui litteris dant operam? quot falſa, inaudita, inveriſimilia homines amplexentur plerumque: quamque tenaciter eiſdem ſententiis adhæreant, ut non dicam eas inprobare, ſed ne audire quidem repudiari debere velint? Quod ſi vel mente reputamus, quot in libris, qui*

vel inconcinnas, vel non niſi cum venia memorandas lucubrationes continent, exquiſitæ laudationes ſe offerant; eæque vel ab amicis, qui omnia benigno oculo intuentur; vel ab illis, qui judicandi ſcientia carent; vel ab iis denique, qui imperant ſibi omnia adſentari, conſcriptæ; mirari deſinemus, id omnibus ſcriptoribus obtingere, ut ſcriptorum ſuorum laudatores inveniant oppido multos.

Profecto id mihi, quod ceteris, uſu venit, ut cum nihil minus, quam de lucubrando iſto opuſculo, cogitarem, viri quidam graviſſimi, Luſitani præſertim, enixe me rogaverint, & quaſi coegerint, ut id ſcriberem, & ederem. Nam cum propoſitum eſſet mihi Philoſophiam, & Theologiam omnem ſolidiori ratione ac via, quam illa eſt a non nullis recepta, in uſum veſtrum emittere; cumque id conſilium cum doctiſſimis viris communicaſſem, iiſque totum ſyſtema meum oſtendiſſem; immo vero non nullis codices, qui jam eſſent limati, dediſſem legendos; auctores fuere mihi, ut, antea quam hujuſcemodi opus ederem, apparatum ſeu præparationem aliquam divulgarem. Id triplici nomine faciendum eſſe arbitrabantur. Primum, ut plane intelligeretis, quid utraque diſciplina ſit, quoque modo occeperit, & fuerit propagata: ne deciperemini a libris iſtis vulgatis, qui abundant erroribus: & opiniones Veteri, & Recentiori hiſtoriæ repugnantes conſtantiſſime propugnant. Deinde, ut vos contra moroſos quoſdam cenſores præmunirem, qui ad Recentioris philoſophiæ vocabulum,

quaſi

quaſi ad cacodæmonis nomen, exhorreſcunt: & magno ſupercilio pro concione dicunt, hujuſmodi Philoſophiam [videlicet iſtam ipſam, quam ipſi fortaſſe non intelligunt, immo vero ne legunt quidem] & ineptam eſſe, & inutilem, & omnino cum Catholicis decretis convenire non poſſe: Theologiam vero non niſi ex Peripateticorum fontibus eſſe derivandam: nec ad defendendam Catholicam doctrinam aliud magis ingenioſum, magis efficax, magis accommodatum poſſe reperiri. Poſtremo ut ſyſtema utriuſque diſciplinæ uno conſpectu perciperetis: & quo pacto de auctoribus, de libris, de ſyſtematibus judicare oporteat, penitus cognoſceretis.

Horum itaque motus auctoritate feci: & Apparatum brevi tempore fere totum conſcripſi, eo conſilio, ut, ſi quo modo poſſem, tironum ſtudiis opitularer. Neque tamen aliquid eorum, quæ in libris Philoſophicis, & Theologicis ſcripſeram, delevi, aut mutavi. Primum, ne rerum ordinem inverterem, & ſyſtema proponerem depravatum. Deinde, ut ſi eſſent aliqui, qui libros noſtros, non cognito hoc Apparatu, legerent, eam eruditionem ne deſiderarent, quæ ad diſciplinas penitus intelligendas neceſſaria eſſe videtur. Itaque plurima hiſce libris in unum coegi, quæ in aliis ſparſim tradideram: quædam adjunxi, quæ illis in locis minus videbantur neceſſaria, &, rerum ordine non mutato, ab illis codicibus tolli, & in hunc commode referri poterant.

Ne ergo hic ſperet aliquis a me vel rem novam, vel

vel plurima & interiori eruditione politam. Non enim ſcholas rerum novitate turbare, ſed pacare ego volo: nec nova audacter obtrudere, ſed vetera, & quæ in cultiſſimarum gentium gymnaſiis longo jam uſu inveterarunt, & ab viris cum doctrina, tum pietate præſtantibus excoluntur, proponere conſilium eſt. Quædam tamen interdum recentia addere antiquis non inutile duximus: idque fecimus citatis auctoribus, qui rem aliquam primi excogitarunt: ne ſine ullo teſte, ſine auctoritate ſcribere videremur. Interdum vero non nulla minus neceſſaria omiſimus: alia juſtis de cauſſis mutilavimus. Quod non tironum, ſed doctorum hominum cauſſa, qui aliqua fortaſſe in libello noſtro deſiderabunt, monitum volumus. Quod ſi Hæreticos in rebus Hiſtoricis, aut Philoſophicis aliquando nominamus, cavete, Adoleſcentes, exiſtimetis, eos vobis legendos, aut addiſcendos proponi. Sufficit vobis in præſentia verum tenere & amplecti, quin aliquid amplius quæratis. Ii vero qui doctrina, ac ætate progreſſi ſunt, oportet cognoſcant fontes, ex quibus hauſimus, quo facilius ſua inluſtrare, & omni eruditionis ſupellectile ornare queant: modo per Eccleſiam id poſſint, cujus decreta præ oculis habere debemus, & cujus cenſuræ noſtra omnia ſcripta & dicta volumus eſſe ſubjecta.

Puerorum autem commodo ſcribentes, res ad puerorum intellectum accommodatas, idque & breviter, & ſermone quotidiano docere debemus, ne otio inprudenter abutamur & litteris. Quod ſi non id adſe-

quor,

quor, ut puerorum inſtitutioni opituler; ſaltim id apud viros ſapientes, & bene de republica ſentientes adſequar, ut intelligant ipſi, nihil magis laborare me, quam ut civibus meis ſtudium meum, & debitam probem caritatem. Quod ut ab omnibus, qui litteris vacant, pro virili parte præſtetur potius, quam ut in reprehendendis aliorum & ſcriptis, & conatibus tempus conſumant, optandum eſt. Vos, Adoleſcentes humaniſſimi, labores noſtros bono animo accipite. Interea fruimini iſtis, & valete.

Hortor omnes, qui facere id poſſunt, ut hujus quoque generis laudem perferant in hanc urbem: ſicut reliquas quidem omnes, quæ quidem erant expetendæ, ſtudio atque induſtria ſua maiores noſtri tranſtulerunt.... Eos, ſi poſſumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam diſſerendi elegantia, ratione & via philoſophantur. *Cicero* Tuſculan. Diſputat. L.II. n.2.

Quod enim munus reipublicæ adferre maius, meliuſve poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus juventutem? his præſertim moribus, atque temporibus. *Cicero* de Divinatione L. II. n.2.

IN-

INDEX

Eorum quæ in hoc Apparatu continentur.

PARS PRIMA

In qua de Philoſophia diſputatur.

LIBER PRIMUS

De Hiſtoria Philoſophiæ.

CAP. I. *De Philoſophia generatim.* pagina 1.

CAP. II. *De Philoſophia antiquiſſimorum hominum uſque ad Moyſen.* p. 5.

CAP. III. *De Philoſophia veterum Hebræorum.* p. 8.

CAP. IIII. *De philoſophia Barbara ſeu Traditionaria præſertim Orientali.* p. 13.

CAP. V. *De philoſophia Græcorum Fabulari, & Politica,* p. 31.

CAP. VI. *De Græca philoſophia uſque ad Chriſtum, præſertim de ſecta Jonica.* p. 33.

CAP. VII. *De altero Græcæ philoſophiæ fonte, ſecta Italica uſque ad Chriſtum.* p. 71.

CAP. VIII. *De progreſſu Græcæ philoſophiæ apud alias gentes uſque ad Auguſti ævum.* p. 85.

CAP. VIIII. *De Philoſophia ab Auguſti ætate uſque ad lapſum*

lapſum Romani imperii in Occidente vergente ad finem V. ſæculo . p.89.

CAP. X. *De Philoſophia Patrum uſque ad V. Eccleſiæ ſæculum .* p.101.

CAP. XI. *De Philoſophia Chriſtianorum , & Arabum a VI. ſæculo ad uſque ſolidum X.* p.111.

CAP. XII. *De Philoſophia a ſæculo X. uſque ad finem XV. ubi de Scholaſtica .* p.128.

CAP. XIII. *De Philoſophia XVI. ſæculi , ubi de germanis Ariſtotelicis .* p.143.

CAP. XIIII. *De Philoſophia ſæculi XVII. & XVIII. ſeu de emendatione Philoſophiæ .* p.154.

CAP. XV. *De Philoſophia XVIII. ſæculi , ſeu de cultura philoſophiæ Eclecticæ .* p.170.

LIBER SECUNDUS.

In quo de utilitate Philoſophiæ diſputatur .

CAP. I. *Oſtenditur intereſſe Reipublicæ Juventutem inſtitui diligenter .* p.183.

CAP. II. *Rectam Juventutis inſtitutionem ex Philoſophia duci debere demonſtratur .* p.185.

CAP. III. *Docet bonam Philoſophiam non modo in gravioribus diſciplinis , ſed etiam in humanioribus , & omni vitæ parte dominari .* p.187.

CAP. IIII. *Demonſtrat bonam Philoſophiam non repugnare veræ Theologiæ ; immo vero eſſe neceſſariam ad eam addiſcendam .* p.201.

CAP. V. *Oſtenditur bonam Philoſophiam non eſſe eam , quæ argutiis & inanibus quæſtionibus , aut generalibus notionibus continetur .* p.211.

CAP.

Cap. VI. *Planum ſit bonam Philoſophiam eſſe eam, quam Recentiores philoſophi colunt.* 223.
Cap. VII. *Non omnia, quæ Recentiores philoſophi excogitarunt, bonæ Philoſophiæ nomine contineri.* p.228.

LIBER TERTIUS

In quo de celebrioribus Philoſophis fertur judicium.

Cap. I. *De Platone, Ariſtotele, Epicuro.* p.234.
Cap. II. *De inluſtrioribus Eccleſiæ Patribus, qui uſque ad VI. ſæculum floruerunt.* p.254.
Cap. III. *De Arabibus, & Scholaſticis celebrioribus.* p.268.
Cap. IIII. *De inluſtrioribus Philoſophis Recentioribus.* p.283.

PARS ALTERA

In qua de Theologia ſermo eſt.

LIBER PRIMUS

De Hiſtoria Theologiæ.

Cap. I. *De Theologia generatim diſſeritur.* p.305.
Cap. II. *De Theologia Patriarcharum uſque ad Moyſen.* p.307.
Cap. III. *De Theologia Hebræorum a Moyſis ætate uſque ad primi templi Hieroſolymarii everſionem.* p.311.
Cap. IIII. *De Theologia Judæorum ab inſtauratione po-*

 ſterioris

ſterioris templi uſque ad ejuſdem everſionem ſub Veſpaſiano Cæſare. p.319.
Cap. V. *De Theologia Chriſtianorum uſque ad III. ſæculi finem.* p.331.
Cap. VI. *De Theologia Patrum IIII. & V. ſæculi.* 351.
Cap. VII. *De Theologia a V. ſæculo uſque ad ſolidum X.* p.371.
Cap. VIII. *De Theologia a ſæculo X. uſque ad finem XV. ubi de Scholaſtica.* p.381.
Cap. VIIII. *De Theologia XVI. ſæculi, ſeu de theologiæ Dogmaticæ, & Polemicæ inſtauratione.* p.414.
Cap. X. *De Theologia ſæculo XVII. & XVIII.* 427.

LIBER SECUNDUS

In quo de Natura & uſu Theologiæ.

Cap. I. *Docet Theologiæ Revelatæ notitiam eſſe neceſſariam omnibus, iis præſertim, qui vel Fideles docere, vel hoſtes religionis Catholicæ confutare ſibi proponunt.* p.437.
Cap. II. *Una tantum eſt Revelata theologia, ſed pro varia methodo tradendi vel Poſitiva, vel Scholaſtica nominatur.* p.440.
Cap. III. *Oſtenditur germanam Scholaſticam longe diſtare ab argutiis Peripateticorum.* p.446.
Cap. IIII. *Docet germanam Scholaſticam eſſe neceſſariam ad Judæos & Hæreticos refutandos.* p.455.
Cap. V. *Oſtendit acumina & diſputationes Peripateticorum non eſſe accommodatas ad confringendos hoſtes religionis noſtræ.* p.464.

Cap. VI. *Demonſtratur Theologiam, quæ hac ætate plurimis in locis excolitur, bonæ Scholaſticæ characteres præ ſe ferre.* p.480.

LIBER TERTIUS

In quo de Clarioribus auctoribus Theologiæ eſt diſputatio.

Cap. I. *Hujus interrupti atque dilati laboris cauſſæ enarrantur.* p.484.
Cap. II. *De Sacris codicibus Veteris & Novi teſtamenti.* p.487.
Cap. III. *De Celebrioribus Eccleſiæ PP. uſque ad ſæculum X.* p.501.
Cap. IIII. *De Celebrioribus Scholaſticis.* p.515.
Cap. V. *De Celebrioribus Dogmaticis.* p.517.
Cap. VI. *De Celebrioribus Hæreticis.* p.525.

AP-

APPROBATIONES.

IN *Apparatu ad Philoſophiam , & Theologiam ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium* ab Illuſtriſſimo Equite Aloyſio Antonio Verneio accuratiſſime ſcripto , & juſſu Patris Reverendiſſimi Joſephi Auguſtini Orſi Sac. Pal. Apoſtolici Magiſtri a me perlecto , nihil eſt , quod repugnet aut Catholicæ Fidei , aut bonis moribus : ſed concinna tot rerum graviſſimarum diſpoſitio , ut Auctoris ingenium , eruditionem , judicium , ſtudiumque Sanctiſſimæ Religionis in aſpectum profert , ita plurimum valet ad optimum quemque in Fide Catholica , & bonis moribus confirmandum .

Ad Aramcæli VIII. Calend. Maii 1751.

Fr. Joannes De Luca Venetus coram Summo Pontifice examinator Epiſcoporum .

JUſſu Reverendiſſimi Patris Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri legi *Apparatum ad Philoſ. & Theolog. ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium* a viro clariſſimo Equite Aloyſio Antonio Verneio Archidiac. Eborenſ. lucubratum : in eoque nihil inveni , quod Catholicæ doctrinæ , aut bonis moribus conſentaneum non ſit : quin immo Adoleſcentes ipſi non uno tantum loco pie ac ſapienter admonentur , quæ vitare Catholicum oporteat . Præterea totum opus ſummo judicio ac fide conſcriptum , vaſtiſſimaque nec ea vulgari eruditione ornatum eſt . Ut mirer tantarum , tamque difficillimarum rerum copiam tam parvo volumine , ea perſpicuitate , ac elegantia com-

comprehendi potuiſſe. Quare ita cenſeo, ad inſtituendos Adoleſcentes in ſolida Philoſoph. ac Theolog. & a præjudicatis quibuſdam ſententiis, quæ profectum impediunt, liberandos, nihil accommodatius excogitari poſſe: adeoque e re eſſe reip. litterariæ ut in vulgus emittantur.

Dabam ex Cœnobio SS. Bonifacii, & Alexii, Kalend. Maii A. D. MDCCLI.

D. Felix Maria Nerini Abbas, & Procurator Generalis.

I M P R I M A T V R,

Si videbitur Reverendiſs. Pat. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtant. Viceſg.

I M P R I M A T V R,

Fr. Joſeph. Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

ALOY-

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI ARCHIDIACONI EBORENSIS

APPARATUS

AD PHILOSOPHIAM, ET THEOLOGIAM

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

PARS PRIMA

IN QUA

DE PHILOSOPHIA DISPUTATUR

LIBER PRIMUS

DE HISTORIA PHILOSOPHIAE

CAPUT I.

De Philoſophia Generatim.

PHiloſophiæ vocabulum non unum perpetuo habuit intellectum. Veteribus nominata eſt σοφία ſeu *ſapientia*: quo nomine eas artes ſignificarunt, in quibus præcipue valet ingenium, quæque ad hominum utilitatem ſunt accommodatæ. Immo & ſacerdotes & rerum divinarum interpretes apud Gentiles in hunc cenſum relati ſunt: quo-

A rum

rum plerique non ſapientis, ſed deceptoris nomine digni erant. Deinde qui ea, quæ de Deo, rebuſque creatis per argumentationem naturæ ſunt nota, tractarunt, ſapientes ſunt appellati. [1] Qui cum eodem nomine ſignificarent inſtrumentum, quo hæc nota aliis fiebant, ſcilicet eloquentiam, eloquentiæ doctores *ſophiſtæ* ſeu *ſapientes* vocati ſunt. [2] Verum cum hi tempore procedente dicendi exercitationi, verius dicam ineptæ loquacitati tantum vacarent, & ſapientis nomen arroganter ſibi ſumerent, quaſi ſoli ipſi ſapientiæ eſſent ſtudioſi; in maximam invidiam & contemptum ſophiſtæ adducti ſunt.

Pythagoras, qui horum arrogantiam deteſtabatur, cum a Leonte Phliaſiorum principe eſſet interrogatus, qua maxime arte confideret, reſpondit, *artem ſe ſcire nullam, ſed eſſe Philoſophum*, i. e. *ſtudioſum ſapientiæ*. Ab eo tempore *Sapientiæ*, & *Philoſophiæ* nomen promiſcuo uſu ſunt uſurpata: nec modo divinarum, humanarumque rerum cognitio, ſed etiam Juriſprudentia, & Medicina, & Grammatica, & Critica, & Hiſtoria, & Poeſis; hoc amplius, Chriſtianorum doctrina *Philoſophiæ* nomine continebantur, & doctores Eccleſiaſtici, & Aſcetæ *Philoſophi* nomen habuere. [3] Verum hæc late patent, *Philoſophiæ* vero vocabulum ſtricte eſt accipiendum.

Itaque *Philoſophia* eſt, *cognitio veri, & boni recta ratione adquiſita, & ad veram hominis felicitatem comparata*. Quare quidquid recta ratione, i. e. per argumentationem naturæ conſentaneam, veri, & boni cognoſcimus, & ad

---

[1] *Sapientia, ut a Veteribus philoſophis definitum, eſt, rerum divinarum, & humanarum, cauſſarumque, quibus hæc continentur, ſcientia*. Cicero *de Officiis L. II. c. 2.*

[2] *Philoſtratus* Præf. ad Vitas Sophiſt.

[3] *Confer. Jonſius de* Scriptorib. Hiſt. Philoſ. L. III c. 4. p. 226. ſeqq.

& ad uſum vitæ, ac felicitatem hominum vel adquirendam, vel conſervandam [1] revocari poteſt, *Philoſophia* vocatur. Et quamquam cognitio veri, & boni ex duobus fontibus *ratione*, & *revelatione* deducatur, tamen ſingulæ cognoſcendi viæ ſuo nomine donantur. Quæ *ratione* conſtant, vel de Deo, vel de Homine, & rebus creatis, ad Philoſophiam pertinent: quæ declaratione divina manifeſta fiunt, ſpectant ad Theologiam.

Itaque non eſt Philoſophia, cognitio veri, & boni, quam a majoribus accepimus, ut illa erat Barbarorum *Traditionaria*. Item non eſt Philoſophia rerum Phyſicarum cognitio, quam ex Sacris codicibus hauſimus, ceteraque quæ in divinis libris habentur. Præterea Philoſophia non eſt doctrina, quam ex præceptorum inſtitutione arripuimus, ut *Sectarii* philoſophi faciunt. Hæ enim facultates majorum inſtitutis & auctoritate tantum continentur: Philoſophia vero argumentatione naturæ.

Hoc conſtituto, conſtitutæ ſunt partes Philoſophiæ. Altera enim humanam mentem inluſtrat, ut verum cognoſcat: altera adfectus moderatur, ut bonum perſequamur. Quæ mentem inluſtrat, vel eam talibus imbuit præceptis, quibus in unaquaque diſciplina verum intelligat, ea vocatur *Inſtrumentalis*: vel res ipſas perſequitur, ac primum naturam Dei, & proprietates inveſtigat; ceterarumque, quæ Deus hominis cauſſa condidit, explorat vim & uſum: id eſt & rerum naturam explorat, & exponit quo modo corpus noſtrum a malis ſervemus, & quo pacto res creatas

 ad

[1] *Felicitas hominis vel eſt* æterna, *vel* temporalis. *Ad illam Practica philoſophia viam ſternit: tametſi non niſi divinitus tradita doctrina adſequi poſſit. Hanc partim ſanitate corporis, quæ Phyſica & Medicina comparatur; partim tranquillitate hominis externa, quæ ex juriſprudentia Naturali, & Politica proficiſcitur, obtinere poſſumus.*

ad utilitatem noſtram flectere poſſimus; & hæc vocatur *Theoretica*. Quæ adfectus moderatur, viamque ſternit, qua ad ſummum bonum accedamus, & in humana ſocietate honeſte ac tranquille vivamus; dicitur *Practica*.

Inſtrumentalem Veteres philoſophi vocabant λογικὴν *Logicam*: Theoreticam φυσικὴν *Phyſicam*: Practicam vero ἠθικὴν *Ethicam*. [1] Theoretica ſi agit de Deo, nominatur *Theologia Naturalis*: ſi de mente creata, *Pneumatologia*. Verum utraque pars interdum *Pneumatologiæ*, interdum *Metaphyſicæ* nomine ſignificatur. Practica vel generatim, quid *bonum* ſit, docet, & ea vocatur *Ethica*: vel bonum perſequitur, ut *juſtum*, ut *honeſtum*, ut *decorum* eſt, & dicitur *Juriſprudentia Naturalis*: vel quid humanæ ſocietati utile ſit oſtendit, & eſt *Juriſprudentia Civilis*, *& Politica*.

Hucuſque de Philoſophiæ partibus: nunc de Philoſophiæ hiſtoria dicendum eſſe videtur. Et quidem hiſtoria vel docet, quo tempore, & modo doctrinæ inventæ fuerint, & ad nos uſque pervenerint; vel ſingularum ſectarum *ſyſtemata* exponit, i. e. demonſtrat, quibus principiis nitantur, & quæ inde ducantur concluſiones, ex quibus diſciplinæ corpus abſolvitur: prima *Hiſtoria Doctrinarum*: altera *Hiſtoria Syſtematum*, vocari ſolet. Eſt etiam hiſtoria quædam, quæ Philoſophorum vitam, & labores enarrat:

---

[1] *Pythagorei, & Platonici Philoſophiæ duas faciebant partes: alteram, quæ de Deo, alteram, quæ de Homine diſputat. Ariſtoteles diſciplinas in tres claſſes diviſit:* ſpeculatrices, *uti ſunt Phyſica, Mathematica, Theologia*: practicas, *ut Ethica, Politica, Oeconomica*: operatrices, *ut Medicina, Poetica, Grammatica, Statuaria, Pictura. Stoici tres etiam Philoſophiæ notant partes, Moralem, Naturalem, Rationalem. Eodem modo Epicurei. At Cyrenaici ſola Morali contenti ſunt.*

rat: quæ ad eorumdem ſyſtemata inluſtranda per quam accommodata eſſe videtur.

Harum nos neutram pro rei dignitate ſcribemus. Quis enim hæc tam multa, tamque intricata paucis pagellis comprehendi poſſe ſibi perſuadeat? aut quis tironum, quorum gratia hæc in præſentia lucubramus, tam copioſam hiſtoriam ferre poſſet? Itaque ex ſingulis partibus ea excerpemus, quæ ad id, quod conſtituimus, inluſtrandum neceſſaria eſſe videbuntur. Quare Philoſophiæ ortum, & viciſſitudines demonſtrabimus: tum præcipuà ſectarum, quæ nobiles exſtiterunt, dogmata adducemus: eaque ex Philoſophorum vita, cum erit occaſio, dilucidabimus: digitumque ad fontes intendemus, ut inde procedente tempore, abundantiorem eruditionem hauriant tirones.

Caput II.

De Philoſophia antiquiſſimorum hominum uſque ad Moyſen.

ANtiquos primæque ætatis homines Philoſophos non fuiſſe, eo ſenſu quo nos Philoſophum accepimus, ex Sacris litteris haud obſcure colligitur. Et, ut a primo ordiamur, Deus hominem condens ad felicitatem, eum multis præſidiis ornatum fabricatus eſt. Cumque Adamo familiariter uteretur, notitiam ipſius Dei, & hominis, earumque rerum, quæ ad conſequendam veram felicitatem erant neceſſaria, eidem manifeſtavit. Hæc enim non ratiocinatione & meditatione, ſed beneficio divino habuit explorata.

Paullo poſt cum ipſe peccato ſuo in abyſſum ignorantiæ inciderit, & multis miſeriis fuerit obnoxius, non in excogitandis, & poliendis gravioribus diſciplinis, ſed in ærumnis depellendis, peccati ſui pœna, & inſtauranda, qui-

quibus modis poſſet, felicitate occupatum fuiſſe, veriſimillimum eſt. [1] In quo adjutorem habuiſſe Deum, qui plurima illi clementer aperuit, Sacri codices nos docent. [2]

Omnino autem eſt veriſimile. Adamum, etſi propter peccatum ea ſapientia, quam *infuſam* appellant, fuerit ſpoliatus, tamen memorem priſtinæ felicitatis, & in multis eruditum divinitus, filios ſuos docuiſſe Dei cognitionem, eoſque ad honeſtatem & pietatem erudiviſſe. Hæc tamen hominem pium & ſapientem faciunt, Philoſophum non faciunt. Neque enim id ratione comparavit: ſed Deo indicante cognovit, & prædicavit: quod Philoſophi, in acceptione data, non eſt.

Quo itidem in cenſu viri omnes pii, qui ab Adamo progeniti ſunt, poni debent: ut Abel, Sethus, Enochus, Noachus, Semus, ceteri. Cum enim hi longævam vitam vixerint, & diuturnum cum majoribus uſum habuerint, qui omni virtutum varietate florebant; vel nullo monente intelligitur, a majoribus eos & familiæ ſuæ hiſtoriam, & pietatis præcepta omnia hauſiſſe: quin ad hæc cognoſcenda ratiocinatione uterentur. Quædam etiam a Deo ipſo acceperunt, quæ pertinent ad cultum Dei. Neque nos movent Judæorum narrationes, qui apocryphis ſcriptis Adami,

[1] *De Adami philoſophia non nulli multa fabulati ſunt, adfirmantes, eum & omni diſciplinarum varietate inſtructum a Deo conditum fuiſſe; & poſt lapſum meditatione, ac experientia ad inſignem doctrinæ præſtantiam perveniſſe. Hæc primum Judæi, dein veteres Chriſtiani aliqui, immo & Recentiores docti. Nec id ſolum, ſed etiam nominant artes, in quibus præter ceteros excelluit. Verum in tanta rerum vetuſtate, ſilentibus Sacris ſcriptoribus, aliquid certi adfirmari non poſſe, perſpicuum eſt.*

[2] *Confer.* Geneſ. C. III. *præſertim verſu* 21.

mi, Enochi, Chami decepti, incredibilia de veteribus hominibus referunt, idque eodem nomine, quo univerſum diſciplinarum circulum Adamo concedunt. Quod confutare & ipſa rei evidentia, & operis vetat conſilium.

Præterea Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, Joſephus, Jobus [1] ceteri, viri ſapientiſſimi, & prudentiæ ac pietatis laude nobiles, familiares cum Deo ſermones miſcuerunt; a quo plurima, quæ non niſi labore & meditatione in præſentia conſequimur, comperta habuiſſe eos, manifeſtum eſt. Qua de cauſſa divino ſpiritu adflati, & Prophetæ in Sacris codicibus prædicantur. Præterea paſtoritiam vitam antiqui illi homines habebant in deliciis: quæ plerumque magnam ſimplicitatem animi præfert; & in hoc eſt tota, ut augendæ, & moderandæ familiæ vacet, eruditioni & meditationi non vacet. Ex quo perſpicuum fit, ſapientes illos quidem & bonos, non tamen Philoſophos fuiſſe.

Neque vero inficiamur, ſanctiſſimos homines, plurima, quæ ad vitam commode & jucunde tranſigendam, neceſſaria videbantur, caſu, & ratione inveniſſe. Hæc tamen non magis eos Philoſophos faciunt, quam quod artifices noſtri multa vel caſu, vel neceſſitate utilia excogitent, cogunt nos ut dicamus, eos eſſe Philoſophos. Itaque pollebant illi quidem veri, & boni notitia a majoribus

[1] *Quis fuerit auctor libri* Jobi *incertum, ut ait Greg. Magn.* Præfat. in Jobi c. 1. *Huetius* Moyſi, *Harduinus* Salomoni *tribuit. Veriſimilius eſt, multo poſteriorem fuiſſe. Adeoque nullum ex eo ad Jobi philoſophiam ducitur argumentum. Vera tamen eſt hiſtoria, & divina. Liber hic continet aliquam Phyſicæ, & Aſtronomiæ notitiam, Logicæ non item: niſi forte omnes, qui recte ratiocinantur, appellandi ſint Logici. Proponit ſibi auctor oſtendere tantum, qua de cauſſa divina ſapientia interdum bonos exerceat, & quibus præſidiis eos in hac vita omnibus ornet virtutibus.*

tradita: & toti erant in eo, ut eadem filios imbuerent; eoſque docerent tum hiſtoriam mundi, tum beneficia a Deo homini collata, tum pacta inter Deum & hominem, hujus lapſum, illius clementiam, & promiſſionem reparatoris: eamdemque doctrinam ad poſteros puram & intemeratam tranſmitterent: quin eos otioſis diſputatiunculis, quæ nec ad vitæ uſum, nec ad felicitatem, ad quam unice tendebant, erant idonea, inutiliter detinerent. [1]

CAPUT III.

De Philoſophia veterum Hebræorum.

QUæ veteribus Patriarchis prima fuit veri, & boni cognitio a Deo accepta, & ad felicitatem comparata, eadem & Moyſi fuit: qui cum Dei conſuetudine diutius uteretur, ſingularem ſapientiam eo docente accepit, qua rempublicam Judæorum adminiſtraret, & facili negotio ad felicitatem perduceret.

Cum

---

[1] *De Abrahami recondita eruditione diſputant non nulli, & contendunt, ab eo Aegyptios Aſtronomiam, Arithmeticam, ceteraſque Mathematicas diſciplinas edoctos fuiſſe, qui ante illius adventum nihil de iis cognoviſſent. Confugiunt ipſi ad Joſephum, & Philonem Hebræos, qui paulo poſt Chriſtum floruerunt: viros illos quidem doctos, sed altero præjudicata ſuæ gentis excellentia occupato, altero vero Pythagoreorum dogmatum præjudiciis imbuto. Non eſt neceſſe horum rationes ad Lydium lapidem revocare: cum ſatis conſtet, Philonem, & Joſephum Patriarcharum ſapientiam modulo ſuo dimenſos fuiſſe, & ad Græcorum eruditionem retuliſſe. Nec enim homines Judæi ſibi perſuadere poterant, Græcos, & Barbaros ceteros aliquid boni, niſi a Judæis edoctos, excogitare potuiſſe. Quod reſponſione non eget.*

Cum autem Moyſes ingenio ac judicio valeret, & Mathematicis diſciplinis in Aegypto eſſet eruditus, plurimaque virtute ornatus, omnino aptus erat, qui res magnas aggrederetur, & talem apud Judæos perſonam ſuſtineret, nomenque ſuum commendaret inmortalitati. Quod cauſſam dedit Clementi Alexandrino [1] Juſtino [2] Origeni [3] aliis [4] ut, ex Philonis ſententia, talem in diſciplinis gravioribus Moſen depinxerint, qualis apud mortales reliquus nullus fuit.

Hæc tamen ſine auctoritate dici, evidens eſt. Nam didicit ille quidem, ſapientiam Aegyptiorum. Verum cum talis ſapientia [Arithmetica, Geometria; Aſtronomiæ rudimenta una cum litteris, & ſacrorum diſciplina, *encyclopediam* Aegyptiorum conſtituebant] ſeu diſciplinæ non niſi rudes & inpolitæ apud Aegyptios obtinerent; qui non in excogitandis theorematis, aut ſolvendis problematis, erant occupati; ſed iis tantum in conſtituendis & dimetiendis agrorum limitibus, ab inundatione Nili deletis, utebantur: conſequens eſt, id tantum ſciviſſe Moyſen, quod ipſi callebant, præter ea quæ divina inluſtratione accepit: falſoque eidem abſtruſioris Mathematicæ, & multo minus diſciplinarum, quæ nondum erant inventæ, eruditionem adtribui. Quidquid dicant Judaicarum nugarum fautores, qui longo poſt tempore ex præjudicatis opinionibus ſuis Moſen adumbrarunt, & omni ſupellectile ornarunt recentioris eruditionis. [5]

Mo-

---

[1] Stromat. L. 1. p. 343.

[2] Quæſt. XXV. ad Orthodox.

[3] Contra Celſum L. 1. p. 14.

[4] *Recentiores alios dabit Fabricius* Codic. Pſeudepigr. V. T. Tomo I. p. 826.

[5] *Philonem adtendendum non eſſe oſtendunt viri aliqui docti, qui de* Philoſoph. Hebræorum *diſputarunt*.

Moſis ſapientiam ad Judices, & Prophetas, qui apud Hebræos fuerunt, & rempublicam adminiſtrarunt, manaſſe, Sacri codices nos docent. Deus enim quos ad rempublicam procurandam delegerat, prudentia rgenandi imbuit, & pietate munivit, qua gentem Hebræam regerent, & in officio erga Deum continerent. Prophetæ vero, quorum plura erant collegia, toti Deo vacabant: eoque docente, & imperante edocebant Judæos ea, quæ Deus ab iiſdem poſtulabat. Neque tamen ſuppetunt argumenta ut judicemus, Prophetas diſciplinis Philoſophicis dediſſe operam: nec ad finem a Deo propoſitum accommodatæ eſſe videbantur. Nulli tamen dubitamus, eorum non nullos eruditionis laude floruiſſe: ſed quæ a Philoſophiæ noſtræ ſtudio longe diſtabat.

Qualis autem fuerit Salomonis regis ſapientia ex ipſo Salomone habemus: qui cum Deum rogaret, ut eam ſibi clementer largiretur, unum petiit, nimirum ſapientiam ad regendos populos accommodatam hoc modo: *Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* [1] Cui Deus reſpondit hoc modo: *Feci ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit: ut nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus.*

Salomon itaque excellebat ſapientia inter ceteros Reges Orientis. [2] Ac primum ea ſcientia antecellebat, quæ & notitia boni, & mali, & prudentia regnandi continetur. Deinde ea valebat ſcientia, quæ in excogitandis, & expli-

---

[1] III. Regum. III. *v. 9.*

[2] „ *Sapientia & ſcientia data ſunt tibi: divitias au-„ tem, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi; ita ut nul-„ lus in Regibus nec ante te, nec poſt te fuerit ſimilis tui.* II. Paralipom. II. 12.

explicandis ænigmatibus occupatur: quæ præcipua pars Orientalis ſapientiæ reputabatur. [1] Quod ipſum ſapientiſſimi Regis ſcripta demonſtrant. Deſcribit enim in iis hominum mores, vanitatem, & felicitatem eorumdem: atque figurato dicendi genere, Orientalium more, cogitata ſua ingenioſiſſime exponit: ſumens ex omnibus rebus tales ſimilitudines, & lectiſſimis metaphoris inde ductis morales ſententias adornans.

Id ex *Cantico Canticorum* perſpicue efficitur: idque confirmat Siracides, qui Salomonis ſapientiam exponens, ad hæc capita ſapientiſſimi Regis doctrinam revocat: „ Quemadmodum eruditus es in juventute tua, & impletus „ es quaſi flumen ſapientia: & terram retexit anima tua. „ Et repleſti in comparationibus ænigmata: ad inſulas longe divulgatum eſt nomen tuum, & dilectus es in pace „ tua. In cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, „ & interpretationibus miratæ ſunt terræ. [2] Verum cum hæc divino ſpiritu adflatus fuderit & ſcripſerit, conſequitur, non ex uſu recte judicandi, ſed ex nobilioribus fontibus illius ſapientiam eſſe profectam.

Præterea Phyſica & Aſtronomica rerum notitia gaviſus eſt Salomon rex: quod Sacri codices aperte tradunt. [3] Sed unum rurſum monemus, quod ipſe Salomon diſertis verbis declarat, [4] talem ſapientiam non ratione ac meditatione, quod nos Philoſophiam vocamus, fuiſſe comparatam; ſed a Deo datam fuiſſe: quam Theologi vocant *ſcientiam infuſam*.

Illud

[1] *ibid.* c. VIIII. I.

[2] Eccleſiaſticus c. XXXXVII. 15. 16. 17. 18.

[3] Sapientiæ c. VII. 17.

[4] „ *Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam* „ *veram: ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum ...; Omnium* „ *enim artifex docuit me ſapientia.* ibidem.

Illud tirones monitos volumus, Salomonem ſapientiſſimum mortalium vocatum fuiſſe, referendo ad tempus, quo florebat, & Reges ceteros, & Orientalium eruditionem, [1] quæ a Græca, quæ poſt inveteravit, & ab ea, quæ in præſentia obtinet, longe diſtabat: tametſi divini ſcriptoris ſapientia, quod a Deo eſſet, multo clarior & præſtantior fuerit, quam noſtra. Nihil igitur agunt quidam interpretes Sacrorum codicum, qui ea Salomoni regi adtribuunt, quæ non niſi recentiori ætate inventa ſunt, & apud juniores Philoſophos & viros doctos occurrunt.

Eadem ratione, id eſt, ex Sacræ ſcripturæ teſtimonio, & ex hiſtoria illius ævi, de Daniele judicabimus. Qui cum litteras Chaldæorum didiciſſet, [2] ut Regibus inſerviret, primum prudentiam Politicam didicit: deinde artes metiendi, numerandi, hiſtoriam. Hæc enim apud Chaldæos tradebantur. Præterea a Deo accepit facultatem interpretandi ſomnia, & futura prædicendi. Quod ipſum adfectabant arioli Chaldæi, ſed non poſſidebant. Ex quo proceſſit ad hominum famam, & Regum gratiam adſecutus eſt. At hic eruditionis veſtigia apparent, philoſophiæ Græcæ non apparent. Quare haud facile viri docti adſentiuntur Hectori Pinto, & Cornelio a Lapide, aliiſque, qui Ariſtotelicarum diſciplinarum ambitum tribuunt Danieli: tum & illis qui contendunt, ab eodem ſcholas Philoſophiæ inſtitutas fuiſſe: quod quam diſtet ab iis, quæ Sacri ſcriptores ſcriptum reliquere, nemo non videt.

Et hæc veterum Hebræorum uſque ad captivitatem Babyloniam fuit ſapientia. Nam paullo poſt & ipſi Græcæ phi-

---

[1] *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium
„ Orientalium, & Aegyptiorum: .... & erat nominatus in
„ univerſis gentibus per circuitum*. III, Reg. IIII. 30.

[2] Daniel c. I. v. 4.

philoſophiæ placita domeſticæ eruditioni admiſcuere, ut alio loco demonſtrabimus. [1]

CAPUT IIII.

De Philoſophia Barbara ſeu Traditionaria, præſertim Orientali.

PErvenimus ad *Traditionariam* philoſophiam, præſertim Orientalium gentium, id eſt, ad Aegypti tenebras: in quibus facilius hominem ab homine diſtingueremus, quam in illorum narrationibus, quid verum, quid falſum ſit, conſtituere poſſumus. Tantæ enim tenebræ germana Orientalium placita ab noſtris oculis occultant; tam multæ, tam obſcuræ, tamque diſcrepantes inter ſe narrationes de illorum ſententiis ſe offerunt; ut qui verum in tanta rerum & vetuſtate, & caligine odorari credat, is laterem lavet. Non eſt conſilium tirones noſtros in hos labyrinthos detrudere, a quibus ne homines quidem ingenti veteris litteraturæ copia inſtructi, ſe extricare potuerunt. Tantum, quæ ad Philoſophiæ, & Theologiæ, quæ a Chriſto nato in Oriente inveteravit, intelligentiam erunt accommodata, tangemus: cetera relinquemus iis, qui rebus inutiliſſimis otium conſumere, in magna felicitatis collocant parte.

I. Barbara philoſophia vel Orientalis eſt, vel Occidentalis. De utraque nos quam breviſſime poterimus diſputabimus. Orientalium antiquiores, & præcipui ſunt *Chal-*

---

[1] *De Hebræis, qui poſt Chriſtum vixere, philoſophia diſputare hoc loco non eſt conſilium. Illud prætereuntes monemus, Judæos bene multos Ariſtotelico aut Scholaſtico modo philoſophari: alios in ſecretiorem philoſophiam ſeu Kabbalam incumbere.*

Chaldæi. Chaldæi autem vocabantur Babyloniis ſacerdotes, & religionum interpretes, qui apud eos litteris vacabant: quemadmodum, qui apud Perſas iis ſtudiis dabant operam, vocabantur *Magi*. Chaldæi igitur homines ſuperſtitioſiſſimi, religiones populorum interpretabantur, & futura prædicebant: cumque prædictiones ſuas ad Regum palatum accommodarent, populos in officio his artibus, & fallaciis continuerunt: ex quo & maximum honorem apud Reges, & inluſtre nomen apud populos adepti ſunt. Reapſe nihil aliud erant Chaldæi, niſi deceptores inſignes, qui diſciplinam illam ſuam quibuſdam ſymbolis occultabant, ne alii poſſent cognoſcere: tantum filiis ſuis talia myſteria aperiebant. Adeo doctrinam ſuam ad fallendos populos accommodabant.

Hæc doctrina ducit originem a *Zoroaſtro* quodam, magni nominis apud Orientales. Quis autem fuerit Zoroaſter, & quo tempore vixerit, tam eſt incertum, ut nihil ſupra. Multum de eo viri docti contendunt inter ſe. Quidam plures *Zoroaſtros* ponunt: [1] quidam unum fuiſſe exiſtimant, Perſa-Medum, & circiter Darii Hyſtaſpidis tempora florentem: qui Magiam apud Perſas induxit, & Magorum religionem emendavit, auctorque dicatur ſcriptorum, qui ſunt in manibus: [2] quod veriſimilius videtur. Suſpicantur autem viri docti, [3] exſtitiſſe alium *Zoroaſtrum* Chaldæum multo antiquiorem Perſa, qui Magiæ, & ſiderum doctrinæ fuerit auctor Chaldæis, quam diſciplinam

[1] *Arnobius* Adverſ. Gent. L.I. n.36. & *Laertius*. *Confer*. *Stanlejus* Hiſt. Philoſoph. P. XIII.

[2] *Prideaux* Hiſt. Judæor. T. II. L.4. p. 29. edit. Venet. 1738. qua utimur. & *Thomas Hyde* de Relig. Veter. Perſar. c. XXIII. p. 308.

[3] *Stanlejus ibid. c. III. p. m. 254. Brucker*. de Philoſ. Chald. L. II. p. m. 122.

nam poſterior *Zoroaſter* correxit. [1] Reliquos *Zoroaſtros* ex vitæ, inſtitutique ſimilitudine nomen habuiſſe, veriſimile eſt.

Porro Chaldaica diſciplina, nullis exſtantibus certis monumentis, vix elici poteſt. Unum ex Veteribus habemus, illorum doctrinam in tres partes dividi poſſe.

1. Aiebant, Deum omnium Regem, & parentem per univerſum Mundum eſſe diffuſum: ex quo manabant quidam ſpiritus, qui in ſingulis partibus e. g. in ſtellis habitabant: & quorum providentia tum ſtellæ ipſæ gubernarentur, tum corpora cæleſtia, & terreſtria conſtituerentur, tum fatalis neceſſitas rebus ſingulis inponeretur. Deinde alterum genus Deorum ponebant: tertium Dæmoniorum: quartum Heroum: quorum aliqui ad lucem inaceſſibilem, quam Deus habitat, mortalibus aditum aperiunt. Dii auctores boni ſunt: Dæmones vero noxii, & fallaces. Hæc erat arcana Chaldæorum diſciplina, quam aliis vulgare nefas erat.

Præterea aſtra colebant, præſertim Solem, & Lunam, i. e. ſpiritus in iis reſidentes. Hanc *Magiam* vocabant: cujus duplex diſciplina erat: altera nominabatur *Theurgica,* cujus munus erat, ſpiritus bonos invocare, noxios fugare: altera *Naturalis*, quæ plantarum, animalium, metallorum virtutes explorabat: item quibus planetarum conjunctionibus, quibus humanis actionibus, magica operatio inſtitui deberet, exponebat.

2. Altera diſciplinæ Chaldaicæ pars erat Aſtrologia: quæ in obſervatione ſiderum, & futurorum prædictione poſita erat. 3. Poſtremo Coſmogonia, ubi de Chao diſputabant; de animis humanis, qui a Deo manarunt, de quodam

---

[1] *Eutychius Alex.* Annal. Arab. Tom. I. p. 63. 263. *Confer. Herbelot.* Biblioth. Orient. p. 931. *Stanl. l. c.* P. XIIII. p. 301.

dam Demiurgo, quo Deus in fabricando Mundum uſus eſt. Veriſimile autem eſt crediziſſe eos, materiam eſſe æternam; a Deo autem formam, ordinem, ornatum habuiſſe. [1]

II. Ab Chaldæis edocti *Perſæ* & ipſi antiquiſſimis temporibus eaſdem ſententias ſunt amplexati. Quæ apud Magos præſertim, qui religionis, & litteraturæ omnis erant cuſtodes, locum habuere. Horum tamen diſciplina qualis fuerit, certo nobis non conſtat, nec facile dilucidari poteſt in tanta rerum vetuſtate. [2] Neque vero recentioris *Zoroaſtri*, qui Magorum diſciplinam correxit, certiora dogmata poſſunt haberi: nec ex Veteribus clara notitia Orientalis philoſophiæ, ſed obſcura ſatis, interdum vero per conjecturas deduci poteſt.

Zoroaſtri philoſophiæ, quæ mera erat Metaphyſica, plurimis ineptiis & deliriis inquinata, tale erat ſyſtema. Primum omnium putabant, Deorum maximum & ſempiternum, quem *Mithram* vocabant, genuiſſe *Oromaſdem*, & *Arimanium*, inferioris ordinis Deos, qui Mundum molirentur. Ille fons erat ſpiritualium ſubſtantiarum, hic corporearum. *Mitrha* ſymbolo ignis notabatur, & in Sole, qui lucis theſaurus eſt, thronum habet. *Oromaſdes* ſymbolo

---

[1] *Hæc ex Diodoro Siculo, & Euſebio, aliiſque colligit Bruckerus, & tamquam certiora proponit l. c. p. 132. ſeqq. explodit cetera. Ea vero, quæ ex Græcorum libris excerpſit Patricius, exponit Stanlejus nomine* Oraculorum Zoroaſtri. Tom. III. pag. m. 320. *nec dubitat eſſe germana: quod nobis non perſuaſerit, tametſi* Zoroaſtri *ſententias aliquas in iis contineri fateamur.*

[2] *Rude aliquod veterum Magorum Philoſophicum ſyſtema qui cupit, legat Plutarch.* de Iſide & Oſiride, Tom. II. p. 155. *ex Recentioribus vero Beauſobrium* Hiſtoria Manichæorum, Gallice. Tom. I. p. 170. ſeqq. *Prideaux. l. c.*

lo *lucis*. *Arimanius* ſymbolo *tenebrarum*. Quamvis autem a *Mithra*, infinito illo lucis intellectualis oceano, manavit utrumque principium, proprietates differentes habent, & quo magis diſtant a principio, eo ſunt inperfectiora. *Oromaſdes* ſeu *ſpiritus*, quod lucis, & ignis naturam proxime ſequitur, qui omnia movet, fovet, ac perficit; cauſſa eſt omnis boni. *Arimanius* vero ſeu *materia*, quia quam maxime diſtat a luce, & lucis fonte, caret iis proprietatibus, quæ lucem bonam faciunt: iccirco tenebroſa eſt, iners, rudis, & cauſſa omnis mali. Non quia principium, a quo emanat, ſit malum; ſed quia ratione emanationis, quæ ultima eſt, longe recedit a bono, & mala eſt. Cum autem intellectualis ignis ſempiterno motu agatur, conſequens eſt, omnia ad ipſum lucis oceanum ultimo eſſe reditura. Materia, cum natura ſit iners, ab activo & lucido principio agi debet, quo facilius minuatur, depuretur, & ſpiritali naturæ ſit proprior. Hinc perpetua diſſentio inter lucem, & tenebras. Tamdem lux vincet: ac materia facta lucida, ab ipſo lucis oceano abſorbetur, & in omnem partem lucem ſparget & felicitatem. Hæc ſyſtematis *Zoroaſtri* ſumma eſt. [1]

Præterea Deum ſeu Solem, & ſtellas ſub dio, & ſine templis colebant. Addebant plurima de prædictione futurarum rerum ex ſiderum adſpectu. Exiſtimabant præterea, Deos apparere figura multo humana ampliori: tum plenum eſſe aerem ſimulacrorum, quæ cum e corporibus effluant,

B cum

---

[1] *Hanc eſſe germanam* Zoroaſtri *doctrinam defendit Moſhemius in* Adnotationibus ad Cudworthi Syſtema Intellectuale p. m. 249. *& poſt eum Bruckerus* de Phil. Perſ. p. 176. ſeqq. *qui caſtigant Bælium, Prideauxium, Beauſobrium: & contendunt, non* Dualiſticum *ſyſtema, ſed* Emanativum *Zoroaſtro probari*.

cum vaporum elevatione oculis acute cernentium inſerantur. [1]

Hanc nos Perſicæ doctrinæ epitomam hoc loco tradere ſatis ſuperque duximus: qui fuſius hæc legere cupit, legat Recentiores laudatos. [2] Monemus tantum, *Oracula Zoroaſtri*, quæ ſunt in manibus, [3] tametſi quaſdam Zoroaſtri ſententias complectantur, tamen a Platonicis, qui poſt Chriſtum fuere, mutata fuiſſe & depravata, & caute legenda eſſe.

Porro autem Orientalis philoſophia, quæ plerumque Chaldaica vocabatur, poſtea quam Syriam, Palæſtinam, Phœniciam, Arabiam pervaſit, ad Aegyptum perveniens, Alexandriam, ad quam, quaſi ad omnis litteraturæ mercaturam, concurrebant ſtudioſi omnes, ſuis dogmatibus, & genealogiis divinis replevit.

Cumque ſacerdotes Aegyptii, quorum doctrina & inveſtigatio Aſtrologia, Magia, obſcura de Deo diſputandi ratione per ænigmata, Deorum genealogiis, & his ſimilibus continebatur; [4] exterarum gentium opiniones de Deo ſine ulla dubitatione reciperent; [5] & jam Pythagoreorum, ac Platonicorum cogitata domeſticis adjunxiſſent; Orientalem philoſophiam facillime receperunt.

Acceſſit alia cauſſa. Nam cum Ptolemæus Phyſcon Aegyptiorum rex CXXX. amplius ann. ante Chriſtum natum lit-

---

[1] *Herodot. L. I. c.* 131. *Confer. Laert. L. I. S.* 17. *Stanlejus* Hiſt. Phil. l. c.

[2] *Confer. Stanlejus l. c.*

[3] *Exſtat* Epitom. Dogm. Zoroaſtri, & Platon. *apud Fabricium*, Biblioth. Græc. Vol. XIIII. p. 137. ſeqq. *Exſtant* Oracula Zoroaſtri *apud Stanlejum l. c. p.* 318. *ſeqq.*

[4] *Confer. Diodor. Sicul.* de Veter. Aegypt. Relig. *Plutarch.* de Iſide & Oſiride.

[5] *Jamblichus de* Myſter. Aegyptior. *S.* 8.

litteratos Alexandria abire coegiſſet, ipſi alii alio tendentes in Aſiam conceſſerunt: cumque ubique publice docerent, repleverunt omnia Græca eruditione. [1] Ex quo & ipſi Orientalium placita penitus cognoverunt, & non nulla ex iis ſumſerunt. Itaque cum Alexandriam redierunt, novum excogitarunt Philoſophiæ ſyſtema ex Orientali, Pythagorica, Platonica, Aegyptiaca coagmentatum: quod & Judæorum Kabbalam genuit, & etiam pernicioſas hæreſes, quæ turbas primis ſæculis graviſſimas inter Chriſtianos concitarunt. Sed de his alias.

III. Perſis ex altera parte vicini erant *INDI*: qui magna ſapientiæ laude ante, & poſt Alexandri Magni tempora floruerunt. Eorum Philoſophi domeſtica lingua appellantur *Brachmanes*; Græcis, quod nudi incederent, *Gymnoſophiſtæ* ſunt appellati: quamquam eodem nomine ceteros Indiæ ſapientes vocarint Græci. Talia autem de iis, eorumque ſectis referunt Strabo, Porphyrius, Philoſtratus, Palladius, ceteri, ut credi vix poſſint. Nam cum Græci, & Orientales ceteri nihil præter auditum haberent, Indorum ſapientes ex Græcorum diſciplinis & moribus æſtimarunt. [2] In tanta fabularum copia hæc tolerabiliora eſſe videntur.

Gymnoſophiſtæ a ceteris Indis magis ritu vivendi, quam ſententiis, ſecernebantur. Semoti a conſuetudine hominum, nudi agebant ætatem, & nives, hiemalemque vim, & Solis æſtus perferebant ſine dolore: cumque ad flammam ſe applicaverint, ſine gemitu aduri. Itaque continentia, dura vivendi diſciplina, tolerantia, & contemptu mortis, omnium admirationem rapiebant ad ſe: idque auditoribus ſuis faciendum eſſe perſuadebant, propterea quod exiſtimabant, frenandis nimiis appetitionibus animi-

---

[1] *Confer. Athenæus*, *L. IIII. p.* 184.

[2] *Confer. Fabricius* Diſſert. de Brachmanibus, Hamburgi 1703. 4.

nos evadere ſapientes, quibus ſolis aditus patet ad Deum. Quod inſtitutum etiam nunc plerique *Brachmanes* ſub vocabulo *Braminen* in India retinent. [1] Et hæc de Moribus: in reliquis ita philoſophabantur.

Putabant, Deum eſſe ignem intellectualem corporeum, qui Mundum format, pervadit, animat, gubernat. Mundum illius eſſe veſtitum. Ex hac anima Mundi, ſeu igne rationali, qui perpetuo agitatur, omnia emanant neceſſario, etiam anima rationalis, quæ illius ignis eſt particula, & corpore veluti veſte utitur: qua de cauſſa nudi incedebant. Tamdem animi humani poſt mortem agitatione ab omni ſorde purgati, & ad ignis naturam redacti, poſt longam periodum ad ipſius lucis oceanum ſunt redituri. [2] Ex eodem fonte emanabant inferiores Dii, qui peculiari ritu erant colendi. Siderum ortus, & conjunctiones obſervabant, ut ex iis futura prædicerent: quæ ſuperſtitio ſemper in Oriente magno fuit æſtimata. [3]

IIII. His contermini *SERES* ſeu *SINAE*, ſeu *SINENSES* ſunt: quorum Philoſophia omnino ſuperſederemus, niſi hoc, & proximo ſæculo de illorum ſyſtemate Philoſophico tanto animorum æſtu in utramque partem diſputatum eſſet. Nolumus lectorem noſtrum intricatiſſimæ controverſiæ inmi-

---

[1] *Abrah. Rogerius* Janua Gentiliſmi aperta P. II. c. 17. p. 408. ſeqq. *Confer. Petr. de la Valle* Itinerar. P. I II. p. 218.

[2] *Hæc Zoroaſtri doctrinam præ ſe ferunt. Doctrina enim* animæ mundanæ, *ex qua ceteræ manant, non ſolum Græciam, ſed etiam Orientem fere omnem pervaſit: ut mirum non ſit ad Indos uſque perveniſſe.*

[3] *Indorum veter. & recent. ſyſtema Philoſophicum exponunt Carolus Gobien* Preface de l' Hiſtoire de l' Edit. de l' Empereur de la Chine: *& Franc. Bernier* Suite des Memoires ſur l' Empire du Grand Mogol. p. 202. *Crozæus* Hiſtor. Chriſt. Indic. L. VI. *Rogerus, ceteri.*

miſcere, in qua ne homines quidem emunctæ naris verum a falſo internoſcere poſſunt: aliqua tamen, quæ probabiliora videntur, adducemus.

Sinenſes igitur doctrinam ſuam ducunt a *Confucio* celebri Philoſopho, qui IↃLI. ann. ante Chriſtum natus eſt: de quo tam multa prædicant *Sinenſes*, ut credi vix poſſint. Uſque adeo illa gens rebus domeſticis extollendis, ceteris vero deprimendis dedita eſt, ut mirentur viri docti, Europæos tam ineptis fabulis fidem habuiſſe. [1] Id certum eſt, hominem poſt mortem tanto in honore habitum fuiſſe, quanto nullus alius Philoſophus umquam. Nam & illi ſtatuas poſuere, & tabellas ſacras fecere, [2] & ſingulari ritu coluere, qui aliis *civilis* [3] aliis *religioſus* eſſe videbatur; [4] & ludos quotannis illi dicarunt, & gymnaſia a funda-

[1] *Minorelli* Obſervat. ad errores Jouvencii de Rebus Sinicis p. 162. [2] *Ibid. p.* 170.

[3] *Quidam civilem cultum eſſe putabant. Quod etiam placuit Leibnizio* Præf. ad Noviſſima Sinica, *& paucis aliis. Sed eum reprehendit Crozæus in* Epiſtola quad. quæ eſt Vol. II. Leibnizianarum.

[4] *Religioſum eſſe cultum, quo mortui, & Confucius a Sinenſibus coluntur, contendunt Evangelii præcones ſeu* Miſſionarii, *qui apud Sinenſes fuerunt, Dominicani, Franciſcani, ceterique & Sacerdotes, & Epiſcopi. Item Jeſuitas aliquos in eadem ſententia fuiſſe, oſtendit Minorelli l. c.* [*Auctores* Mem. de Trevoux. Anni 1715. p. 229. *negant hunc librum eſſe Minorelli Jeſuitæ: alii adſeverant: id certum, talem auctorem plures annos apud Sinenſes vixiſſe*] *Renaudotius* Diſſertat. 1718. *& Antonius de S. Maria Franciſcanus. Ceteros, qui in alterutram partem diſputarunt, habes apud J. F. Buddeum* Diſſert. *quæ exſtat* in Anal. Hiſt. Phil. *Reimmannum* Sciographia Philos. Sinenſis, Brun-

ſvig

mentis erexerunt, in quibus *Confucii* doctrina ſumma cum veneratione juventuti traderetur: tum demum *Confucii* poſteros *Mandarinos*, ſeu præfectos provinciæ nominarunt, rebuſque publicis titulo hereditario præfecerunt.

Jam *Sinenſium* philoſophia, quæ ex libris *Confucii* [1] & *Memcii*, [2] qui *Confucium* expoſuit, præſertim deducitur, in duas partes dividitur, veterem, & novam. Vetus *Confucii* doctrinam continet, ſed aliquibus ſectis depravatam. Nova a ſæculo XII. vſque ad XV. producitur. Ea ex commentariis *Cheu-cu*, & *Chim-ci*, & *Chu-cu*, qui a veteri doctrina receſſerunt, & ex libris *Ta-civen* eſt nata: ex qua ſecta *Litteratorum* orta eſt, quæ una cum ſectis *Foe kiao*, & *Lao kiao* apud *Sinenſes* inveteravit.

Porro vetus *Sinenſium* doctrina Metaphyſica [nam ſola Metaphyſica, & Ethica delectabantur] tam eſt obſcura & incerta, [3] ut ex eorum veteribus libris, quam malueris ſententiam, educere poſſis. Quod ipſum non nulli fecerunt Europæi, qui *Sinenſium* libros non ex vero, ſed ex

---

ſrig. 1727. 4. *Nicol. Charmoiſ.* Annot. ad Maigroti Hiſt. Cultus Sinenſis. Et in Hiſt. Cultus Sinenſis, Col. 1700. 8. *Sed nulla dubitandi ratio eſt reliqua, poſtea quam Clemens XI. conſt.* Ex illa die, *& Benedictus XIIII. conſt.* Ex quo ſingulari *Sinenſium ritus condemnarunt*.

[1] *Exſtat liber h. t.* Confucius Sinarum philoſophus: ſive Scientia Sinica Latine expoſita ſtudio & opera Proſperi Intorcetta, Chriſtiani Hendrich, Franciſci Rougemont, Philippi Coupleti, PP. Soc. Jeſ. Pariſ. cIↃIↃcLXXXVII.

[2] *Franciſcus Noel S. J. edidit* Sinenſis Imperii libros claſſicos ſex, e Sinico idiomate in Latinum traductos. Pragæ cIↃIↃcCXXI. *ubi etiam ſcripta* Memcii *continentur*.

[3] *Confer. P. Martinius Jeſuita* Hiſt. Sinica L. 1. p. 16. *& P. Noel Jeſuita* Præfat. ad Mencium, *& Vuolfius* de Sap. Sinic. p. 37.

ex præjudicatis ſententiis ſunt interpretati. [1] Controverſia in hoc ſita eſt, quod Miſſionarii doctrina, & pietate nobiles de ſenſu verborum *Xang-ti*, *Y-biane*, *Xin-ki*, & ſimilibus altercentur inter ſe. Quidam contendunt, ſignificari ſummum numen, & cæli imperatorem, qui divina adtributa habeat. [2] Reliqui omnes, inter quos ſunt Riccius [3] Longobardus, Minorellius [4] ceteri, ſine ulla dubitatione defendunt, vocabulo *Xang-ti* non cæli imperatorem, ſed vel vim quamdam divinam, quæ cælo inſideat, idque informet; vel animam Mundi, cujus pars nobilior cælo juncta ſit, viliores partes ſpiritus ſint, qui Mundi partibus arctiſſimo vinculo colligati præſint; accipi debere: [5] & adverſarios provocant, ut vel unum Sinenſem producant, qui vocem *Xang-ti* alio ſenſu acceperit. [6]

Quare veriſimilius videtur, *Sinenſes* hanc de anima Mundi ſententiam, quæ in cælo potiſſimum habitet, & ab eo ſeparari non poſſit, amplexatos eſſe: ex qua hominis anima emanet, vel hujus particula ſit: quæ cum e corpore egreditur, ad fontem ſuum revertitur. Hanc animam

 cæli

---

[1] „ *Eruditos Chriſtianos ordinarie ſenſum librorum noſtrorum Sinenſibus tribuere, & imaginari ſibi quod horum interpretationes noſtris conformes deprehenderint; non conſiderantes, quantum veritatis interſit, huic ſoli litare, procul eſſe juſſa ſimulatione & hypocriſi*: ait Nicolaus Longobardus Jeſuita, *vir doctrina, & animi candore excellens*. Tom.II. Epiſt. Leibnizian. pag. 167.

[2] *Confer. P. Coupletus L.c.p.463.*

[3] Expedit. Sinic. L. I. c. 10. [4] *L. c. p. 126.*

[5] „ *Spiritus hos ita eſſe incorporatos, & ſociatos rebus materialibus, ut res non poſſint eos a ſe dimittere*: ſunt verba Confucii in Chum-yum *apud Coupl.* Scient. Sinic. L. II. p.51. [6] *Minorellius, L. c. p. 125.*

cæli ſumma religione eſſe colendam, ceteros ſpiritus non negligendos. Ex quo fit manifeſtum, *Sinenſes* Deiſmo, vel Pantheiſmo infatuatos eſſe.

Jam Recentior *Sinenſium* philoſophia & clarior eſt, & meliori ordine diſpoſita. Nec injuria ſuſpicantur viri docti, ex commercio, quod ipſi cum Aegyptiis, & Arabibus hac ætate habuere, [1] Græcorum hypotheſes ad *Sinenſes* uſque perveniſſe. Id certum eſt, eum, qui ſine ullo partium ſtudio illorum ſyſtema Metaphyſicum, & Phyſiologicum examinat, [2] ex Stoicorum, & Pythagoreorum fontibus profectum eſſe vix dubitaturum. [3] Nam illud *Li* Sinenſium eſt anima mundi, quæ Chaos informat. *Tai kie* eſt anima mundi ſecundum Stoicorum placita formati. Quibus conſtitutis, cetera nullo negotio mutatis nominibus ad Stoicorum hypotheſes trahuntur. [4] Quæ cum alio loco ſint exponenda, hic prætereunda ſunt. [5]

Hæc eadem doctrina apud Litteratorum ſectam obtinet in præſentia. Ex quo plane deducitur, *Sinenſes* ad Orthodoxos nullo modo poſſe referri. Qui autem tertiam *Sinenſium* ſectam faciunt, & contendunt, recentiores *Sinenſes*, cum ſubtilius interpretarentur lineolas libri *Fohi*, tam-

---

[1] *Confer. Renaudotius* in Itinerariis, *&* *Paullus Venetus*.

[2] *P. Longobardus edidit* Monumenta Non nulla de Religione Sinenſium, *in quo libro illorum ſyſtema eleganter exponit*.

[3] *Brucker.* De Philoſoph. Sinenſ. p. m. 897. ſeqq.

[4] *Longobardus acute vidit*, Tai Kie *cum anima corpus informante*, *& cum anima mundi Veterum convenire*. pag. 233. 236. *Confer.* Leibniz. L. c. p. 442.

[5] *Eorum Phyſica cum ſyſtemate Metaphyſico eſt colligata, ſi pauca de elementis excipias. Lege Spizelium* de Litterat. Sinenſ. s. VIIII.

tamdem in atheiſmum incidiſſe, & ſanam doctrinam ad perverſam flexiſſe, *petunt principium*: nam id ipſum probandum fuit prius, priſcos *Sinenſes* Orthodoxo ſenſu diſputaſſe: quod & eorum libri, & Miſſionarii plerique falſum eſſe defendunt. Sunt præterea ſectæ *Lao kiun*, & *Foena*, quæ idololatriam, & deiſmum profitentur.

De doctrina vero Morali, & Politica, mirabilia nobis narrant *Sinenſium* patroni. Non negamus, quædam in iis occurrere, quæ laude digna videantur: unum contendimus, plurimis flagitiis eſſe inquinatam. [1] Nam primum eorum Ethica non ad coercendas animi appetitiones, ſed ad Politicam tota eſt conformata: nihil religioni tribuit: præmia, & pœnas poſt mortem vix aut ne vix quidem commemorat. Deinde nullum habet certum principium; nec ex ea poſſumus definire, quæ ſit ea *ratio congenita*, quæ cordis rectitudo, quæ laudata illa perfectio: verbo dicam, tota quanta eſt, ſine Deo poteſt conſiſtere. [2] Præterea, idololatriam, ſuperſtitionem, inpietatem Sinenſis ethica non profligat. Ex quo homo præjudiciis non impeditus judicare poteſt, jure, an injuria ceteris anteponatur. Et de *Sinenſibus* huc uſque. Redeo ad Occidentem.

V. Primi ad Meridiem occurrunt *ARABES*, quibus & ſui fuere ſapientes, qui antiquis temporibus *Magorum* nomen habuere, [3] ſed a Muhammedis ætate *Zabii* ſunt ap-

---

[1] *Bylſingerus* Ethicam Sinenſem *ad ſyſtema revocavit: ſed an nihil præjudicatis ſententiis dederit, an aliter, dubitant viri docti.*

[2] *Confer. Wolfius de* Sapient. Sinica p. 37. *Confer. Moshemius* Ethic. Chr. P. II.

[3] *Plinius* Hiſt. L. xxx. c. I. *Mages in Arabia eſſe refert.*

appellati. [1] Horum Philoſophia qualis fuerit, exploratum non eſt. Neque enim ex certis monumentis; ſed ex Judæorum, & Muhammedanorum ſcriptis, quorum fides in hac hiſtoria firma non eſt, dogmata *Zabiorum* cognoſci poſſunt. [2] Ut ut eſt, hæc de iis feruntur.

Dicebant, homini neceſſarium eſſe aliquos habere internuncios, qui apud Deum gratia valerent. Hos eſſe ſpiritus, qui in aſtris tamquam in ſacellis ſint: quæ aſtra ab illis animata ſunt. Horum motus obſervari oportere, & ex iis ſigilla, ſeu *Taliſmanes* fieri, quorum ope ea ab illis accipiantur, quorum ipſi habeant poteſtatem. [3] Alii ſimulacra etiam colebant, propterea quod exiſtimabant, horum præſidio ad Deos illos cæleſtes hominem accedere. [4] Itaque *Zabiorum* ſyſtema, præſertim ſectæ Harbaniſtarum, erat cento. Nam ex doctrina Chaldaica ſumſere animam mundi, quæ in corporibus cæleſtibus præſertim habitaret, & in res inferiores influeret: item angelos conciliatores benivolentiæ: quod in Orientali philoſophia ſummo in pretio fuit. Illud de conciliatore ſeu internuncio, a Chriſtianis, vel Judæis accepere. Tum Orientalium more totos ſe Aſtrologiæ ſeu ſiderum diſciplinæ dederunt.

V. Proximi erant *Aegyptii*, qui in magna doctrinæ opinione fuere. Horum autem non modo hiſtoria, ſed etiam Philoſophia tantis tenebris & fabulis eſt obvoluta, ut cognoſci vix poſſit. Primum, quod ſub ſymbolis contineretur & imaginibus, ex quibus quidquid libuerit, exſcul-

[1] *Confer. Spencerus* de Legib. Hebræor. Ritualib. Sect. II. p.280.

[2] *Confer. Pocockius* Hiſt. Arab. p.147.

[3] *Confer. Arpe* de Taliſmanibus, & Amuletis.

[4] *Hæc ex Shareſtani Arabis narratione refert Pocockius*.

exſculpere poſſis. Deinde, quod ſacerdotes Aegyptij, homines aſtuti & inſignes deceptores, doctrinam ſuam non niſi ſacerdotibus & initiatis aperiebant, ceteris occultabant. Poſtremo, quod in eadem gente diverſi ritus, ſectæ diverſæ, & incredibilis varietas ſententiarum exſtitit: [1] quæ, ut alia & graviſſima argumenta non eſſent, plane conficiunt ineptire eos, [2] qui mirabilia de veteribus Aegyptiis confidenter referunt. [3]

Conſtat eos operam dediſſe Geometriæ, non illi quidem interiori & ſublimiori, ſed quæ in agrorum dimenſione verſatur. Etiam in ſiderum cognitione curam poſuerunt: quam tamen ad rationes Aſtrologiæ, cui plurimum tribuebant, vel rei ruſticæ, flexerunt. Item *Medicinæ Empiricæ* vacarunt. Tum *Magiæ*, ex qua diſciplina ab ipſis uſque Moſis temporibus celebres præſtigiatores exſtiterunt, qui Moyſi reſiſtere conati ſunt: quæ Magia cum Aſtrologia erat conjuncta. [4] Et hæc indubia.

Illorum autem Theologia vulgata nihil ſuperſtitioſius excogitari poteſt. Deos, heroas, homines, belluas, her-

---

[1] *Confer. Moshemius in* Adnot. ad Cudvvorthi Syſtema Intellect. c.IIII. §.19.

[2] *Fecit id præter ceteros Athanaſius Kircherus, cujus conjecturas viri docti non admittunt. Confer. Heumannus* Act. Philoſ. Tom. II. p. 190. *qui eruditorum de eo judicia enarrat. Confer. Vvitſius in* Aegyptiacis L. II. *c. 5. qui eum confutat.*

[3] *Monumenta ex quibus Aegyptiaca doctrina ſumitur, ſunt libri* Hermetis, Horapollinis, Jamblichi. *Et quidem Hermes nullus umquam exſtitit: huius tamen libri etſi recentiores ſint, tamen plurima Aegyptiaca continent. Confer. Borrichius* de Herm. & Aegypt. Sap. p. 83. *ceteri innumeris fabulis ſunt repleti.*

[4] *Plinius Hiſt. L. XXX. c. 1.*

herbas adorabant. [1] Arcana vero Theologia in tanta rerum obſcuritate, & opinionum diſcrepantia vix elici poteſt. [2] Tamen hæc veriſimiliora videntur. Putabant, ſummum Deum per univerſum mundum diffuſum eſſe, cujus partes tum in magnis viris reſiderent, qui dimiſſo corpore ad illum redirent; tum in ſtellis, præſertim in Sole, quem *Oſirin*; & Luna, quam *Iſidem* vocabant, ut animam in corpore, habitare. [3] Recentiores vero, qui veterem doctrinam ad Philoſophorum morem formarunt, dixere, ſpiritum ſeu *Oſirin*, materiæ *ſeu Iſidi* intime eſſe conjunctum, eidemque formas inprimere rerum. Item aliud principium malum addiderunt *Typhonem*, utrique infenſum, malorum parentem omnium. [4]

Quare ex anima mundana ſeu Oſiride, cum materia æterna ſeu Iſide matrimonio conjuncta profecta ſunt omnia, & dæmones, & animæ humanæ: quæ ſoluto corpore iterum ad aſtra ſeu fontem ſuum redeunt; quæ bonæ ſunt celerius, quæ malæ poſt longam tranſmigrationem per alia corpora etiam belluarum. Quæ celebris illa μετεμψύχωσις *metempſychoſis* eſt Veterum. Mundum vero poſt longam periodum conſumtum iri cataclyſmis, & igne: ita ut poſt certos temporum curſus conflagratio hujus univerſi fiat, eamque mox conſequatur inſtauratio omnia reſtituens nihil a prioribus differentia. Quæ Stoicorum placitis conſentanea ſunt. [5]

Hæ in tanta ſententiarum varietate conjecturæ ſunt to-

---

[1] *Confer. Juvenal.* Satyr. xv. *Plutarch. de* Iſide, & Oſiride.

[2] *Jacob. Baſnagius* Hiſt. Judæor. Gall. Tom. III. c. 17. 18. *contraria ſyſtemata enumerat Theologiæ*.

[3] *Confer. Diodor. Sicul. de* Veter. Aegypt. religione.

[4] *Conf. Plutarch. L. c.*

[5] *Origenes* Contra Celſum L. V. p. 252.

tolerabiliores. Cetera, quæ de quadam *Trinitate*, de *Creatione ex nihilo*, reliqua ad fabulas referimus. [1] Tantum monemus, recentiſſimos Aegyptios paullo ante Auguſtum Cæſarem veterem doctrinam ſuam Orientalium, & Græcorum placitis contaminaſſe: qua de cauſſa pleraque illis tribuunt Porphyrius, Simplicius, Jamblichus, ceteri, quæ Aegyptiaca non ſunt.

V. Fuere etiam *AETHIOPIBUS Gymnoſophiſtæ* ſui, ſeu Philoſophi & Sacerdotes, qui doctrinam fere ſimilem Aegyptiacæ profitebantur. [2] Celebrantur etiam *PHOENICUM Moſchus*, qui dicitur auctor ſyſtematis Atomorum, [3] & *Sanchuniathon*. [4] Laudantur præterea *CELTARUM*, ſive Gallorum, Britannorum, Germanorum, & Septemtrionalium gentium [hæ *Celtarum*, ſeu *Celto-Scytharum* nomine continentur] *Druides*: [5] *SCYTHARUM* vero ſeu hyperborearum gentium ad extremas Europæ, & Aſiæ partes, *Abaris*, *Anacharſis*, *Zamolxis*, *Toxaris*, *Diceneus*: [6] *ITALORUM Etruſci*, qui divinan-

---

[1] *Confer. Moſhemius* ad Cudvvorth. Syſtema Intellectuale, c. IIII. ſſ. 18. 35.

[2] *Confer. Philoſtratus* Vita Apollonii L. IIII. c. 2. *Lucianus de* Aſtrolog. T. III. p. 254. *Confer. Ludolfus* Com. ad Hiſt. Aethyop.

[3] *Ait Cudvvorthus* Syſtem. Intell. c. I. ſ. 9. p. 14. *Negat Burnetius* Archæol. Philoſ. c. 4.

[4] *Confer. David Bajerus* Diſſ. de Phœnicibus eorumque ſtudiis, & inventis, Ienæ 1709. *&* *Cudvvorth.* Syſtem. Int. c. I.

[5] *Horum diſciplinam enarrat Cæſar de* Bello Gallico L. VI. c. 13. 14. *Addatur J. Georg. Heyslerus* Antiq. Septemtr. & Celticæ; *qui Druidas etiam in Germ. fuiſſe oſtendit*.

[6] *Confer. Juſtin.* Hiſt. L. II. c. 2. *&* *Pelloutierius* Biblioth. Germ. Tom. XXIX, p. 215.

nandi diſciplinam Romanos docuerunt. [1] Sed horum omnium, ut eſt obſcura hiſtoria, ita obſcuriſſima philoſophandi ratio: ut nihil agant, qui eos nobis tamquam ſubtiles Philoſophos obtrudunt.

Unum ſcimus, pleroſque omnes harum gentium ſapientes fuiſſe ſacerdotes, qui populo jus dicebant, rebus divinis præerant, religiones interpretabantur, futura prædicebant, quam divinationem ad commodum ſuum referebant, vel ad Regum voluntatem: & his artibus rem & ſacram, & profanam publicam adminiſtrabant. In reliquis *theogonias*, & Deorum genealogias arcana methodo, & allegorica tradidere: & de generatione mundi, de Deorum inmortalium vi ac poteſtate interdum non nulla diſputarunt. Qui vero ex Græcis aliquid ſumſiſſe videntur, ut Celtæ, aliique, non longe ab Stoicorum ſententiis diſtare videntur. Quæ tamen non niſi per conjecturam adfirmari poſſunt: cetera erant deceptores. [2]

Et, ut verbo dicam, Barbarorum omnium ſapientia [3] doctrina de Deo, de divinis, de anima humana, de mundi ortu, de ſiderum obſervatione fere omnis continetur. Nam cetera ad uſum vitæ, non ad contemplationem referebant. Cumque ea non meditatione & ratiocinatione, compararent, ſed a majoribus haberent; manifeſtum fit, *Traditionariam* ſapientiam ſeu philoſophiam, notas & characteres *Philoſophiæ* non habere. CA-

---

[1] *Confer. Senec.* Natur. Quæſt. L. II. c.14. *Dempſterus* ad Roſſini Antiq. Rom. L. III. c.8.9.11. *Bruckerus* de Phil. Etruſc. Tom. I. p. m. 345. ſeqq.

[2] *Confer. Vachterus* Elucidar. Cabbaliſtic.

[3] Barbari *Græcis vocabantur ii, qui Græca lingua non utebantur, & Græcorum litteris inſtituti non erant. Romani omnes populos præter Græcos, Barbaros appellarunt. Nos Græcorum ſenſu hoc loco vocem* Barbarus *accipimus; ſi Judæos excipias.*

Caput V.

De Philoſophia Græcorum Fabulari, & Politica.

SEd ad *Græcos* veniamus, qui tametſi à Barbaris ut Thraces, Phœnices, Aegyptii, ceterique Orientales, [1] divinarum, humanarumque rerum notitiam aliquam habuerint, tamen hanc ſibi peculiarem vindicant laudem, quod vel a prima gentis ætate rationem conſuluerint, & ex ea Philoſophiam mirifice amplificarint.

I. Primi Græcorum ſapientes, de quibus aliquid certo conſtituere poſſimus, fuere *POETAE*, qui ſapientiam monumentis mandarunt, ut *Orpheus*, *Muſæus*, *Eumolpus*, *Thamyris*, *Melampus*: item *Heſiodus*, *Epimenides*, *Homerus*, ceteri. Hipleruinque fuere theologi Naturales, quorum in *Theogoniis*, & *Coſmogoniis*, id eſt, in Deorum genealogiis, & Mundi ac rerum naturalium ortu deſcribendo, omnis conſumtus eſt labor. Nimirum doctrinam de mundi ortu, a majoribus ſub allegoriis acceptam, & metaphorico exponendi genere corruptam, ita cum rerum ſingularum generatione miſcuerunt, ita Poetarum fictionibus, proſopopœjis, & novis nominibus obſcurarunt, ita religionem vulgi cum religione Phyſicorum conjunxerunt, ita nova, & ſibi invicem contraria excogitarunt; ut qui in tanta rerum, & obſcuritate, & diſcrepantia vel verum invenire, vel certum aliquod ſyſtema Philoſophicum componere velit, is oleum & operam perdat. [2]

Qua-

---

[1] *Confer. Bochartus* Geograph. Sacra, *Burnetius* Archæol. Philoſ. c.9.

[2] *Multum in hoc ſudarunt litterati viri, ut Burnetius* Theoria Telluris, L. II. c. 7. *Cudvvorthus* Syſtem. Intellect. c.IIII. §. 14. 32. ceter. & ibi Moshemius.

Quare ſatius duco his abſtinere, & hoc unum monere tirones, habuiſſe veteres Theologos, & Philoſophos, ſeu Poetas mundum pro Deo, ejuſque partes in Deos retuliſſe, & nominibus ſuis diſtinxiſſe: [1] quibus addiderunt heroas ſuos, & plurimas fabulas, ex quibus *Theogoniæ* conſtant: quæque a populis pedetentim receptæ fuere: nec aliud in eorum *Theogoniis* inveſtigari oportere, [2] tametſi alii alio modo eadem explicarint. Quare non ad *Rationales,* ſed *Traditionarios* philoſophos referendi ſunt.

II. Poetis *POLITICI* ſapientes ſucceſſerunt, qui hominum mores ex rectæ rationis præſcripto formarunt, ſocietates conſtituerunt, eaſque legibus utiliſſimis temperarunt: idque tanto cum operæ pretio, ut ex Græcia, veluti ex equo Trojano, innumeri ſapientes ſint egreſſi, qui & leges populis ſanciverunt, & eos prudentiſſime rexerunt, & tam magna prudentiæ opinione floruerunt, ut non ſolum Romanos illos, gentium domitores, docuerint; ſed etiam nunc Europa omnis, quæ Romanorum legibus gubernatur, præclariſſimis ſtet Græcorum inſtitutis.

Hinc *Zaleuchus* Locrenſium, & Epizephyriorum legislator celebratur: Catanenſium, & Italorum, & Siculorum *Charondas*: Athenienſium *Triptolemus*, *Draco*, *Solon*, ceteri: Lacedæmoniorum *Lycurgus*: Cretenſium *Rhadamantus*, *&* *Minos*. [3] Hinc etiam ſeptem illi veteres *Sapientes* nominati, *Thales*, *Solon*, *Chilon*, *Pittacus*, *Bias*, *Cleobulus*, *Periander*, cujus loco alii reponunt *Myſonem*; qui a prudentia Politica & Legislatoria, & Poeſi, & magiſtratibus, quos geſſerunt, ſi Thaletem excipias, inlu-

---

[1] *Confer. Everard. Feithius* Antiquitates Homericæ L. I. c. 1. [2] *Confer. Moshemius l. c. p.* 281. *ſeqq.*

[3] *De veteribus Legislatoribus, qui fama feruntur, diſputat Fabricius* Biblioth. Græcæ Vol. I. pag. 528.

inluſtre ſibi nomen fecerunt. [1] Verum hi omnes etiamſi brevibus ſententiis acute excogitatis, & ad mores emendandos accommodatis, ad hominum famam proceſſerint; [2] tamen inter Philoſophos eo ſenſu, quo nos eos accipimus, numerandi non ſunt: [3] neque enim eo modo philoſophati ſunt ac Thales, qui Practicæ philoſophiæ Theoreticam adjunxit, de quo ſequenti capite erit ſermo.

Caput VI.

De Græca philoſophia uſque ad Chriſtum, præſertim de ſecta Jonica.

HAec initia Græcæ eruditionis fuere. At mature Græci, ut erat illa gens ad omne litterarum genus excolendum facta, viam, qua ad Philoſophiæ adyta contendere poſſumus, invenerunt. Ergo quo tempore Judæorum regnum inclinare videbatur, eodem Græci homines, quaſi ab illa eſſent rerumpublicarum libera ſentiendi facultate excitati, rerum cauſſas libere & peracri judicio inveſtigarunt; & initia Philoſophiæ illius, quæ poſt obtinuit, poſuerunt. Univerſa autem Græca philoſophia a duobus auctoribus, tamquam a duplici fonte, dimanat, Thalete, & Pythagora: quorum primus Jonicam ſectam, alter vero Italicam condidit. De Jonica in præſentia, de Italica ſequenti capite ſermonem faciemus.

[1] *Confer. Diogen. Laertius L. I. præſertim ſ. 35. 61.*

[2] *Eorum ſententias explicavit Buddeus* in Sapientia Veterum, ſeu dictis inluſtrioribus ſeptem Græciæ Sapientum.

[3] *Confer. Plutarch. in* Solone. *Laert. L. I. ſ.* 40.

Secta Jonica.

I. Ac primum *Thales* Mileti in Jonia natus anno 1. Olymp. xxxv. [1] hoc eſt IↃcxxxx. annis ante æram Vulgatam; cum Mathematicarum diſciplinarum ſtudio incenderetur, Naturæ ſcientiam feliciter perſecutus eſt, præſertim Corpuſcularem philoſophiam. Cumque Moralem, & Politicam, pro more illius ævi, calleret, inter VII. Græciæ *Sapientes* numeratus eſt. Veriſimile eſt, nihil ſcriptum reliquiſſe *Thaletem* [2] præter ἀδόμενα: quidquid dicat Plutarchus, & alii, qui certa monumenta non proferunt. [3]

Auditorem habuit *Anaximandrum* Mileſium, [4] qui privatam Thaletis inſtitutionem publicam fecit, & auditores plures inſtituit: & primus Naturalis philoſophiæ præcepta ſcripto conſignavit: [5] quod ante ſe alii nefas eſſe putabant, arcana Philoſophia contenti. Multum Mathematicam, & Phyſicam auxit *Anaximander*.

Ab hoc *Anaximenes* eruditus [6] Naturalem philoſophiam docuit *Anaxagoram*, & *Diogenem* Apolloniatem, [7] qui illi in cathedra ordine ſucceſſerunt. Huic vero *Archelaus* ſucceſſit, Anaxagoræ diſcipulus, [8] qui eadem Socratem erudivit Athenis. Et in hoc *Archelao* Jonica ſecta finem fecit.

Jonicorum vero ſyſtema quale fuerit, pro certo dicere

---

[1] *Laertius l. c. L. I. ſ.* 37.

[2] *Idem ibidem ſ.* 23. *confer. Fabricius* Biblioth. Gr. Vol. 1. *p.*238.

[3] *Fabricius l.c.p.*239. & *Huetius* Demonſtrat. Evang. P. IIII. c. 2. *§.* 5. [4] *Laert. L. II. ſ.* 1.

[5] *Themiſtius* Orat. XX. [6] *Laert. ibid. ſ.* 3.

[7] *Cicero* de Nat. Deor. L. I. n. 11. *Laert. L.II. ſ.* 57.

[8] *Suidas in* Archelao.

re non poſſumus : quod nulla eorum exſtant ſcripta ; nec niſi ſingulares ſententiæ apud Veteres ſe offerant, in quibus enarrandis, & explicandis ſumme diſſentiunt. Quare non niſi infirmis conjecturis locus eſt. [1] Veriſimilius eſt, pleroſque omnes Jonicos Deum pro anima mundi habuiſſe : i. e. Deum in materiam eſſe inmerſum, & tam arcto nexu illi conjunctum, ut anima corpori, ovoque vitellus : & hanc eſſe vim illam *plaſticam*, quæ materiam neceſſario formavit, ita ut Deus ſit pars neceſſaria chaos. [Anaxagoras *Deum Materiæ* adjunxit, ſed neutrum ab alio pendere dixit, adeoque ſyſtema *dualiſticum* admiſit] Præterea ex corpuſculis diſſimilibus hoc & illo modo motis omnia eſſe facta dixerunt : & quorumdam, quæ in natura contingunt, cauſſas inveſtigarunt. Etiam Mathematicæ vacarunt, & theoremata, ac problemata Geometrica aliqua invenerunt. [2] Sed horum & Phyſica, & Mathematica rudis erat adhuc & inconcinna.

Secta Socratica.

II. *Socrates* vero Athenienſis, qui ab Anaxagora, & Archelao accepiſſet diſciplinam [3] & etiam ab aliis varietatem omnem litterarum didiciſſet, [4] aliam omnino inſtitit viam. Nam cum animadverteret, ex diſciplinis, quæ

 erant

---

[1] *Confer. Moshemius ad* Cudvvorthi Syſtema Intellectuale c. III. §. 21. n. 8.

[2] *Ea enumerat Stanlejus* Hiſt. Philoſ. P. I. c. 7. p. 15.

[3] *Laert. l. c. ſ.* 22.

[4] „ *Omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque judicio* „ *Græciæ cum prudentia, & acumine, & venuſtate, &* „ *ſubtilitate ; tum vero eloquentia, varietate, copia, quam* „ *ſe cumque in partem dediſſet, omnium eſſet facile prin-* „ *ceps*. Cicero de Orat. L. III. c. 16.

erant in uſu, parum utilitatis humano generi adferri; ad Moralem philoſophiam potiſſimum ſe contulit, eamque auditores ſuos docuit: ut virtutis amorem excitaret, & viam ſterneret ad felicitatem. Neque tamen ceteras diſciplinas repudiavit: quinimmo eorum ſtudium non uno loco laudavit. Itaque hortabatur diſcipulos [1] ut Geometriæ, Arithmeticæ, Aſtronomiæ, Logicæ cognitionem adipiſcerentur; ita tamen ut non iis addiſcendis perpetuo detinerentur, ſed ad uſus vitæ ſtudium omne ſuum revocarent: & tantum ediſcerent, quantum utile eſſet ad vitam commode tranſigendam. Potiſſimum admonebat, ut rationem valitudinis haberent, & quæ bona, quæ mala eſſent, haberent explorata.

Scholam *Socrates* non aperuit, ſed cum amicis domi foriſque collocutus, eos meliores reddere conatus eſt. Philoſophandi autem ratio talis erat. Perpetua ironia uſus hoc ſibi propoſuit, ut ex inductione accurata aliquid efficeret. Id ut facilius adſequeretur, ſibi non niſi tarditatem mentis, & inſcitiam tribuebat; illi vero, quocum diſputabat, ſummum acumen ingenii, & doctrinam. Tum demum eum interrogationibus fatigabat, atque ex aliis alia per neceſſariam concludendi rationem deducens, cogebat eum, ut aliquod abſurdum fateretur: ex quo fieret perſpicuum, ea, ex quibus illa ducebantur, eſſe falſa.

Quod ſi adverſarius ſtomachabatur, *Socrates* humaniſſime reſpondebat, paratum ſe eſſe adſentiri veritati, modo eam intelligeret. Itaque nihil aut dubium, aut obſcurum in diſputatione relinquebat: ſed omnia ſibi dilucidari poſtulabat. Hac arte Sophiſtarum ſui temporis audaciam, & ignorantiam detegebat: qui ſub verborum involucris, plerumque nihil ſignificantibus, magnam erudi-tio-

---

[1] *Confer Xenophontem* Memorabilium L. IIII. p. 814.

tionis ſpeciem populo obtrudebant. Sed Sophiſtæ taciti non tulere: nam atheiſmi, & corruptæ juventutis accuſatus, cicuta epota extinctus eſt. [1]

Nulla reliquit ſcripta *Socrates*, ſed Plato, & Xenophon præceptoris Philoſophiam litteris conſignarunt: quorum hiſtoriæ fide Platoni Xenophon antecedit. [2] Quare nullum ipſius Philoſophiæ excogitari poteſt ſyſtema: ſed tantum ſententiæ quædam ex diſcipulorum ſcriptis erui poſſunt.

Metaphyſica ſeu theologia Naturalis Socratis præclara eſt. Nam Deum auctorem mundi & gubernatorem poſuit: [3] tum providentem humano generi: [4] tum præmia, & pœnas ſingulis decernentem, [5] cetera. Præter ſummum Deum, plures Deos admiſit. [6] Animum eſſe inmortalem, & poſt mortem præmia virtutis habere putavit. [7]

Ex his fontibus Ethicam diſciplinam deduxit, finem bonorum non in hac vita, ſed in futura felicitate conſtituens: [8] prudentiſſime ille quidem, & multo melius quam Theologi, qui ante eum de Morali doctrina diſſeruerunt. [9] Itaque præcepta Moralia egregia docuit, & Politica, [10] quæ apud auctores, qui de iis agunt, lector inveniet.

[1] *Plato in* Apolog. Socratis.
[2] *Athenæus L. XI. p.* 505.
[3] *Xenophon. l. c. p.*802. *& L. I. p.* 725. *ſeq.*
[4] *Ibid. L. I. p.* 711. [5] *Ibid. p:*726.
[6] *Xenophon ibid. p.* 802.
[7] *Confer. Cicer.* in Lælio c. 4. & *Plat.* in Phædr. p. 245.
[8] *Xenophon.* L. III. *p.* 812.
[9] *Confer. Stollius* Hiſt. Philoſ. Mor. Gentil. §. 42. &c.
[10] *Xenophon.* L. III. *p.* 779.

Secta Cyrenaica.

III. Socratis plurimi auditores memorantur. [1] Nos celebriores percenſebimus, qui poſt ejus obitum ſectas condiderunt. Ac primum *Ariſtippus* Cyrene Africæ urbe natus nominandus eſt. [2] Sectam hic condidit, quæ non ab auctore nomen habuit, ſed ab originis loco appellata fuit *Cyrenaica*. Hic per Antipatrum, Epitimidem, Paræbatem, ad Hegeſiam, & Anniceridem diſciplinam tranſmiſit, ex quibus ſecta *Hegeſiaca*, *&* *Annicerica* extitit. [3] Celebrantur præterea Theodorus Atheus, Evemerus, Bion Boryſthenites, ob inpietatem ſuam famoſi. Verum hæc ſecta iis nominibus in invidiam adducta cito extincta eſt. Nam poſt Epicuri tempora vix eorum fit mentio.

Philoſophia autem Cyrenaica talis erat. Socraticam philoſophandi rationem imitatus Ariſtippus, de reliquis diſciplinis tantum delibavit, quantum ad Moralem neceſſarium videbatur. [4] Itaque Rationalem philoſophiam coluit, cujus hæc præcipua dogmata ſunt. Statuebat in adfectionibus, ſeu interiore ſenſu doloris, aut voluptatis judicium veri conſiſtere: non vero in cauſſis externis, quæ moveant illas adfectiones. Quare non datur criterium commune, quia non omnes, propter diverſam ſenſuum conſtitutionem, eodem modo adficiuntur ab externis: ſed ex voluptate, vel dolore, quid fugiendum, aut appetendum ſit, judicandum eſt.

Ex his fontibus ſyſtema Morale Cyrenaici deduxerunt. Itaque voluptatem præſentem corporis finem hominis eſſe dixerunt: nec eam tantum, quæ indolentia conſiſtit,

---

[1] *Xenophon, Aeſchines, Crito, Simon, Cebes.*
[2] *Suidas in* Ariſtippo. [3] *Laert. L. II. ſ.* 86.
[4] *Laert. L. II. ſ.* 80.

ſtit, ſed quæ in corporis leni motu. Beatam autem vitam in congerie omnium voluptatum, præſentium, præteritarum, futurarum. Magis adficere nos corporis voluptates, aut dolores, quam animi. Ratione tamen moderandas eſſe voluptates. Contra ſummum malum eſſe dolorem. Virtutem hoc nomine eſſe laudandam, quod voluptatem adferat. Nihil natura eſſe juſtum, aut injuſtum; honeſtum, aut turpe; ſed conſuetudine ac lege. Sed an de lege naturæ, an de humana ſit locutus, non conſtat: cetera etiam ad verbum ſint accipienda, an aliter, exploratum non eſt. [1] Hæc ex aliorum narratione habemus, [2] nam Ariſtippi ſcripta nulla exſtant.

Secta Megarica.

IIII. Alter Socratis diſcipulus *Euclides* Megareus ſectam condidit, quæ a Megara urbe ad Iſthmum Corinthi, ejus patria, in qua & ludum aperuit, *Megarica* eſt nominata. Succeſſores habuit Eubulidem, Alexinum, Euphantum, Apollonium Cronum, Diodorum Cronum, Clinomachum, Stilponem, ceteros, qui ex eadem diſciplina profecti ſunt.

Euclides vero ab Socratis philoſophandi via diſſentiens, ut erat ingenio fervido & acri, totum ſe ad artem diſceptandi & contendendi contulit. Hujus autem Logica in hoc ſita erat, ut adverſarium ſuum non contrariis argumentis confutaret, ſed ex illius dictis frequentes concluſiones duceret, quibus eum irretiret & opprimeret: eaſque adeo urgebat, ut *contentionis rabiem* Megaram invexiſſe dice-

---

[1] *Ariſtippum alio ſenſu, ac ſectatores, locutum eſſe, ait Euſebius de* Præparat. E. L. IIII. c. 7.

[2] *Empiricus* Adverſ. Mathematic. L. VII. ſ. 191.

diceretur. [1] Quam rationem ſucceſſores plurimis fallaciis mirifice amplificarunt. Ex quo hæc ſcola *Eriſticæ*, ſeu contentioſæ nomen habuit, & etiam *Dialecticæ*. [2] Non quod ipſe auctor fuerit Dialectices, ſed quod Dialogiſticam methodum ad contentiones & litigia Philoſophorum primus applicavit. Cetera, quæ dixerunt, nobis explorata non ſunt.

Secta Eliaca.

V. Eliacam ſectam condidit *Phædo* Elienſis, Socratis auditor, qui tam fideliter præceptoris veſtigia inſtitit, ut Socraticam philoſophiam omnino puram docuerit auditores. [3] Hunc excepit Pliſtanus, Menedemus, Aſclepiades: [4] qui eamdem diſputandi viam & rationem retinuerunt.

Secta Cynica.

VI. *Antiſthenes* Athenienſis, & ipſe Socratis diſcipulus, ſcholam Athenis aperuit in Cynoſarge, celeberrimo gymnaſio: ex quo hæc ſecta *Cynica* fuit vocitata. [5] Hic Philoſophus ad ſeveritatem compoſitus cum animadverteret, Græcorum mores depravatos theoreticis diſciplinis emendari non poſſe, peculiarem diſciplinam excogitavit, qua eos non modo doctrina, ſed etiam exemplo alliceret ad virtutem.

Cum

[1] *Laert. L. VI. ſ.* 107.

[2] *Ibid. L. II. ſ.* 106. *Confer. Menagius, ad hunc l. ſ.* 108.

[3] *Laert. L. II. ſ.* 130. [4] *Idem L. II. ſ.* 105.

[5] *Idem L. VI. ſ.* 13. *Suidas in* Antiſthenes *T. I. p.* 230. *Voſſius* de Sectis Ph. c. 17.

Cum enim plurimis morbis infecta eſſet Græcorum natio, ſingulis medicinam adhibendam eſſe putavit. Itaque ut ſe opponeret Sophiſtarum loquacitati, Logicam, Phyſicam, & Mathematicam rejecit, & ad Moralem adjecit animum. Vitia capitalia debellanda eſſe putavit nuditate, paupertate, tolerantia, morum integritate. Statuum diſcrimen, quod apud Græcos ſingulares opiniones foverat, non alio modo eludi poſſe judicavit, niſi ſublato decoro. Tyrannorum juſſa pertinacia eſſe vincenda, interdum vero morte voluntaria. Hac ratione & diſciplinam ceteros edocuit, & nomen Philoſophi tuitus eſt. [1] Præterea hominum mores perpetuo non ſine acumine reprehendit, & utiliſſima præcepta morum tradidit.

Quamquam vero Moralis philoſophiæ nullum ipſe ſyſtema ſcripto vulgavit, tamen ejus diſcipuli peculiares ſententias tenuerunt. Itaque exiſtimavit, vitam beatam in virtute poſitam eſſe. Virtutem vero doctrina adquiri poſſe, non vero amitti: & ad virtutem omnem ſapientiam revocari. Amore dignum eſſe ſapientem, nec vitiis obnoxium. Sapientem fortunæ non concedere. Ea, quæ nec virtutes, nec vitia ſunt, indifferentia eſſe. [2] Quæ omnia, ut monet vir clariſſimus, aperte produnt, Antiſthenem nec diſputandi via, nec ſententiis a Socrate receſſiſſe.

Huic ſectæ plurimi viri inluſtres nomen dederunt, Diogenes Sinopenſis, Oneſicritus, Monimus, Crates, & hujus uxor Hipparchia, Metrocles, Menedemus, Menippus, alii. Verum hi dicacitate ſua, & acerba reprehendendi alios licentia in maximam invidiam tempore procedente inciderunt: [3] qua de cauſſa Cynica diſciplina maturum habuit interitum.

Secta

[1] *Laert. L. VI. ſ.* 105. [2] *Laert. L. VI. ſ.* 11. 12.
[3] *Confer. Horat.* Epiſt. I. 17.

Secta Stoica.

VII. Ab ſecta Cynica exiit Stoica: nam *Zeno* Cittieus, Cratetis Cynici diſcipulus, ludum Athenis aperuit in *Stoa*, celebri porticu, propter ingentem tabularum pictarum numerum, quæ ibi erant: ex qua *Stoici*, qui ibi diſſerebant, Poetæ, & Grammatici ſunt appellati: poſtea Zenonis auditores hoc ſibi proprium nomen fecerunt. Nec contentus unius inſtitutione, audivit *Zeno* Stilponem Megaricum,[1] Xenocratem Platonicum,[2] Diodorum Cronum Dialecticum,[3] & Polemonem: [4] ex quorum ſententiis ſuam Philoſophiam compoſuit.

Plurimos auditores habuiſſe *Zenonem* memoriæ proditum eſt. [5] Qui ei in cathedra ordine ſucceſſerunt fuere Cleanthes, Chryſippus, Zeno Tarſenſis, Diogenes Babylonius, Antipater Tarſenſis, Panætius, Poſſidonius, Jaſon, ceteri. Qui tamen præceptoris ſententias non ſemper preſſe ſecuti ſunt, ſed alio modo expoſuerunt.

Stoica vero diſciplina tribus partibus continetur, Logica, Phyſiologia, Ethica, de quibus breviter dicemus. Logicam cum ex Eriſticorum fontibus hauſerit *Zeno*, iiſdem flagitiis, atque illa, inquinatur: i. e. nihil diſtincte cogitat, vocabula non definit, ſed vocibus abſtractis, aut incertæ ſignificationis fere tota continetur: ex quibus tales ratiocinationes *Stoici* componebant, quas nullus poſſet interpretari. Itaque nihil aliud erant *Stoici* niſi ſophiſtæ verboſi, & ineptiſſimi nugatores, qui ex ambiguo diſputantes hominem in ſermone capere cupiebant, quo facilius acuminis, & ingenii laudem apud indoctos

[1] *Laert. L.VII.ſ.* 2. [2] *Ibid.ſ.*2.
[3] *Ibid.ſ.* 25.
[4] *Ibid.ſ.* 35.
[5] *Confer. Laert. L. VII.ſ.* 36.

doctos conſequerentur. [1] Et quamquam Stoicorum quidam temperantiæ, moderationis, conſtantiæ laude floruerint, plerique tamen omnes erant hypocritæ, externam Philoſophorum ſpeciem mentientes.

Logicæ duas partes fecerunt, Rethoricam, & Dialecticam. Illa vel eſt deliberativa, vel judicialis, vel demonſtrativa. Orationis partes exordium, narratio, confutatio, epilogus.

1. Dialectica eſt ſcientia, ſeu firma comprehenſio rerum & viſorum. Rerum autem imagines ab objectis externis inprimuntur in ſenſibus, & per ſenſus in animo, quaſi anulus ceræ: hanc inpreſſionem, quæ cum evidentia eſt conjuncta, Græci *phantaſiam*, Latini *viſum* dixere. Has ſequitur animi conſenſus, qui dum viſa approbat, comprehendere dicitur: ſi firmiter quaſi manu comprehendit, eſt ſcientia. [2] Porro Logicum criterium vel eſt homo, qui judicat: vel ſenſus, per quem judicat: vel applicatio phantaſiæ, cujus auxilio judicatur. Itaque criterium & eſt ſenſus,& anticipata perceptio. (in hunc fere modum locuti ſunt Epicurei)Senſuum comprehenſio vera eſt ac fidelis.Nihil autem eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu. Hinc nullas homo habet notiones innatas, ſed mens chartæ puræ eſt ſimilis, in qua mente primæ rerum imagines inprimuntur: hæ ſunt notiones naturales & communes, ſeu anticipatæ perceptiones. Mens autem nihil aliud agit, quam has communes notiones ad ſingula viſa, quæ occurrunt,

---

[1] *Confer. Fabricius Diſſert. de* Cavillationibus Stoicocorum *in* Syllog. Diſſert.

[2] *Hinc Zeno digitis extenſis*, viſum; *paullum conſtrictis*, adſenſum; *manu compreſſa & pugno*, comprehenſionem *adumbrabat*. *Lege Cicer.* Acad. QQ. L. III. c. 47.

runt, accommodare. Et hæc de *viſis*. His ſubnectunt doctrinam de *vocibus*, ubi de definitione, diviſione, de genere, & ſpecie. Poſtremo de *rebus*, ubi de quatuor prædicamentis, propoſitionibus, ſyllogiſmis hypotheticis, & omni fallaciarum genere pertractant: in quibus exponendis dies, ac noctes conſumebant. [1]

2. In Phyſica hoc modo philoſophantur. Duo ſunt æterna rerum principia, patiens ſeu *Materia*, & efficiens ſeu *Deus*. Utrumque corporeum eſt. Quidquid enim eſt, corporeum eſt, adfectus animi, virtutes, vox, cetera. [2] Nihil incorporeum eſt, præter infinitum vacuum, quod extra mundum eſt. Deus autem vocatur *incorporalis ratio*, & *inmaterialis*, & *ſpiritus*, dum materiæ ſeu craſſiori corpori opponitur: ipſe enim ſubtiliſſimum corpus eſt. [3] Deus eſt puriſſimus æther, ſeu ignis artificialis, qui in extremo cæli ambitu habitat. Verum pro diverſitate locorum diverſa nomina habet: in aere Juppiter, in igne Vulcanus, in terra Veſta, in mari Neptunus, cetera. Hic ignis habet in ſe ſemina & formas rerum omnium, cumque ſe in omnes materiæ partes diffundit, eas movet, vivificat, & format ſecundum illas formas, & rationes: [4] idque non libere, ſed ex neceſſitate naturæ: propterea quia Deus non libere, ſed neceſſario vinculo Materiæ conjuctus eſt, nec ab ea poteſt ſeparari.

Deus hoc ſenſu dicitur habere rerum ſingularum providentiam, quia omnes materiæ partes [ut anima & pars]

---

[1] *Stoicorum Logicam exponit copioſe Stanlejus* Hiſt. Philoſoph. in Zenone.

[2] *Laert. L.* VII. *ſ. 55. Confer. Seneca* Epiſt. 106. 113. *Fuſe hæc oſtendit Lipſius* de Philoſ. Stoica L. II. diſ. 4.

[3] *Laert. ibid. ſ.* 147. *Plut.* de Placitis L.I. c. 6.

[4] *Laert. ibid. ſ.* 138.

pars] intrinſecus pervadit, movet, diſponit, conſervat certis & inevitabilibus legibus. Hæc itaque providentia inevitabile fatum eſt: adeo ut nec Deus, nec materia, nec, qui ex utroque conſtat, mundus, ab hoc fato ſe eximere poſſint. [1] Fato omnia reguntur, alia ex aliis neceſſitate naturæ fluunt, nec aliter evenire poteſt. [2] Quoniam vero cauſſa illa rationalis nihil extra ſe habet, niſi vacuum infinitum; a nullo alio cogi poteſt: quare libera eſt, quia natura ſua ita facit, etiamſi aliter facere non poſſit. [3]

Hæc eſt germana Stoicorum de Deo ſententia: cetera, quæ de divina providentia, de omnipotentia, de inmenſitate, de ſapientia, ceteriſque adtributis magna & præclara prædicant Seneca, Epictetus, Marcus Aurelius imperator, ceterique Stoici, quorum mutila exſtant ſcripta; ex his principiis inluſtrari debent. Nihil igitur agunt Juſtus Lipſius, Gatakerus, ceterique, qui Stoicorum vocabulis decepti, illorum ſententias ad Chriſtianorum decreta revocare adorti ſunt.

Hic itaque, qui levitate ſua extremum mundi ambitum petit, undique circumfuſus, omnia cingens atque complectens ignis artificialis, qui *æther* nominatur, & Deus eſt; ex chao quaſi erumpens, & æternam materiam agitans ſecumdum fati leges, primum genuit aſtra, in quæ particulas ignis induxit, qui Dii ſunt. Dii aerem, aquam, terram formarunt, divina obſtetricante manu, ſeu igne undique diffuſo, & ad medium delato, [4] cujus partes ſunt. Cum autem aſtra fati legibus agantur, & catenæ illi

[1] *Confer. Voſſius* Theolog. Gentil. *L.II. p.*158.
[2] *Seneca* de Provident. *c.* 5.
[3] *Seneca* Præfat. Quæſtion. Natur.
[4] *Confer. Moshemius* ad Cudworthi Syſtema c. IIII. *§.* 25.

illi neceſſariæ cauſſarum tamquam anuli ſint conjuncti, futura neceſſaria ſæpiſſime protendunt, & nuntiant. [1]

Porro fatali lege inundatio [2] & conflagratio, non aliter quam hiems, & æſtas, poſt longas annorum periodos redibunt. Nam ignis ille artificialis, qui in ſtellis præſertim habitat, vaporibus terræ, ac maris nutritur. Cum autem hæc alimenta defecerint, ignis ardor totum mundum voracitate ſua depaſcet & conſumet, [3] & omnia ad chaos ſeu Jovem revertentur. Rurſum poſt aliquam quietem, divinus ignis novum iterum mundum producet, novos homines, *dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus*. [4] Sed quia naturam materiæ corrigere Deus non poteſt, iterum redibit corruptio: & ſic poſt aliam periodum conflagratio, perpetuis curſibus & converſionibus temporum.

Sed etiam animus hominis, qui eſt particula divini ignis, ſeu animæ mundanæ, [5] cum e corpore extricatur, adſcendit ad ætherem puriſſimum, & in ignem divinum inmergitur. [6] Quo ſenſu & mortalis, & inmortalis dici poteſt. Verum poſt extremam conflagrationem, & rerum inſtaurationem, vel idem, vel omnino ſimilis corporibus inſeretur: quæ eſt reſurrectio Stoica, a Chriſtiana plane diverſa. Quidam dicebant, malorum animos, materiæ contagione gravatos, in aere agitari, donec penitus diſſipentur: hic *infernus* illorum eſt. Animæ autem levio-

[1] *Seneca* Natur. Quæſt. L. II c. 32.

[2] *Seneca ib. L.* III. *c.* 29. [3] *Confer. J. Thomaſ.* de Exuſtione mundi Stoica. [4] *Seneca ibid. c. ult.*

[5] *Confer. Lipſius* Diſſert. VIII. p. 313. ſeqq.

[6] *Inconſtantes hic ſunt Stoici, ac varii, ut notat Menagius ad* Laert. L. VII. ſ. 175. *Alii animas ad conflagrationem uſque permanſuras exiſtimant: alii ſolas ſapientium: alii nullas.*

leviores, id eſt, quæ minus a materia noxæ & flagitii habeant, ad Lunam, ſeu turbidum ignem deferri, cum eo luctari, ibique purgari, uſque donec naturali motus lege, ad ſidera deferrentur. [1] Hæc tamen ridebant alii. [2]

3. Hæc ſunt præcipua Stoicæ phyſiologiæ decreta. Ex his Moralis philoſophiæ ſyſtema derivatur: quod cum Phyſiologico ita eſt connexum, ut ab illo ſeparari non poſſit: quod fuſius explicare, non eſt hujus loci. Unum monemus, Stoicos finem & felicitatem hominis poſuiſſe, vivere convenienter naturæ, ſeu ſecumdum virtutem, cujus ſemina animo noſtro inſculpta ſint. Hoc nihil aliud ſignificat, quam eſſe in nobis particulam divini ignis, cujus diſpoſitioni, & legibus fatalibus libenter ac perfecte parendum eſt. Itaque anima libera eſt, non quia hoc & illud velle, & nolle poſſit, ſed quia ſponte ſequitur id quo fata vocant: quæ niſi ſequatur, ab inevitabili lege ſequi coacta erit. [3] Cetera huc redeunt: ſolam virtutem eſſe *bonum*: ſolum vitium *malum*: ceteras res *indifferentes*. delicta omnia eſſe æqualia, nec iis eſſe ignoſcendum. Cum autem materia ſit origo mali, perturbationes, quæ inde proficiſcuntur, comprimendas eſſe, corpus duriter habendum, virtutem ſolam expetendam.

Tanta autem homini virtute ornato, ſeu ſapienti ſuo tribuunt Stoici, ut eum ſupra hominem evehant: talemque adumbrent ſapientem, qualis inter mortales nec ullus fuit, nec eſſe poſſit. [4] Hæc ſi tollis, plurima in Stoicorum ſcriptis morum præcepta egregia occurrunt. Laudantur autem

---

[1] *Plutarch.* de Facie in orbe Lunæ T. III. p. 383.

[2] *Seneca* ad Marc. cap. 19. *Confer. idem* Epiſt. 117.

[3] *Confer. Seneca* Epiſt. 107. *&* *Epictetus* Enchirid. c. 52.

[4] *Confer. Cicero in* Paradoxis Stoicor.

autem potiſſimum,quod jurisNaturalis principia,ſeu doctrinam de officiis erga Deum, erga ſe ipſum, erga alios, primi in ſcholis tradiderint: qua de cauſſa veteribus juriſconſultis Romanis admodum probati fuere. Et hæc ſecta ad Cæſaris dictatoris ætatem uſque cum honore pervenit, quo tempore Poſſidonius [1] & Mneſarcus [2] Athenis, & Romæ Stoicam doctrinam publice docuere.

Secta Platonica.

VIII. Sed præter ceteros Socratis auditores ingenii prædicatione claruit *Plato* Athenienſis, natus Olympiade LXXXVII. vel ſequenti. [3] Hic prima juventa Heracliti, & Parmenidis, Eleaticæ ſectæ alumnorum, philoſophiæ operam dedit ſub Cratylo, & Hermogene. [4] Deinde in Socratis diſciplinam ſe contulit. Defuncto Socrate veniens in Italiam, Pythagoricæ ſectæ animum adjunxit. Inde profectus Cyrenem Geometriam Diodoro doctore didicit: in Aegypto Aſtrologiam, unde reverſus Pythagoreis rurſum in Italia dedit operam. [5]

His præſidiis paratus, ex iis, quas didicerat, opinionibus ſyſtema ſuum compoſuit. Igitur ab Euclide Megarico, quem etiam audivit, ſumſit Dialecticam: a Cratylo, & Parmenide, Naturalis philoſophiæ præcepta, quæ apud Eleaticos vigebant: quibus alia junxit, quæ ex Pythagoreis acceperat: tum demum ab eodem Pythagora Meta-

[1] *Suidas* in Poſſidonio.

[2] *Jonſius de* Script. Hiſt. Phil. L.1I c.13.

[3] *Confer. Petavium* Ration. Temp. P. I. L. III. c. 13.

[4] *Ariſtoteles* Metaphyſ. L. I. c. 6.

[5] *Cicero QQ.* Tuſcul. V.c. 29.

[6] *Appulejus de* Dogmat. Platon. p. m. 283.

Metaphyſicam: Ethicam vero, & Logicam a Socrate. [1] Ex quibus omnibus ſyſtema glutinavit, quædam vel mutans, vel demens, quæ aliorum opiniones turpiter depravarent: in quo *ſyncretiſmum* i. e. adverſa adverſis conciliandi ſtudium prodidit. Docuit *Plato* in *Academia*, quæ erat gymnaſium ſuburbanum conſitum arboribus: [2] ex quo ſectatores nomen habuere Academicorum & Platonicorum.

Philoſophiam *Plato* eſſe dixit, converſionem animi ad ea, quæ re vera ſunt, & mente videntur, ut Deus, ut ideæ, ut animus a corpore ſejunctus. Ex hac contemplatione ſequi actionem, ſeu morum præcepta. Artem vero inveſtigandi verum utrique eſſe neceſſariam. Quare in tres Philoſophiam partes diviſit, Phyſiologiam, Ethicam, Dialecticam. [3]

1. Cum Dialectica viam ſternat ad intelligibilium, & univerſalium idearum contemplationem, qui finis eſt hominis, occupatur tota in iis, quibus ad illud pervenire poſſimus. Primum igitur nomina ſe offerunt, quæ rebus ipſis conveniunt: itaque de etymologia nominum diſputat. Deinde rei eſſentia occurrit, quæ definitione, diviſione, reſolutione cognoſcitur: de quibus etiam diſſerit ipſe. Poſtremo occurrunt adjuncta rei: hæc non aliter cognoſci poſſunt, niſi inductione, & ratiocinatione. Ratiocinatio autem vel eſt neceſſaria, ſeu *apodictica*: vel probabilis, ſeu *epicherematica*: vel inperfecta, ſeu quæ enthymemate conſtat, ut *rhetorica* plerumque. Sophiſmata ſunt falſæ ratiocinationes. Hæc tamen non via ac ordine expoſuit, ſed

D paſſim.

---

[1] *Appulejus l. cit. confer. Laert.* L. III. ſ. 8 & 56.

[2] *Confer. Menag. ad* Laert. L. III. ſ. 7.

[3] *In* Amatoribus *Tom. I. p.* 137. *ſeqq.*

paſſim dialogis adſperſit Socratis more, [1] quæ viri aliqui docti in unum collegerunt. [2]

Jamvero mens noſtra antea quam in corpore claudatur, primorum intelligibilium, ſeu idearum notitiam habuit, quæ per ſenſus adquiri non poteſt. Verum cum anima corpus contingit, earum obliviſcitur: nec niſi ſenſuum uſu, & appulſu phantaſmatūm excitantur, quæ vocatur *reminiſcentia*. Notitia vero rerum, quas antea per ſenſus cognovit, vocatur *memoria*. Senſus eſt animæ adfectio per organa corporis: intellectio eſt actio mentis, quæ ideas contemplatur. Intelligibilia prima ſunt ideæ: ſecunda ſunt ideæ in materia, ſeu *ſpecies*. Senſibilia prima ſunt qualitates: ſecunda concreta, ut *album*. Prima, & ſecunda intelligibilia judicat intellectio. Prima, & ſecunda ſenſibilia ſenſus. Quare & reminiſcentia, & ſenſu notitiæ adquiruntur: illæ ſcientiam, hæ opinionem generant.

Quamquam vero oriretur a ſenſibus, non eſſe tamen judicium veritatis in ſenſibus: mentem rerum eſſe judicem, ſolam dignam eſſe cui credatur. Judicium vero practicum fit cum notitias adquiſitas ad rationem boni, quod in animo inſitum eſt, referendo, bona, an mala ſint, dijudicamus. Hæc Logicæ veluti ſumma eſt: quam ipſe cum theoretica parte conjunxit.

2. Speculatricem diſciplinam in tres partes diſtribuit, theologiam Naturalem, Phyſicam, Mathematicam. Theologiæ hæc præcipua ſunt dogmata. Ex nihilo nihil fit.

---

[1] *De Logica præſertim agit in* Theæteto, Phædone, Phædro: *de ſophiſmatis in* Euthidemo, *&* Sophiſta: *de vocibus in* Cratylo.

[2] *Appulejus de* Dogmat. Platonis, *& Alcinous. Ex Recentioribus confer. Stanlejus* Hiſt. Phil. in Platone, *& Brucker. de eod. Tom. I. p. m. 672. ſeqq.*

fit. [1] Duo ſunt prima & æterna rerum principia, Deus, & Materia; quæ & ſeparata ſunt, & a ſe invicem non dependent. [2]

Materia & naturali inertia, & vi quadam congenita ſua rationi, ordini, bono adverſatur: id eſt, motu ſuo malo, & inordinato adverſatur opifici ſeu conditori, qui ratio eſt, ordo, & bonum. [3] Cauſſa ſeu conditor eſt incorporalis, & materiæ repugnans, qui ad eam libere accedens formavit mundum ſenſibilem: [4] ſed refractariam materiæ naturam plane vincere non potuit. Ex quo omnis mali origo. [5]

Ex Deo autem manavit aliud principium a ſe diver-

---

[1] *In* Timæo Tom. III. pag. 28. *quo Dialogo Phyſiologia Platonis continetur. Confer. Cicero* de Divinat. L. I. *Creationem ex nihilo nullos Gentilium agnoviſſe, nec admiſiſſe, erudite oſtendit Moshemius de* Creatione ex nihilo *apud Cudvvort. pag.* 957.

[2] „ *Hanc materiam eſſe ſempiternam, non vero in-* „ *mobilem, ait Plato*, Timæo Tom. III. p. 94. *&* *p.* 28. *Legatur Cicero* Academ. QQ. L. I. 6. *& Appulejus* de Dogmat. Platon. L. I. *p. m.*284. *& J. Vvolfius de* Manichæiſmo ante Manichæos *ſ.* 11. *§.* 32.

[3] Theæteto Tom. I. p. 176. & Timæo Tom. III. p. 30.

[4] *Suſpicio eſt, Platonem, qui Heracliti, & Pythagoræ dogmata amplexatus fuerat, credidiſſe, Deum eſſe ignem, & materiam ſubtiliſſimam, ſeu non eſſe* inmaterialem, *eo ſenſu quo nos accepimus. Sed id plane non conſtat: nec ipſe ſe aperuit. Confer. Moſhemius ad* Cudvvorthi Syſtema. c. V. ſ. 3. *§.* 7.

[5] „ *Voluit Deus bona facere omnia, malum autem nul-* „ *lum eſſe, quantum natura, ſive materia pateretur.* Plato in Timæo Tom. III. p. 30.

ſum, quod eſſet inſtrumentum cauſſæ; quodque ideam, ſeu λόγον id eſt, *rationem* nominavit. [1] Hoc omnes rerum ideas in ſe continet: quæ ideæ [hæ ideæ ſunt ipſimet numeri Pythagoræ] ſunt æterna rerum ſenſibilium exemplaria, ſeu ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes, a Deo ſeparatæ, quæ ſola mente cerni poſſunt. Hæ dum ad Deum referuntur, ſunt exemplaria: dum ad res materiales, quæ continenter labuntur & fluxæ ſunt, rerum forma, ſeu eſſentia ſunt: dum ad hominis mentem, ſunt objectum ſcientiæ. [2] Hæ etiam vocantur Dii.

Ex Deo ſecundo loco manavit anima mundi, quæ tertius Deus eſt. Hæc mundo indita mundum omnem pervadit, & præſertim in Sole, Luna, ac ſideribus latet, & motus inordinatos materiæ emendat, ordinatum motum efficit: ſed ex contagione materiæ aliquid participat, & media inter Deum, & Materiam eſt. [3] Quare & anima, & terra, & cælum, & ſidera, in quibus illa habitat, Dii vocantur: [4] qui tamen definito tempore geniti fuere. Itaque *cauſſa*, *ratio*, *&* *anima mundi* eſt celeberrima illa *Trinitas Platonica*, quæ a Trinitate, quam nos Catholici credimus, longiſſime diſtat. [5]

Ex hac anima mundi decerpti dæmones ſunt, quorum opera in condendis ſingulis mundi partibus uſus eſt Deus: eoſ-

---

[1] *Cyrillus* Contra Julianum I. p. 32.

[2] Timæo p. 28. e 94. & de Republica L. VII. *initio*. *Confer. Ariſt.* Metaph. L. VI. & VII. 14. *&* *Bruckerus* Hiſt. de Ideis. *§ V. p. 60. 66. ſeqq.* *&* *Petavius* Dogmat. Theol. Tom. I. L. 4. c. 9.

[3] In Cratylo Tom. III. p. 53.

[4] *Confer. Laert. L. III. ſ. 75.*

[5] *Confer.* *Moſhemius* ad Cudvvort. Syſt. c. IIII. §. 36.

eóſque mundi, & hominum gubernationi præfecit: [1] qua de cauſſa precibus, & muneribus ſunt proſequendi. Itaque quamvis duplex principium poſuerit *Plato*, & ad Atheiſmum viam muniverit; tamen Atheus dicendus non eſt, propterea quia, quæ inde conſequuntur, non admiſit: immo inter philoſophos Græcos optime de Deo docuit. [2] Et hæc de Theologia.

3. Phyſica vero *Platonis* ex iiſdem principiis proficiſcitur. Nam cum ex ſchola Eleatica, & Pythagorica ſua dogmata hauſerit, & Pythagoreorum more multum tribuerit Geometriæ, hujus ſtudio in notiones abſtractas facillime incidit, magno utriuſque ſyſtematis, quod depravavit, tum ipſius rei Phyſicæ malo. Itaque dicebat, mundum ſenſilem certo tempore genitum eſſe, [3] nimirum cum Deus materiæ fluxæ & informi, ideam ſeu formam adjecit. Ac primo ignem, & terram condidit, inter quos aerem, & aquam interpoſuit. Sphæricum præterea fecit, & animam in medio collocavit. Tum tempus condidit, & ſidera, quarum motu tempora diſtinguerentur. Animalium autem condendorum opus Deorum inferiorum eſſe voluit, qui eorum corpora machinarentur. Mundum autem ſic conditum, per animam univerſalem motu circulari volvi conſtituit. Quamquam vero mundus æternus, ut putat ipſe, eſſe debeat, ſunt tamen certæ periodi, quibus exactis, iterum mundus interno motu animæ actus, ad priſtinum ſtatum reduci debet. Et hic eſt decantatus *annus magnus* Platonis. [4]

[1] In Convivio, *Tom.* III. *p.* 201.

[2] *Confer. Thomas.* de Exuſtione Mundi Stoica, Diſſert. II. *§.* 25.

[3] *In* Timæo.

[4] *Confer. Voſſius* de Idololatria L. II. c. 35.

Ex anima mundi plures animæ decerptæ ſunt. [1] Hæ cum ex eadem eſſentia, ex qua genitæ ſunt ideæ, manarint, & cum Deo converſatæ ſint, rerum omnium ideas habuerunt. [2] Porro animæ ſingulis aſtris ſunt adtributæ, & certis ac inevitabilibus legibus ſubjectæ: nimirum iis legibus, quas Deus animæ univerſali præſcripſit, & hujus adjumento inordinatos materiæ motus compeſcuit. Sed animæ libertate ſua abuſæ, expulſæ a mundo ideali, in corpus, tamquam in carcerem, detruſæ ſunt. In hoc autem carcere hanc pœnam pendunt. Primum corporis contagione ideæ intelligibiles pæne deletæ ſunt: & quemadmodum in tabula ſcripta, quæ cera inlita eſt, non niſi remota cera prioris ſcripturæ veſtigia apparent; ita animus noſter ſenſuum velamine involutus, non niſi phantaſmatum appulſu æterna ſemina veritatis, quæ in eo inſita ſunt, agnoſcit. [3] Deinde inordinati motus ex materia in animo excitantur: quos qui compeſcuerint, & ad leges præſcriptas ſe conformaverint, ad eadem aſtra reverſuri ſunt, ut rurſum ad corpora priorum non diſſimilia deſcendant. Qui ſecus fecerint, ſexu mutato feminæ evadent: & ſi ne tum quidem peccandi fecerint finem, in corpora brutorum, & deteriora trudentur; uſque donec adfectibus ſubactis, & abſumpta maligna illa & materiali animæ parte, ad priſtinam contemplationem & beatitatem queant accedere. [4]

Quoniam igitur anima mundi a materia habet aliquid ma-

---

[1] *In* Philebo p. 30. *de* Legib. *L. X. Tom.* II. *pag.* 899. *Confer J. Thomas. de* Fonte Animarum.

[2] *In* Timæo p. 81. *&* *in* Phædro p. 249.

[3] Theæteto. Tom. II. p. 191. *Confer.* Cratylus Tom. I. p. 400.

[4] *Confer. Baltus*, Defenſio PP. qui de Platon. accuſ. L. III. c. 5. *Petavius l. c.*

mali, ita & anima humana, quæ ex illa manavit: quæ rurſum conjunctione corporis magis magiſque mala evadit. [1] Quare felicitas animi in hoc conſiſtit, ut pars rationalis non rationalem ſeu materialem moderetur.

Omnino autem tres ſunt animæ in homine. Rationalis in capite eſt: mortalis pars illa, quæ iræ, & cupiditati eſt ſubjecta, in diſtinctis pectoris & trunci partibus. [2] Anima rationalis eſt inmortalis: [3] mortales ceteræ. Illa etſi fato, id eſt, rerum ordini a Deo præſcripto animæ mundanæ, & per eam mundo, ſubjiciatur; tamen libera eſt, & fati legibus interdum reſiſtere poteſt. [4]

Corporis humani fabricationem item in *Timæo* explicat *Plato*: ſed pleraque & obſcura, & talia dixit, quæ viris phyſica perſcrutatione ſubactis non adrident. [5]

4. Ex Mathematicis diſciplinis Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam extollit, quatenus harum præſidio animus ad intelligibilia contemplanda præparatur. [6]

5. Practicæ philoſophiæ duas partes fecit, Moralem, & Civilem. Utramque vero [7] ex principiis phyſiologicis, de divinis, de materiæ condicione, de animæ natura deduxit. Ea tamen ſparſim tradidit, nec niſi maximo cum labore colligi poſſunt. Celebriora decreta talia ſunt. Primum bonum eſt Deus: noſtrum bonum eſt ſcientia primi boni. Mens, divina propago, ſola aliquam boni ſimilitudinem conſequitur. Honores, opes, cetera non ſunt bonum, niſi cum virtute ſint conjuncta. Hinc Philoſophorum animi poſt mortem

[1] *In* Timæo p. 41. [2] *Ibid. p. 59.*
[3] In Phædone Tom. I. p.69. ſeqq.
[4] *Plutarch.* de Placit. L. I. c.27.
[5] *Confer. Schulzius*, Hiſt. Medic. Per. I. ſect. 3. c. 6.
[6] *Confer.* L. VII. de Republica.
[7] *Bruckerus de* Platone p. m. 720.

ſummis bonis, ſumma beatitate fruuntur. Solum honeſtum eſt bonum, & aptum ut Deo ſimiles ſimus, quantum genus humanum, & animi natura patitur. Qui animus, quod ex eſſentia divina quarto loco manavit, eidem poteſt adſimilari. Hæc adſimilatio eſt beatitudo, ſeu ſcopus Philoſophiæ. [1] Ergo ſola virtus eſt quærenda: quam qui habet, is ſolus eſt beatus, & ei mala corporis nihil ſunt. Qui non habet, præter ceteros mortales miſer eſt. Itaque curare debemus, ut cupiditates, & adfectus domemus: ut virtutes adquiramus: & Mathematicarum adjumento ideas magis magiſque abſtractas formemus, donec ad primam illam veramque ideam perveniamus; cujus contemplatio ſeu ſcientia beatitudo eſt. Qua de cauſſa de virtutibus diſſerit *Plato*. [2]

Politicam itidem adtigit *Plato* libris de *Republica*: ſed talem rempublicam informavit, quæ non niſi hominis fanatici partus ſit, nec niſi in Platonis cerebro exſiſtere poſſit, propterea quia ex Metaphyſicis, & abſtractis ideis tota componitur. [3] Iccirco nihil de ea diſtincte præcipiemus. Si ſeorſum leges ſpectes, quædam non incommode dicta in ea ſe offerunt: ſin ad ſyſtema referas, nullius uſus ſunt. Et de Platonica diſciplina hactenus.

Academia Vetus.

VIIII. Platonem excepit *Speuſippus* Athenienſis, Platonis ſororis filius, ab eodem inſtitutus & formama-

---

[1] *Confer. Schefferus de* Natur. Phil. Italicæ c.7.

[2] *De Ethica Platonis confer. Alcinous* Introd. in Platon. c. 27. ſeqq. *Cicero* Academ. QQ. L. I.

[3] *Confer. Paſchius de* Fictis Rebuſpublicis. *Boeclerus* Bibliograph. Crit. c. 44. *Conringius de* Civili Prudent. c. 14.

matus: qui præceptoris dogmata in Academia ſummæ cum dignitate & laude expoſuit. [1] Huic vero Xenocrates, Polemon, Crates Athenienſis, & Crantor adſtipulati ſunt, qui omnes Platonicam philoſophiam tradiderunt: quæ tamen temporis progreſſu aliquantulum mutata eſt. Et hi quidem Socratis, & Platonis more de multis in utramque partem diſputabant: multa tamen pro certis ponebant.

Academia Media.

X. *Arceſilas* vero Platonicæ inſtitutionis faciem mutavit. Primum is operam dedit Mathematicæ, Autolyco, & Hipponico doctoribus. [2] Deinde philoſophiæ Ariſtotelicæ ſub Theophraſto. Tum Platonicæ ſub Polemone. [3] Poſtremo ex Dialecticorum, & Pyrrhonis philoſophandi ratione multa deſumſit, ex quibus novam Philoſophiam adornavit. [4]

Itaque *Arceſilas* Platonicum dogma [*ſola cognitio „ æternarum idearum eſt ſcientia: cognitio, quæ per ſenſus „ adquiritur, eſt opinio, propterea quod res, quæ ſub ſenſum „ cadunt, ſunt mobiles, concitatæ, nihil conſtans, omnia con- „ tinenter labuntur*] ita recepit, ut partem illam de ideis, quæ ceteri ridebant, abjecerit, vel potius celaverit: tantum ſenſuum tarditatem aperte ſit amplexatus. Quare pro certo adfirmavit, nihil eſſe in rebus ſenſibus ſubjectis, quod a viro ſapiente certo ſciri poſſet; nihil pro explorato habendum eſſe, ne illud quidem, quod Socrates frequenter in ore habuiſſet, *nihil ſe ſcire*. [5] Sed cohibendum adſenſum, & de omnibus in utramque partem eſſe diſputandum, pro-

---

[1] *Laert.* L. IIII. ſ. 1.
[2] *Laert. ibid.* ſ. 28. [3] *ibid.*
[4] *Empiric.* Pyrrh. Hypot. L. I. c. 33.
[5] *Cicero* Acad. QQ. L. I. c. 12.

propterea quod omnino latet veritas & tenebris eſt circumfuſa. Hæc ad ſcientiam pertinent: nam in uſu vitæ opinionem valere putavit. Et hæc ἀκαταληψίας, quæ in Academia obtinuit, baſis eſt.

Id eo conſilio fecit *Arceſilas*, ut ſe opponeret Dialecticis, & Sophiſtis, [1] & Stoicis, qui cavillationibus ſuis viros doctos fatigabant: & magnam eruditionis, & ingenii laudem ſibi tribuebant arroganter. Cumque elegantiori eruditione eſſet ornatus, & incredibili dicendi vi ac copia valeret, adeo ſua dogmata aliis probavit, omnino ut eamdem Philoſophiam longe lateque diffuderit: quæ ratio uſque ad Egeſinum in Academia perduravit.

Academia Nova.

XI. Egeſini diſcipulus *Carneades* Cyrenæus, vir eloquentiſſimus, cum animadverteret, Academiam Mediam in magnam invidiam eſſe adductam, propterea quod mentis, & ſenſuum tolleret certitudinem; adeoque officia omnia & pietatem tollere videretur; hanc emollire conatus eſt non nova doctrina, ſed novo explicandi modo. Quo tempore docuerit *Carneades*, magnâ lis eſt inter viros doctos. Bruckero [2] veriſimilior videtur Laertii ſententia, qui eum obiiſſe ſcribit Olympiadis CLXII anno 4., cum vixiſſet annos LXXXV. Audivit ille primum Diogenem Stoicum: [3] poſtea ad Academiam ſe contulit.

Hac ergo uſus induſtria *Carneades*, ea, quæ Arceſilas non niſi diſcipulis ſecreto aperiebat, nimirum hanc incertitudinem non in rebus ipſis, quæ vel veræ, vel falſæ ſine dubio ſunt, ſed in iis ut a nobis cognoſcuntur conſiſtere; pla-

---

[1] *Empiricus loco. cit.*
[2] Hiſt. Ph. Tom. I. p. 761. ſeqq.
[3] *Cicer.* Acad. QQ. L. IIII. c. 6.

plane profeſſus eſt. Docuit igitur contra Dogmaticos, & Stoicos, eſſe quidem aliquid verum, & falſum, ſed latere hominem, propterea quod omnibus veris falſa quædam ſint adjuncta tanta ſimilitudine, ut nequeant diſcerni: [1] ex quo ſequitur, ſcientiam non dari. Tamen in hac rerum incertitudine, & adſenſus retentione concedebat ſapienti opinari, id eſt probabiliter ex adjunctis judicare: & docebat quo pacto probabile viſum adquireret, ex quo vitam & mores componeret. [2] Quod ſane omiſerat Arceſilas, qui de moribus nihil præceperat: tametſi præferret mores Philoſopho dignos. Hanc autem diſputandi rationem hujus auditor Clitomachus in Academia retinuit.

XII. *Philo* Lariſſæus, Clitomachi auditor, *Quartam Academiam* non nullis condidiſſe videtur,[3] & alio modo Carneadis doctrinam explicaſſe. Reapſe vero nihil videtur novi adtuliſſe, quo alterius Academiæ conditor nominetur. Immo vero oſtendit erraſſe eos, qui duas Academias eſſe putaſſent. [4]

XIII. Hujus auditor *Antiochus* Aſcalonita *Quintæ Academiæ* parens vocatur hoc nomine, quod Stoicam, & Peripateticam ſectam cum Academia copulare voluerit: [5] adeoque Ciceroni paucis mutatis germanus videtur Stoicus. [6] Reapſe tamen nihil aliud facere videtur, quam veterem Academiam ſuſcitare. [7] Et hic Philoſophus in Cæſaris, & Pompeii cadit ætatem. Utrumque enim Philonem, & Antiochum Cicero audivit: poſt quos Academia apud Græcos obmutuiſſe videtur.

Se-

[1] *Idem de* N.D. L. 1. c. 5.

[2] *Confer. Sextus Empiricus* Adv. Mathem. L. VII. ſ. 153. [3] *Empiricus l. c.*

[4] *Confer. Cicer.* Acad. I. 4. & III. c. 4.

[5] *Empiric. L. II. ſ.* 235.

[6] Acad. QQ. L. III. c. 43. [7] *Idem ib. c.* 22.

Secta Ariſtotelica.

XIIII. Venio ad *Ariſtotelem*, nobilem Platonis diſcipulum: de quo ſi omnia vellem referre, exitum nullum reperiret oratio: iccirco, quæ neceſſaria videbuntur, quam poterimus breviter delibabimus. Fuit is patria Stagirites, urbe Thraciæ: [1] Olymp. XCIX. anno I. natus. Annum agens XVII. dedit operam Platoni, qui Athenis docebat. Ingenio, labore, eruditione condiſcipulos omnes ſuperabat, ex quo vir doctiſſimus evaſit. [2] Mortuo Platone ludum aperuit in Lyceo nobili gymnaſio in ſuburbio Athenienſi. [3] Cumque ambulans diſputaret, appellatus eſt Peripateticus: [4] quamquam,ut recte Bruckerus, [5] jam ante Plato diſſerens ambularit, & *Ariſtoteles* aliquando ſedens docuerit. Cetera lubens prætereo.

Plurima ſcripſit *Ariſtoteles*: ſed pauca eo vivente emiſſa fuere: [6] reliqua longo poſt tempore. Perierunt multa, [7] exſtant alia, quorum ſuppoſiticia multa ſunt. [8] Diſputat in iis de Rhetorica, Poetica, Logica, Phyſica, Metaphyſica, Ethica, Politica.

1. Logicam in Demonſtrativam, & Dialecticam diſpertivit: illa veritatem certam, hæc probabilem habet pro fine. Primo igitur de Terminis, deinde de Categoriis diſſerit: poſt de Signis conceptuum, & Enuntiationibus:

---

[1] *Suidas in* Ariſt. [2] *Laert. L. X. ſ.* 27.

[3] *Confer. Andreas Schmidius* Diſſ. de Gymnaſiis Litter. Athen. p. 36. [4] *Laert. L. V. ſ.* 2.

[5] *In* Ariſtotel. Tom. I. *pag. m.* 787.

[6] *Patricius* Diſc. Perip. Tom. I. L. II. p. 71.

[7] *Confer Fabricium in* Bibl. Græca Vol. II. *qui Ariſtotelis libros enumerat diligenter.*

[8] *Conf. Patricium l. c. p.* 39.

bus: tum de Syllogiſmis generatim, deinde de Demonſtrativo, deinde de Probabili, poſtremo loco de Fallaciis ſyllogiſmorum. Hæc fere omnia acceperat a Platone.

Hæc quoniam vulgaria ſunt, fuſius explicare ſupervacaneum eſſet. Finis Ariſtotelis in Logica eſt, contra Sophiſtas, qui tum regnabant, diſputare, [1] & ad hunc finem diſputationes ſuas conformat. Hunc ſi tollas, pleraque, quæ ibi ſunt, nullum uſum habent in præſentia. Unum monemus, eum Platonico principio innixum, naturas illas communes, quas in materiam inmerſas eſſe putabat, ſubjectum demonſtrationis & ſcientiæ feciſſe: in rebus vero moralibus, quæ mutationi ſunt ſubjectæ, perſpicuæ ratiocinationi ſeu demonſtrationi locum non dediſſe. Quod quam ſit erroneum, nemo non intelligit.

2. Metaphyſica *Ariſtotelis* pro fine habet, ſubſtantiarum, præſertim Dei, notitiam exponere: non vero notiones univerſales ſolum, ut plerique putant. Itaque primum de ente generatim, & ſubſtantia diſſerit, poſtea de Deo. Tres, ſecundum eum, ſubſtantiæ ſunt claſſes: una corruptibilis, ut animantia: altera ſempiterna, ut cælum: tertia inmobilis, [2] quæ ſit primus motor. [3] Nam cum ab æterno tempore, ut ait, cælum moveatur, progreſſus autem infinite dari non poſſit, primus motor ſit neceſſe eſt, qui cælum moveat, ipſe inmobilis. Hic motor primum cælum motu circulari agit, non tamquam anima, ſed tamquam moderator & *adſiſtens*. Sphæræ vero inferiores ab intelligentiis *adſiſtentibus* moventur ex motu primi motoris. Has intelligentias a Deo non creari quidem, ſed ex eo manaſſe, ex illius ſententia poſſumus ſuſpicari.

Primus motor movet appetendo, & intelligendo, id eſt, non ut cauſſa efficiens, ſed finalis: ſeu, quod idem eſt, eſſen-

---

[1] *Confer. Ariſt.* de Interpret. c. 6.
[2] Metaph. XI. c. 1. [3] *Ibid. c. 6.*

eſſentiæ, bonitatis, & potentiæ ſuæ actione poteſt movere omnia, vult ea movere, reapſe moventur. Intelligentiæ inferiores, ad exemplar æterni motoris, & ipſæ modo intelligibili, & ex deſiderio moventur, & movent. [1] Primus motor ſeu Deus eſt ſubſtantia nobiliſſima, æterna, inmobilis, a ſenſilibus diverſa, indiviſibilis: item perfectiſſima fruitur vita, quæ in hoc conſiſtit, quod ſe ipſum intelligit, & cum infinita contemplatione delectatur. Motores inferiores ſunt itidem inmateriales, & æterni, & Dii. Cetera, quæ de dæmoniis dicuntur, ad fabulas ſunt referenda. [2]

Itaque æternus, ſecundum *Ariſtotelem*, eſt mundus, [3] æterna materia, nec ab ullo genita aut producta. Primus autem & æternus motor inextricabili vinculo primo cælo conjunctus eſt: idque non libere, ſed neceſſario movet. [4] Nec aliquid aut velle, aut facere poteſt, niſi quod facit neceſſario, non propter alios, ſed propter ſe. Sphæras non alia ratione movet, quam primum mobile in aliqua machina, fabricationis lege, cum reliquis machinæ partibus motum participat. Quæ vero ſub Luna ſunt, a *calidi univerſalis* motu, vel intelligentiæ univerſalis, quæ in orbe terræ eſt, voluntate proficiſcuntur, vel caſu.

Hinc inmenſus Deus non eſt, quia primo cælo eſt alligatus. Omnipotens, & liber non eſt, propterea quod nec materiam, nec mundum condidit, nec aliud facere poteſt, quam quod facit; nimirum motum æternum. Provi-

---

[1] *Confer. Conringius* Conringiana p. 125. *qui ait, id Aphrodiſæo, et acutioribus Peripateticis placuiſſe.*

[2] *Confer. Moshem.* ad Cudworthi Syſtem. c. XIII. §. 24.

[3] Ariſtoteles credidit mundum ab æterno exſtitiſſe. *Conimbric.* L. III. de Anima c. 5. litt. c.

[4] *Confer. Ariſt.* de Cælo L. II. c. 3.

videns non eſt, quod nihil rebus ſublunaribus, nihil humano generi aut tribuere poteſt, aut auferre, otioſus tantum ſui contemplator. Colendus non eſt, quia nec bene pro meritis capitur, nec ira tangi poteſt, nec mala punire, adeoque nec ſacrificiis placari, nec ritu ſacro coli debet.

Hæc *Ariſtoteles*. Et quamquam interdum videatur ipſe adfirmare, Deum aliquam mortalium gerere curam, id dicis gratia, & ad populi invidiam declinandam dictum eſſe, dubitabit nemo, qui Ariſtotelici ſyſtematis nexum diligenter examinarit. Quare ad Atheos ſecundi ordinis *Ariſtoteles* eſt referendus, eos nimirum, qui Deum nomine retinentes, tales illi proprietates adfingunt, quæ naturam Dei funditus evertant. Quod jam viris doctis initio ſuperioris ſæculi ſuboluit. [1]

3. Phy-

---

[1] „ *Ariſtoteles mundum æternum docet. Deum* „ *non eſſe factorem mundi, neque hominum, neque doctorem,* „ *qui communicet nobiſcum vel in ſomno, vel in vigilia: nec* „ *beatorum ante & poſt mortem, quippe nobiſcum nec habere* „ *poteſt commercium, nec curat, nec intelligit inferiora.* „ *Item animas humanas eſſe corporum formas corruptibiles,* „ *unam vero univerſalem ſemper vivere, quia non eſt actus* „ *corporis. Proeterea idem Ariſtoteles negat præmia, &* „ *pœnas poſt mortem, unde Averroes ſcripſit contra tres le-* „ *giſlatores, Chriſtum, Moſem, Mahometum. Præterea* „ *Ariſtoteles tradit, Religionem eſſe inventionem politicam,* „ *non autem natura conſtare: amplius negat, exſtare dæmo-* „ *nes, & angelos, niſi eos, qui affixi cælo movent orbes.* Thomas Campanella Dominicanus *de Reductione Gentil. c. 2. num. 19.*

„ *Illud inprimis occurrit reprehendendum, quod Ari-* „ *ſtoteles poſuit, mundum, ejuſque materiam primam æter-*

„ *nam,*

3. Phyſicam partitur in generalem, & particularem. Illa generales notiones principiorum, hæc res ſingulas ſeorſum perſequitur. Principio Philoſophorum principia Phyſica rejicit, & ait, principia eſſe tria, materiam, formam, privationem. Veterum opinio erat, materiam ex particulis alia & alia ratione motis & copulatis conſtare: formas vero vel ineſſe particulis; vel, ut Platoni placuit, eſſe ideas ſeu eſſentias univerſales, æternas, a Deo manantes, quæ materiæ adjicerentur. *Ariſtoteles* contra ait, materiam omnis qualitatis, & quantitatis eſſe expertem, ideoque non corpus; [1] ſed eſſe ſubjectum ex quo formæ educerentur, & cui inprimerentur. Revera tamen Pythagoræ, & Platonis materiam admittebat. [2]

Natura eſt principium motus, & quietis, in eo in quo eſt. Natura ineſt omnibus ſubſtantiis materialibus, & conſtat materia, & forma: ſed magis eſt forma. [3] Quid vero reapſe ſit hæc natura materialis, non explicat, ſed Metaphyſica notione contentus eſt. Nam materia non eſt effi-

---

„ *nam, primum motorem ſupremæ modo ſphæræ medio cir-*
„ *culo inſiſtentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum*
„ *intelligere, niſi ſe ipſum: nec aliud efficere, quam motum*
„ *æternum: proinde nec mundum, nec aliud quidpiam ex nihilo*
„ *creare poſſe. Itemque de reliquis intelligentiis, quarum infi-*
„ *mam videtur facere intellectum agentem, & animam unam*
„ *communem toti ſpeciei humanæ, unde conſurgit innume-*
„ *rabilium errorum ſeges*. Claudius Berigardus *Præfat. ad Circulos Piſanos: quo nemo melius inpietatem Ariſtotelis in ſuo lumine collocavit. Confer. Conringius* Conringiana p. 125. ſeqq.

[1] *Ariſt*. Metaph. I. c. 6. *Confer. Moſhemius* ad Cudworthi Syſtem. Intellect. c. v. ſ. 2. *§*. 27.

[2] Phyſicor. L. II. c. 1.

efficiens: forma vero, ut cum materia conjungatur, effectore opus habet. Non inepte aliqui viri docti cum Averroeſio ſuſpicantur, nomine naturæ intellexiſſe eum, *neceſſarium influxum inferioris intelligentiæ, quo formæ in materiam inducuntur, & motus naturalis excitatur, ex quo producuntur omnia*. Poſt hæc de quatuor cauſſarum generibus agit: & fortunam, & caſum inter cauſſas effectrices refert. Tum de motu, infinito, loco, vacuo, tempore per ideas abſtractas diſputat.

Quidquid movetur ab alio movetur: proceſſus infinitus eſt inpoſſibilis: igitur ſit primus motor neceſſe eſt, inmobilis, æternus, quia ab æterno tempore movet. Nam ſi motus incepiſſet, primus motor non potuiſſet movere, nec tempus eſſet æternum. [1] Quatuor ſunt Elementa: cælum vero eſt quinta ſubſtantia nobilioris naturæ. Unicus eſt mundus, & æternus, adeoque nec gigni, nec corrumpi poteſt. [2] Quod ex ſyſtemate Ariſtotelis Metaphyſico fluit, in quo mundus primi motoris neceſſarius vel effectus, vel ſubjectum eſt. Cetera, quæ de ſtellis, motu cæli, elementis, addit, prætereunda ſunt.

De Anima peculiaria dogmata ſibi fecit Ariſtoteles: in quibus, ſi uſquam alibi, obſcurus eſt. Anima eſt, prima *entelechia* corporis organici. Quid autem ſit prima *entelechia*, nec ipſe videtur intellexiſſe, nec interpretes ulla induſtria explicare potuerunt. Veriſimile eſt, Ariſtotelem ea deſignaſſe principium ſentiendi, & intelligendi, quid-

---

[1] *Confer. Zabarella* de Inventione æterni motoris.

[2] *De* Cælo *L. I. c.* 12. *Confer. Thomaſius* de Exuſtione Mundi Stoica. Diſſ. 4. *Merito a viris doctis rejiciuntur quidam Ariſtotelis Interpretes, qui bujus capitis verba, in quibus tam clare Ariſtoteles ait, æternum, & ingenerabilem a Deo eſſe Mundum, ut nihil ſupra; ad Catholicum ſenſum obtorto collo flectere conantur.*

quid illud ſit. Anima movetur ab alio. Tres habet facultates, nutrientem, ſentientem, rationalem. Præter ſenſus externos datur ſenſus aliquis communis, qui ab intellectu differt. Phantaſia differt a ſenſu, & intellectu. Ex ſenſu phantaſia, ex hac cogitatio mentis oritur. Ex phantaſia memoria, quæ a cerebri conſtitutione pendet.

Duplex eſt intellectus, patiens, & agens. Patiens omnium rerum formas recipit: agens eſt potentia, quæ cognoſcit, & inluſtrat phantaſmata, ac intellectum patientem. Agens eſt inmortalis, æternus, expers paſſionis, & a corpore ſeparari poteſt: patiens eſt mortalis. Duplex eſt actio intellectus, aprehenſio, & judicium, in quod veritas, & falſitas cadit. Intellectus vel eſt ſpeculativus, qui rem contemplatur; vel practicus, qui voluntatem movet: hic intellectus, una cum appetitu motus localis eſt principium. Voluntas ſequitur judicium rationis: appetitus ſenſitivus ſenſui, & phantaſiæ obtemperat. Vita hominis eſt animæ cum calore conjunctio: caloris autem principium eſt in corde, quo extincto, extinguitur animans.

Rem igitur in pauca conferendo conſtat, ex Ariſtotelis ſententia intellectum *patientem*, quæ eſt hominis forma, eſſe mortalem: *agentem* vero inmortalem. [1] Deinde intellectum agentem, qui ſeparari poteſt a corpore, corpori humano advenire. [2] Et quamquam, periculi declinandi cauſſa, non explicarit, ex quo fonte intellectus inmittitur in corpus: item, an unus intellectus agens in

[1] „ *Separatus vero* [agens] *id eſt ſolum quod eſt*, „ *atque id ſolum eſt inmortale perpetuumque* . . . . „ *Intellectus vero paſſivus extinguitur*, *& ſine hoc nihil in-* „ *telligit* [intellectus agens & ſeparatus] *Ariſtotel.* de Anima L. III. c. 5.

[2] *De* Gener. Animal. L. II. c. 3. *Confer.* *Nazianz.* Orat. de Spir. S.

in omnibus, an ſingulis hominibus ſinguli tribuantur: item an ſit *informans*, an *adſiſtens*; tamen ex ſyſtemate Phyſiologico ejus plane deducitur, hunc mentium fontem eſſe ultimam intelligentiam æternam, quæ dum hominum phantaſiæ conjungitur, ut *adſiſtens*, conſtituit & componit plures animas rationales. Ex quo conſequitur, animam hominis eſſe mortalem. Nam etſi intellectus ille univerſalis ſit immortalis, tamen cum ipſe ſolum ſit animus hominis, dum conjungitur phantaſiæ, & animæ mortali, ſeu intellectui patienti; fit conſequens, ubi ab eo ſeparatur, & ei amplius non adſiſtit, deſinere animum hominis, ut animus eſt.

Hanc de anima mortali, & intellectu univerſali ſententiam plerique PP. Ariſtoteli tribuerunt: [1] hanc Dicæarchus, hanc Alexander Aphrodiſienſis, hanc Averroeſius, & poſt eum Pomponatius, Cremoninus, Cæſalpinus, & plerique Peripatetici germanam præceptoris mentem eſſe dixerunt. Tantum Alexander, Averroes. Zabarella putarunt, hunc intellectum univerſalem eſſe primam intelligentiam: cum tamen ultima eſſe videatur. Huic nos ſententiæ ante annos plures ex ipſa Ariſtotelis lectione adſenſi eramus: ſed in eadem nos confirmavit judicium Bruckeri. [2]

4. Ethicam Ariſtoteles libris ad *Nicomachum*, & *Magnorum Moralium*, & in libro de *Virtutibus* expoſuit. Sed eam falſis Metaphyſicæ, & Phyſicæ notionibus depravavit. Hujus autem ſumma eſt. Felicitatem & bonum conſiſtere in actione animi, & operatione ſecundum virtu-

 tem:

---

[1] *Loca PP. adfert Baltus Jeſuita* Jugement des SS. PP. ſur la Morale de la Philoſ. Pay. c. 17. *Ex Veteribus vero Euſebius* Præpar. Evang. L. XV. c. 9. *Confer. Launoius* de Fortuna Ariſtotelis. c. 1.

[2] *Vide Brucker.* in Ariſt.

tem: & in ea perfectam voluptatem contineri. Externa bona, ut amicorum copia, divitiæ, honores, nobilitas, pulcritudo, ſunt inſtrumenta ad res ſecundum virtutem agendas. Virtutes vel ſunt practicæ, quæ ad voluntatem: vel theoreticæ, quæ ad mentem ſpectant: quarum utramque claſſem ipſe perſequitur. Virtus moralis in mediocritate omnium adfectuum conſiſtit: & ad eam odium, & ira revocatur. [1] Virtus conſilio & voluntate fit, & ſpontanea eſt actio, cujus principium in nobis eſt. [2] Neque enim Deus, inquit ille, rerum humanarum curam habet, ſed omnia caſu, fortuna, conſilio reguntur. Virtus cum amicitia eſt conjuncta: cujus finis eſt vitæ ſocietas. Beatitudo altera eſt contemplativa, quæ contemplatione rerum continetur: altera activa, quæ in actionibus virtuti conſentaneis poſita eſt: tertia beatitudo eſt ex bonis externis. Prima perfectior ſecunda eſt: hæc tertia: tertia vero ad ſecundam requiritur. [3]

Ex his perſpicuum fit, Ariſtotelem vera principia Moralis philoſophiæ ignoraſſe. Nam præcepta ſua non ex honeſtatis fontibus duxit, neque actiones internas ad honeſtatis regulas conformavit: ſed virtutem civili felicitate definivit, & hominem inſtituit, qui in aula ad fortunæ apicem adſpirare, & felicitatem civilem conſequi poſſit. Quare non hominem pium, non probum facit: ſed bonum Politicum, qui ad Regis actiones mores componere, eique placere ſciat, & his præſidiis fortunæ humanæ faſtigium obtinere poſſit. [4] Quare Ethica illius eſt pars Civilis philoſophiæ, ut ipſe Ariſtoteles diſerte faſſus eſt. [5]

In

[1] Moral. L. II. c. 5. 8. 9. [2] *Ibid. L.* III. c. 5.

[3] *Compend. Mor. Ariſt. habes apud Stobæum* Eclog. Phyſ. & Ethic. L. II. p. 184. ſeq.

[4] *Confer. Chr. Thomaſius* Hiſt. Juris Naturæ c. IIII. §. 10. [5] *Fine* Ethicorum.

In Politica, & Oeconomica ea tradit, quæ potius ſuæ ætatis Principibus, & Græcorum moribus, quam Romanorum, aut earum gentium, quæ horum inſtitutis reguntur, ſint accommodata. Quamquam non eſt negandum, Ariſtotelem, virum doctum & acutum, quique cum Regibus, eorumque conſiliariis diu multumque verſatus fuerat, & Politicorum artes penitus cognoverat; multa egregia dixiſſe non ſolum in Ethicorum libris, ſeu parte generali Politices, verum etiam in iis, quos paullo ante nominavimus, quæ ad vitam cum publicam, tum privatam moderandam perquam utilia ſunt, & accommodata. [1] Hæc de libris, nam de philoſophandi ratione tertio libro dicemus. [2]

XV. Docuit poſt Ariſtotelem in Lyceo *Theophraſtus* auditor, patria Ereſſius, vir excellentis ingenii, & copioſæ eruditionis, iſque eloquentiſſimus: qui per Stratonem Lampſacenum, alioſque uſque ad Diodorum Ariſtotelicam doctrinam & philoſophandi viam tranſmiſit. [3] Vixit Diodorus Catonis cenſoris ætate, & poſt: id eſt, Romana republica florente. Scripſit multa, ex quibus ſuperſunt libri quidam de Phyſica, mutili, & depravati. [4] Et hoc Philoſopho Peripatetica ſchola finem fecit: tametſi non nulli poſt ea tempora ex eadem diſciplina philoſophati ſunt, & Julii Cæſaris ætate floruerunt: velut Andronicus Rhodius, Tyrannio Amiſenus Grammaticus, alii. [5]

 Unum

---

[1] *Confer. Conringius* Introd. in Ph. Ariſt.

[2] *Confer. Gaſſendus in* Exercitationibus Paradoxis adverſus Ariſtotelicos, *ubi Ariſtotelis errores dilucide exponit.* [3] *Confer. Clem. Alexandr.* L. I. Strom. p. 301.

[4] *Fabricius* Biblioth. Gr. Tom. II. p. 241. *eos recenſet.*

[5] *Peripateticorum ſyllabum texit præter ceteros J. A. Fabricius* l. c. p. 272.

Unum monere neceſſarium judicamus, nempe hos Philoſophos nomine magis, quam re, Ariſtotelicos fuiſſe. Cauſſa hæc fuit. Ariſtoteles cum difficulter libros ſuos ederet, præcipuos Theophraſto ſucceſſori tradidit: qui moriens una cum ſuis legavit teſtamento Neleo Scepſio, & ab eo Scepſin lati fuere. Neleus utriuſque Philoſophi ſcripta reliquit heredibus: qui, cum intelligerent Pergamenos reges, cujus imperio obtemperabant, libros omni ex parte perquirere, ad augendam Pergami bibliothecam; in ſubterranea foſſa eos occultarunt, ubi CXXX. annos & eo amplius latuere. Inde extracti carie pæne confecti, venduntur Apelliconi Teio docto homini, qui Philoſophorum libros anxie conquirebat, & inſtructiſſimam bibliothecam Athenis erexerat in Piræeo. Qui cum libros deſcribendos curaſſet, lacunas vel ex ſuo, vel aliorum ingenio, qui omnino inpares erant Ariſtoteli emendando, inperite ſupplevit, & emendavit. Paullo poſt L. Sulla receptis, & expilatis Athenis, [1] Apelliconis bibliothecam Romam deferri curavit. Hic primum Tyrannio Amiſenus, qui gratia apud Sullam valebat, facta ſibi poteſtate, codices, quos voluit, deſcripſit; præſertim Ariſtotelis, & Theophraſti. Id cum cognoſceret Andronicus Rhodius, & ipſe Ariſtotelis ſtudioſiſſimus, rogavit Tyrannionem, ut copiam ſibi faceret exemplarium: quos cum nactus eſſet, libros mutilos, & depravatos [2] ex conjectura ſupplevit, in ordinem redegit, & ea vulgavit exempla, quæ ſunt in manibus. [3] Cumque inperiti librarii codices deſcriptos cum autographis non conferrent, innumera menda in eos irrepere permiſerunt, quæ & textum corruptum, & Ariſtotelis doctrinam obſcuriorem redi-

[1] *Plutarchus in* Sulla.

[2] *Strabo* L. XIII. p. 419.

[3] *Plutarch.* ibid. *conf. Porphyr. in* Vita Plotin. c. 26.

diderunt. [1] Cumque ii, qui Theophraſto ſucceſſerunt, Ariſtotelei non ex autographis, ſed libellis, qui circumferebantur, & ex conjectura magiſtri ſententias inluſtrarent; ab eo diſſentientes multa in illius Philoſophia turbaverunt. [2]

Caput VII.

De altero Græcæ Philoſophiæ fonte, ſecta Italica uſque ad Chriſtum.

Secta Pythagorica.

I. Alter philoſophiæ Græcæ parens & conditor fuit *Pythagoras* Samius: [3] qui a Pherecyde ex inſula Syro [hic Pherecydes in Aegypto, & Phœnicia ſapientiam didicerat earum gentium nugis depravatam] inſtitutus, & ad Philoſophiam traductus eſt. Qua Olymp. natus ſit, mágna lis eſt. [4] Id certum eſt, floruiſſe eum IↃL. annos ante Chriſtum. Quot ineptias, & fabulas de eo ſcripſerint Jamblichus, Porphyrius, Philoſtratus, & alii Pythagorei credi vix poteſt, narrari certe non debet. Ferunt, eum communi ſuæ ætatis præjudicio occupatum, nimirum ſapientiam apud Orientales vigere, petiiſſe Aegyptum, adiiſſe Magos, Indos, Gymnoſophiſtas, Occidentales etiam ſapientes, a quibus bene eruditum ad ſuos tamdem revertiſſe. Verum hæc viris emunctæ naris

[1] *Confer Franc. Patricium* Diſcuſſ. Peripat. Tom. I. l. 10. *qui erudite de hac re diſputat, & hiſt. omnem abſolvit.*

[2] *Patricius ibid. p.* 157.

[3] *Joſephus* L. II contra Apion. p. 1051.

[4] *Confer.* Bibliotheq. Choiſie Tom. X. p. 81. ſeqq.

na methodo ſub ſymbolis. Hæc erant veluti apparatus ad percipiendam Philoſophiam. [1] Deinde aperiebantur initiatis arcana de Deo, Dæmoniis, Heroibus, de Mundo, & rebus, quæ in eo continentur, de Anima, de Medicina, & hujuſmodi alia. [2]

Mirabile videtur, quod Recentiores aliqui doctiſſimi & limati judicii ſeſe torqueant in dilucidanda Philoſophia illa, quam *Pythagoras* intimis ſuis tradebat; cum nulla exſtent certa monumenta, ex quibus de ea poſſimus judicare. Nihil enim ſcripſit *Pythagoras*: omnia ſymbolis obſcurabat, adeo ut non niſi a familiaribus poſſent intelligi. Pythagorei autem, vel ipſo Porphyrio fatente, [3] cogitata ſua pro *Pythagoræ* ſententiis plerumque venditabant: reapſe occultabant decreta. Multo magis eam depravarunt, qui poſt Chriſtum vixere Semi-Pythagorei inepto illo *ſyncretiſmo* occupati: quod etiam fecerat Plato, & veteres aliqui, qui *Pythagoræ* ſententias corruperant. Puderet me dicere, non intelligi a me Pythagoricum ſyſtema, ſi ipſi intelligerent viri docti, qui tot laboribus, tot ſcriptis libris, tantaque eruditionis copia illud inluſtrare adorti ſunt. Verum cum ex eorum diſcrepantia manifeſtum ſit, nihil eos explorati habuiſſe, ſuccenſere nobis non debent, ſi tot labores & lucubrationes inutiles ad id, quod quærimus, eſſe reputamus. Si iis fides eſt habenda, hæc veriſimilia & anteponenda videntur.

Principio Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Aſtronomiam non perfecte, ut noſtri Philoſophi, tenuerunt,

---

[1] *Jamblichus* c. VIII. *A. Gellius L. I. c. 9.*

[2] *Diſputant de Theoreticis diſciplinis præter ceteros Morhof.* Polyhiſt. Tom. II. L. II. c. *6. J. Jacobus Syrbius* de Pythagora intra Sindonam noſcendo, ſeu Introductio in Phyſicam Pyth. *&* *Michael Mourgues in* Delineatione Pythagoreiſmi. [3] *de* Abſtin. a Carn. L.I. c. *53.*

runt, ſed rudimenta quædam. Ad numeros laborem Pythagoras præcipue contulit: ex quibus omnia facta eſſe dicebat. Vir tamen doctus [1] in tanta verborum, & ſententiarum obſcuritate acute vidit, tales *numeros* nihil aliud eſſe quam *ideas* Platonicas: *Monadem* vero eſſe *Deum*: quibus conſtitutis, ex Platonis ſyſtemate, quid *Pythagoras* ſenſerit, dijudicandum eſt. Nam eadem fere dixit Pythagoras, quæ Plato, de purgatione animi de modo quo ad rerum intelligibilium cognitionem excitari, & pervenire debet. In Aſtronomia illud animadverſionem habet, quod terram non inmotam in medio mundi, ſed inter errantia ſidera numeravit: quam ſententiam poſt Nicolaum Copernicum plerique Mathematici veluti *hypothesin* nobilem admiſerunt. Et hæc de prolegomenis.

Metaphyſicæ ſyſtema tale eſt. Deus eſt anima mundi non *adſiſtens*, ſed *informans*. [2] Hæc anima eſt ignis, non quidem elementaris, ſed ſubtiliſſimus, quem aliqui *ætherem*, Stoici *ignem artificialem*, Pythagorei vero *ignem intellectualem* dixerunt: qui natura ſua vim habet movendi ſe, & materiam, ut viſibiles formas adquirat: eamque informat, in eaque deliteſcit, & continetur, ut anima in corpore: & ex quo mentes hominum decerpuntur, quæ partes ſunt Dei. Hic ignis etiamſi corporeus & materialis ſit; tamen *incorporalis* vocatur ſenſu apud Veteres vulgato, nimirum quod a craſſiori materia diverſus eſt. [3] Ex hoc igne, ſeu monade putat manaſſe Deos, Dæmonas, Heroas, Animas: quæ cum materiam habitarent, eamque agerent, has rerum formas produxerunt. Dæmones & He-

---

[1] *Bruckerus* de Convenientia Numerorum Pythagoræ cum ideis Platonicis; *in* Amœnitatib. Litter. Tom. VII. *Cudworth*. Syſtem. Intellectual. C. IIII. §. 21.

[2] *Juſt. Martyr.* Orat. ad Græcos *p.* 18.

[3] *Confer. Moſhemius* ad Cudworth. Syſt. Int. C. I. §. 17.

Heroes in aere ſunt plures, qui morbos, & ſomnia inferunt. Aſtra ſunt Dii. Itaque duo ſunt rerum principia; *activum*, & *paſſivum*. Ille ignis, hic craſſior materia: quæ duo ex chao orta ſunt.

Partes omnes mundi providentia, & voluntate divina reguntur: tamen quæ infra Lunam ſunt, a Deo, fato, fortuna, conſilio noſtro pendent. In hoc vero differt *Pythagoræ* providentia ſeu fatum ab illo Stoico: quod Stoici nullam homini libertatem relinquunt: Pythagorei vero fatum in certo ordine & legibus ponunt, quo ignis cæleſtis agit craſſas materiæ partes ad certum finem. Quare animus particula divina & a craſſiori materia diverſus, ab hoc fato eximitur, & in quibuſdam liber eſt.

Phyſicæ Pythagoreæ inluſtriora decreta hujuſmodi ſunt. Mundus a Deo factus eſt ab æterno tempore. Mundus interire poteſt, & ad chaos redire debet. At formæ intelligibiles rerum non pereunt. Omnia animantia ſunt rationalia: ſed bruta ſecundum rationem non agunt. Mens hominis eſt inmortalis, quia eſt particula Dei: reliqua in eo mortalia. Animarum certus eſt numerus, quæ certo tempore in corpus inmerguntur; quo ſoluto, in aerem adſcendunt, ut ibi purgentur. Eæ vero, quæ facilius purgantur, in corpora bona: quæ non nihil labis a materia habent, in deteriora & brutorum corpora infunduntur: & id ſæpe repetitur, uſque donec ſatis purgatæ ad ætherem, ſeu Deum, ex quo carptæ fuere, redeant. Et de Phyſica hactenus.

Medicinæ itidem rationem habuit Pythagoras: ſed abſtinentia, & ratione victus, & paucis remediis, non theoretica diſciplina, ea continetur.

Hæc obſcuriſſimæ Philoſophiæ ſynopſis eſt: quam dilucidare quantum emolumenti adferat, lectoris eſto judicium. Unum ex ipſa *Pythagoræ* vita plane conſtat, *Pythagoram* myſteriis, & ſymbolis, & magno apparatu populo

pulo inpoſuiſſe : quædam vero non inepta de Mathematica, & Morali tradidiſſe. Cetera fuiſſe malum Philoſophum, ſtudio ſectæ impeditum, nihil commode adferentem, qui omnia verbis communibus, & generalibus rationibus inplicaret potius, quam explicaret: & amaret loqui de iis, quæ non intelligeret. Vanum præterea & fanaticum, qui ſibi divinos honores tribuiſſet arroganter, quo facilius auctoritatem diſciplinæ ſuæ conciliaret. Quod judicium illi ſolum non facient, qui numquam ad illius vitam animum intenderunt.

Plurimos hæc diſciplina numeravit alumnos, qui apparatu illo decepti concurrebant ad eum. Sed mature deſiit, cum alii Philoſophi comparere cœperunt: nec ultra Alexandri M. ætatem duraſſe videtur. [1] Eorum tamen non nulli clarius, & melius doctore ſuo philoſophati ſunt.

Secta Eliaca.

II. *Xenophanes* Colophonius Ol. LXII. Pythagoricæ philoſophiæ in Italia dedit operam: [2] ex eaque Philoſophicum ſyſtema ſuum hauſit, ſed ita ut & clarius philoſopharetur, & ex proprio penu adjungeret multa. Metaphyſicam potiſſimum excoluit, ex qua Phyſiologiam deduxit: adeoque Metaphyſice magis, quam Phyſice, de rerum naturis diſſeruit. Condidit hic ſectam, quæ ab Elea, ſeu Velia, Magnæ Græciæ urbe, vocata eſt *Eleatica*. [3] Qui illi in doctrina ſucceſſere Parmenides, Meliſſus, Zeno Eleates, eaſdem opiniones retinuerunt.

Hic *Zeno* auctor Dialecticæ Veteribus nominatur. [4] Non quod ante eum non fuerit Dialectica, nam & alii recte

[1] *Confer. Diodor. Sicul. L. XV. & Laert. Lib. VIII. ſ. 46.* [2] *Laert. L. IX. ſ. 19.* [3] *Laert. ſ. 16.*

[4] *Ariſtoteles apud* Laert. IX. ſ. 27. *adde Walchium* Hiſt. Log. L. I. c. 2.

recte ſunt ratiocinati, & Parmenides quædam invenit; ſed hoc nomine auctor videtur, quod primus præcepta collegit, diſpoſuit, edidit. Hujus autem Logica in tres partes partiebatur: altera præcepta ratiocinandi tradebat: altera normam Dialogos componendi: tertia vero artem contendendi. [1]

Leucippus vero ejus auditor non ex Metaphyſicis notionibus, ſed ex ipſa corporearum rerum conſideratione Phyſicam ſcientiam deduxit: eaque pro certis ſolum poſuit, quæ ſibi, homini non inepto, perſpicua viderentur. Itaque tale ſyſtema excogitavit. In infinito inani infinitas eſſe materiæ particulas, quæ atomi ſint, id eſt, inſectiles, & modificationes nullas habeant [2] præter figuram, & motum innatum; recta linea deſcendentes, & quæ ſint omnes ejuſdem gravitatis: ex his vero atomis alia & alia ratione connexis & conjunctis rerum omnium formas proficiſci. [3] Hæc tamen ille, diſcipulique, ne invidiam ſubirent, ſic verbis emolliebant, ut parum a ceteris diſcrepare Eleaticis viderentur. Quod ſyſtema expolivit, & rationibus munivit *Democritus* Abderites, hujus auditor: addens non nihil de Logica, & Ethica. [4] Et quamquam Democriteum, ſeu atomiſticum ſyſtema nihil præter corpus admitteret, tamen populi gratia dicebat, plenum eſſe aerem ingentium ſimulacrorum, figura humana, quæ ex particulis ſubtiliſſimis conſtant, & interire poſſunt, quos Deos vocabat.

SE-

---

[1] *Conf. Gaſſend. de* Orig. & var. Logicæ c. 2.

[2] *Plerique Phyſici ante Leucippum materiam in particulas diviſerunt, ſed aliquibus qualitatibus ornatas: atomos vero nudas hic primus poſuit.*

[3] *Laert. L. IX. ſ.* 30. *ſeqq.*

[4] *Sext. Empiric. L. VII. ſ.* 135.

Secta Heraclitea.

III. Ex Xenophanis, & Hippaſi diſciplina prodiit *Heraclitus* Epheſius: [1] qui magnum opinionibus ſuis peperit ſibi nomen. Floruit Ol. LXVIIII. [2] Diſputavit breviter de Logica: copioſe vero de Phyſica, & Ethica. [3] Atomiſticam philoſophiam antepoſuit, ſed alia longe ratione quam Leucippus: nam omnia igne tamquam anima conſtare dixit. [4] Sed tam obſcure de omnibus philoſophatus eſt, ut, quid ipſe ſibi vellet, vix intelligerent Philoſophi.

Illud hoc loco monere inopportunum non erit, [5] falſum eſſe quod de *riſu* Democriti, & *fletu* Heracliti jactatur: & omnino inter Græcas fabulas cum Juvenale referri debere. [6] Condidit hic ſectam *Heracliteam*: nam ipſe Plato Heracliti philoſophiam didicit a Cratylo. [7] Tamen poſt Platonem vix eorum mentio fit ulla.

Secta Epicurea.

IIII. Altera Eleaticæ ſectæ propago eſt *Epicurea*, quæ nomen habet ab *Epicuro* Athenienſi. Natus is eſt Ol. CVIIII. [8] id eſt CCCXLI. annis ante Chriſtum. Audivit

---

[1] *Laert. L.* IX. *ſ.* 1. *Suidas in* Heraclito.

[2] *Laert. ib. ſ.* 6. [3] *Conf. Clem. Alex.* Strom. V. p. 599. ſeqq. [4] *Plutarch. de* Plac. Phil. L. I. c. 13.

[5] *Bruckerus l. c.* in Heraclito p. 1210. ſeq. *Conf. Gundlingius* Cogitata de Heraclito flente, & ridente Democrito: *in* Otio Vinde. p. 3. c. 1. [6] *Sat. X. v.* 34.

[7] *Ariſtot.* Metaphyſ. L. I. c. 6.

[8] *Laert. L. VIIII. ſ.* 14.

divit Epicurus Pamphilum Platonicum [1] & Nauſiphanem Pytagoreum. [2] Cumque ſciendi cupiditate arderet, Jonicorum lucubrationes expendit, ptæſertim Anaxagoræ, & Archelai, [3] quibus addidit Democriti libros, & Metrodori. [4] Hiſce inſtructus ſcholam primum aperuit Mitylenis, & Lampſaci; deinde Athenis. [5] Atque ibi hortos amœniſſimos mercatus eſt, in quibus commodius diſcipulos ſuos inſtitueret, & formaret. [6]

Homini erudito, & acute videnti, quique non verba dare, ſed ratiocinatione & diſputatione rerum cauſſas inveſtigare cupiebat, quæ vitam beatam pariant; diſplicuere ſyſtemata Pythagoreorum, Platonicorum, Ariſtotelicorum, Stoicorum, quæ nihil niſi generales notiones, ampulloſa verba & obſcura, quæ magnum quid promittere videbantur, tradebant: reapſe vero jejunum hominem dimittebant, nec niſi inanibus vocabulis excultum. Iccirco ad Eleaticam ſectam animum adjungens, Democritum, qui clarius, & prudentius, quam ceteri, diſputaſſet, elegit: cujus ſyſtema Phyſicum auxit, emendavit, atque aliorum omnium nugis oppoſuit. Et quo facilius Dialecticorum, & Sophiſtarum frangeret inpudentiam, Logicam pertractavit, quæ illorum fallacias exponeret, & confutaret.

In-

---

[1] *Laertius L. X. ſ. 13. Cicer. de* N. Deor. I. n. 26 *addit, audiviſſe Xenocratem, & Theophraſtum.*

[2] Strom. I. p. 302.

[3] *Laert. ibid. ſ.* 12.

[4] *Ibid. ſ.* 2.

[5] *Ibid. ſ.* 2. & 15.

[6] *Crophius de* Gymnaſ. Litter. Athen. *p. 55. adde Gaſſend. de* Epicuro.

Innumera ſcripſit *Epicurus* [1] quæ perierunt, ſi aliquot excipias, quæ nobis Laertius [2] ſervavit, operum epitomas, in quibus tres ſunt epiſtolæ *Epicuri*. Philoſophiam in Rationalem, Naturalem, Moralem partitus eſt. Præcipua eſt Moralis: huic opitulatur Naturalis: Rationalis ad utramque viam ſternit. Logicam doctrinam ad duo capita revocat, doctrinam de *rebus*, & de *vocibus*. In prima tradit regulas recte percipiendi: atque, quid ſenſus faciant, quid mens, quid voluntas, & quo modo harum ope verum explorare poſſimus, exponit. In ſecunda docet recte uti vocibus, uſurpare perſpicuas, vulgatas, & certi ſignificati; ne aut loquendo, aut diſputando, aut interpretando tempus fruſtra teramus. Quo ipſo Sophiſtarum argutiæ & laquei funditus evertebantur. [3]

Hiſce regulis paratus ad Phyſicam acceſſit, eamque ex iis, quæ per ſenſus adquiruntur, aut ex iiſdem manifeſte deducuntur, adornavit. Phyſicæ autem finem hunc fecit; rerum cauſas penitus cognoſcere, ne qua perturbatio, vel ex rebus, quæ ſupra nos ſunt, vel morte, animum noſtrum adficiat, & tranquillitatem eam tollat, quæ beatam vitam ex ipſius ſententia conſtituit. Itaque Atomiſticum ſyſtema amplexatus eſt: contendens, ex innumerabilibus atomis [nulla alia qualitate præditis, niſi magnitudine,

---

[1] *L. X. ſ. 22. 84. 122. 139. Hæc collegit Obertus Giſanius in ſua Lucretii editione pag. m. 235. uſque ad 272. quibus addit capita quædam ex Cicerone collecta, verbiſque Lucretii accommodata. Addi his poteſt, quo facilius tota ſyſtematis Epicurei ratio habeatur, Sextus Empiricus* Adverſ. Mathem. L. XI. *& Plutarch.* de Placitis Philoſ. *& etiam Seneca: ſed hi duo cautius.* [2] *Laert. L. I. ſ. 16.*

[3] *Synopſin logicæ Epicuri in Logica noſtra jam dedimus. Qui plura cupit, adeat Gaſſendum ad* Laertii L. X. *& in* Origin. Log. c. 7. *& in* Vita Epic. L. VIII. c. 10.

dine, figura, & pondere] alia & alia figura, magnitudine, & pondere conſtantibus, quæ dum in infinitum inane cadunt, & a recta linea declinant, cohæreſcunt, & irretiuntur inter ſe idque concurſu fortuito; oriri corpuſcula differentia, ex quibus diverſo modo copulatis hæ rerum formæ & figuræ, atque ipſa anima hominis efficitur. Quibus conſtitutis, quo modo ſingula phænomena, immo & adfectus animi naſcantur, exponit.

Ex quo manifeſtum fit, quid in Democriti ſyſtemate mutaverit *Epicurus*. Commune utriuſque eſt, omnia ex concurſu fortuito atomorum proficiſci. In hoc differunt. 1. Ille atomos omnes conjungi, hic quaſdam atomos cum aliis jungi non poſſe putabat. 2. Ille eamdem ſingulis gravitatem tribuebat: hic diverſam. 3. Ille atomos directa deſcendere exiſtimabat: hic aliquantulum declinare. 4. Ille vitam quibuſdam atomis tribuebat: hic negabat, & motum tantum relinquebat innatum. [1]

Præterea Deos eſſe putabat, quod in animis noſtris eorum anticipatam notionem natura inpreſſerit. Hos eſſe æternos, & beatos. Quare nec mundum formant, nec humanarum rerum curam habent, nec gratia, nec ira moventur: ſed ſemoti a negotiis omnibus in intermundiis vivunt, ſumma indolentia animi fruentes, in quo beata vita conſiſtit. Tamen propter præſtantiſſimam ſuam naturam coli debent ab hominibus. Forma vero eorum humana eſt, qua nulla pulcrior excogitari poteſt. Corpus habent, non craſſum, ut res ceteræ, ſed ſui generis, quod

[1] *De Phyſica Epicuri egit luculenter e Veteribus Titus Lucretius Carus de* Rerum natura: *e Recentioribus vero Gaſſendus ad* Laertium, *& in* Syntagmate Philoſ. Epicuri, *& aliis in locis. Charleton.* Phyſiologia Epicuri. *Stanlejus* Hiſt. Phil. *ceteri*.

quaſi non corpus dici poſſit. [1] Quare inter Polytheos *Epicurus* referendus eſt : tametſi ſuis opinionibus ſæpenumero repugnantibus, planam ad Atheiſmum viam ſternat.

Jam ethica *Epicuri* falſa plurima, ut reliqua Paganorum ſyſtemata, præfert: quædam tamen continet non incommode dicta. Præcipua huc redeunt: felicitatem hominis eſſe *voluptatem* : id eſt, carere dolore corporis, & animo tranquillo ac ſedato gaudere. [2] Minime vero ſignificat, ut Gaſſendo videtur, eam voluptatem, quæ ſenſus titillat, & blande adficit ac jucunde. Quod ſi veteres Stoicos, & Academicos audimus, ut Ciceronem, ut Senecam, ut Plutarchum, ceteroſque, qui vel malitia, vel oſcitatione vocabulum *voluptatis* non expenderunt, nihil flagitioſius *Epicuro* excogitari poteſt, nihil quod magis proborum hominum execrationem mereatur. Ex quibus cum ſumſerint Parckerus, Gatakerus, ceterique, mirandum non eſt, ſi tot in *Epicurum*, tamque nefanda effundunt. Verum antiquorum Philoſophorum in Epicureos odium, & odii cauſſa ſatis nota eſt. Icciroo licet ethica *Epicuri* noxia ſit & flagitioſa, minus tamen ſecundum Gaſſendum, noxia eſt, quam ſuſpicantur non nulli. [3] Et hæc ſecta uſque ad Auguſti ævum in honore fuit. [4]

Se-

---

[1] *Confer. Cicero de* Natur. Deor. L. I. c. 18.

[2] *Laert. L. X. ſ.* 136.

[3] *Epicuri Ethicam a calumniis, quæ ei tribuuntur, defendit Gaſſendus locis citatis, aliique Catholici. Confer. quæ diſputabimus* L. III. *c.* 1.

[4] *Suidas* in Epicuro.

Secta Pyrrhonia.

V. Ab eadem Eleatica ſecta exiit Pyrrhonia, condita a *Pyrrhone* Eleo. [1] Audivit is Dryſonem Dialecticum, [2] deinde Anaxarchum Eleaticum: [3] tum demum ſcripta Democriti diligenter volutavit. [4] Floruit Alexandro Magno imperante, Ol. circiter CX. [5] Cumque animadverteret, Philoſophos unoſquoſque adverſariorum ſyſtemata irridere & confutare, nec proferre meliora: Sophiſtas vero de omnibus in utramque partem diſputare: Dialecticos autem omnia ſuis laqueis turbare: præterea Democriteam philoſophiam amaret impenſe; ex iſtius placitis ad Eriſticorum, & Sophiſtarum ſtrophas & nugas retundendas, medicinam parandam exiſtimavit.

Itaque talem ſectam condidit *Pyrrho*, quæ omni animi contentione defenderet; nihil omnino ſciri, nihil comprehendi, nihil poſſe conſtitui, nec dici, eſt hoc magis, quam illud. [6] Quod non ita accipi volumus, quaſi adfirmaret *Pyrrho*, ea, quæ in ſenſus incurrunt, eſſe neganda: nec debere hominem viam declinare, quæ ad præcipitium ducit, non comedere, non dormire, & hujuſmodi ſexcenta, quæ inepte illi tribuuntur: ſed hoc tantum, dogmata, quæ Philoſophi arroganter conſtituebant; regulas, quas tradebant; rerum finitiones, quas exponebant; certo ſciri non poſſe adſeverabat. Nam ex illius vitæ ratione conſtat, eum ſenſibus, & rationi fidem habuiſſe.

F 2

[1] *Suidas*, *in* Pyrrhone.
[2] *Conf. Laert. L. IX. ſ.* 61. [3] *Id. ibid.*
[4] *Ariſt. apud Euſeb.* Præp. E. L. XIIII. c. 18.
[5] *Laert. l. c. ſ.* 58.
[6] *Ibid. ſ.* 61. *adde Huetium*, de Imbecillitate Mentis Humanæ.

buiſſe : [1] omnino eſſe perſuaſum ſe eſſe, vivere, videre; edere, cetera.

Contendit itaque Huetius[2] Academiam Mediam & Pyrrhoniam diſtare: hoc autem, ſi eum audimus, intererat. 1. Conſtituebant Academici, idque omnino certe, nihil ſciri poſſe & comprehendi: Pyrrhonii vero addebant, ne hoc quidem *nihil ſciri poſſe*, certo poſſe conſtitui, ſed cum dubio eſſe dicendum.

2. Academici exiſtimabant aliquid videri magis & minus bonum, vel malum: Pyrrhonii ne id quidem relinquebant, ſed temperabant a judicando: bonum autem, & malum ex hominum exiſtimatione metiebantur. 3. Academici Novi pronuntiabant, dari aliquos gradus veriſimilitudinis, qui nos moveant in hanc magis, quam in illam ſententiam: Pyrrhonii contra id negabant, contendentes nec ſenſu, nec ratione veritatem poſſe comprehendi, vel aliquod certo judicari: quare cohiberi debere adſenſum, & omnino inmotum, & inperterritum permanere animum. 4. Academici Novi putabant, nos ab objectis magis & minus in hanc potius, quam in aliam, trahi ſententiam: Pyrrhonii vero hanc tractionem negabant. 5. Academici adfirmabant, debere hominem probabilitatem ſequi, & ad eam vitæ actiones conformare: Contra Pyrrhonii probabilitatem tollebant: lege, conſuetudine, & naturæ motibus hominem duci contendebant.

Præclara hæc omnia & ſpecioſa. Verum ſi utrorumque ſententias ad trutinam revocamus facile intelligemus, Academicos ad invidiam declinandam moderatius locutos fuiſſe, & ſpeciem pietatis præ ſe tuliſſe: reapſe vero utroſque in eadem ſententia fuiſſe, & ex utroque syſtemate eadem incommoda proficiſci.

Ab

---

[1] *Laert. ibid.* ſ. 65. ſeqq. ſ. 103. *Adde Athenæum L. X. Sext. Empiric.* Pyrrhon. hypotyp. L. I. c. 10. [2] *l. c.*

Ab hac de omnibus dubitandi ratione ipſi nomen habuere *Scepticorum*. [1] Cum autem Scepticorum nomen eſſet inviſum pleriſque, cito hæc ſecta extincta eſt. [2] Nam qui poſt fuere Sceptici ſub Academicorum nomine, quorum magna erat fama ac laus, ſenſa ſua occultare curarunt: quod Ciceronis ætate præſertim vigebat. [3] Tamen hoc ipſo ævo ab obſcuritate in lucem extracta eſt, & multos poſtea ſectatores numeravit. [4]

CAPUT VIII.

De progreſſu Græcæ philoſophiæ apud alias gentes uſque ad Auguſti ævum.

EX his autem duobus fontibus, ſecta Jonica, & Italica, Philoſophiam omnem, quæ poſtea inveteravit, manaſſe exploratum eſt: nam harum præſidiis reliquæ ſectæ apud cultiores gentes vel mutatæ, vel abolitæ fuere. Factum id fuit Græcorum præſertim, & Romanorum opera: qui cum omnia ſuo imperio ſubmitterent, domeſticos ritus, & doctrinam una cum imperio propagarunt: & apud gentes, quas devicerant, invexerunt.

Principio Alexander ſubacta tota *Aſia*, mores Græcorum

[1] *Empiricus* Pyrrh. hyp. L. I. c. 3.

[2] *Laert. L. IX. ſ.* 115. [3] *Cicero de* Finib. *L. II. confer. eumdem in* QQ. Academ.

[4] *Præter Laertium, qui Scepticorum placita breviter enarrat, exſtant Sexti Empirici viri docti, libri* Pyrrhoniarum Hypot. *in quibus Sceptica philoſophandi ratio exponitur dilucide: E Recentioribus eamdem ſectam inluſtrarunt præter ceteros, Huetius de* la Foibleſſe de l' Eſprit Humain. 12. *qui etiam Latine exſtat. Foucherius* Hiſtoire des Academiciens, *ceteri.*

corum ad eam inportaſſe legitur. [1] Deinde, qui ei ſucceſſere duces, & nomen regium ſumſerunt, præſertim Ptolemæus Lagi filius, rex Aegypti, Græcas litteras *Alexandriæ* ſuſcitavit. [2] Quod inſtitutum perſequens Ptolemæus Philadelphus inſignem Lagidis bibliothecam munificentiſſime auxit & ampliavit: [3] Muſeum in ipſa regia condidit, in quo viri docti de publico alerentur, ut litteris darent operam: [4] id eſt, Grammaticam, Rhetoricam, Mathematicam, Philoſophiam colerent. Quod ad Cæſarum uſque ætatem perſtitit, & ſummo in honore fuit. [5] Adeoque Græcæ omnes ſectæ Alexandriæ excultæ fuerunt, & Alexandrinorum doctorum fama ceterorum laudes obſcuraſſe videtur. [6] Ab hoc tempore Græca philoſophia, præcipue Pythagorica, & Platonica, cum Aegyptia cœpit copulari, & utraque inſignem mutationem paſſa eſt. [7]

Eamdem fortunam experti ſunt *Judæi* Seleucidarum, & Ptolemæorum imperio ſubjecti. Nam poſt captivitatem Babyloniam erant *Judæi* avitæ doctrinæ tenaciſſimi, Eſdra, Malachia, Zacharia, Haggæo, viris divino ſpiritu adflatis, in officio eos continentibus, & divina oracula pandentibus. At poſteaquam Alexander Magnus Judæorum coloniam Alexandriam deduxit, [8] & Macedones cum in

---

[1] *Plutarch. de* Fortun. Alex. Orat. I.

[2] *Clem. Alex.* Strom. L. I. p. 341.

[3] *Reimmannus* Idea Antiq. Litter. Aegyptiac. p. 280. ſeqq. *adde Montfaucon.* Palæograh. p. 16.

[4] *Philoſtr.* Vit. Sophiſt. L. I. c. 22. *adde J. F. Gronovium* Diſſ. de Muſeo Alexandrino.

[5] *Tillemont.* Hiſt. des Emp. Tom. II pag. 431.

[6] *Ammianus Marcellinus L. XXII. c. 6.*

[7] *Schefferus de* Philoſ. Italica c. 15. pag. 170. ſeqq.

[8] *Flavius Joſephus* Antiq. Jud. L. XI. c. 8.

in Syria, tum in Aegypto regnarunt, & Orientalium ritus ex Græca conſuetudine emendarunt; omnino ad victorum diſciplinam & ipſi *Judæi* vel ſponte, vel coacti [*] delapſi ſunt, & Græco modo philoſophari cœperunt. Itaque Pythagoricæ, & Platonicæ philoſophiæ, quæ in Aegypto excellebant, dogmata ambitioſe coluerunt, arcanam præſertim omnia explicandi viam. [1] Quod ipſum ab Aegypto ad Judæam dimanavit. [2]

Ab hoc fonte Cabbaliſtica, & arcana philoſophia quæ apud *Judæos* cum veteres, tum recentiores in pretio eſt, ducit initium: ab eoque reliquæ ſectæ Phariſæorum, Sadduceorum, Eſſenorum deducuntur: quæ omnia Græcæ eruditionis manifeſta produnt indicia, [3] de quibus alio loco diſputabimus.

Atque ipſi *Romani* homines, qui primis temporibus ſub Regibus, & Conſulibus militari diſciplinæ unice intenti, eruditioni, & litteris locum non dabant; poſtea quam Macedoniam, & Græciam imperio adjunxerunt, ruſticitatem, quam antiquitus præ ſe ferebant, depoſuerunt. Cumque paullo poſt, & fine ſæculi VI. ab V.C. id eſt, CL. circiter annos ante C. N. Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, Diogenes Stoicus, Athenienſium legati, Romam veniſſent, & eruditionis ac eloquentiæ ſpecimen in Urbe dediſſent, incredibili quodam philoſophiam Græcam diſcendi ſtudio *Romani* homines flagraverunt. [4]

F 4 Neque

---

[*] *I. Machabæorum. I. 49.* [1] *Euſeb.* Præp. E. L. VIII. c. 10. *Adde exempl. Philonis Alexandrini Judæi, & Joſephi.* [2] *Joſephus* Prooem. Antiq. Judaic. *p.* 3.

[3] *De ſectis Judæorum diſputant Joannes Druſius, Joſephus Juſtus Scaliger, Nicolaus Serrarius, quos junctim edidit Triglandius, Delphis* 1704. *Vol.* II. 4.

[4] *Plutarch.* in Catone Major. p. m. 632.

Neque tamen vel novas ſectas condiderunt, vel philoſophiæ ſcholas publicas habuerunt, in quibus alii aliis ſuccedentes diſcipulos edocerent: ſed privatim eidem dabant operam, ac ad uſus vitæ, & adminiſtrationem reipublicæ eam revocabant, homines illi quidem ad clavum reipublicæ fere omnes ſedentes.

Placuit autem Juriſconſultis *Stoica* ſecta: quorum in numero fuere, præter Scipionem, Lælium, Furium, [1] Q. Tubero, Q. M. Scævola, C. Gallus, L. Philippus, Cato Uticenſis, Balbus, & alii paſſim a Cicerone laudati. [2] Aliis vero Academia una placuit: cujuſmodi præter cæteros L. Lucullus fuit [3] inluſtris ille litteratorum fautor, M. Cicero, M. Brutus, M. Varro. [4] Multi etiam fuere Pythagorei, ut Ennius Poeta, Cato Cenſorius, Appius Claudius Cæcus, Nigidius Figulus. Item Epicurei plurimi memorantur: veluti C. Velleius, L. Torquatus, L. Papirius Pætus, C. Trebatius, L. Piſo, M. Panſa, M. Fabius Gallus, Caſſius, Pomponius Atticus, Mæcenas, alii, [5] ac præter ceteros Titus Lucretius Carus, cujus exſtat Poema *de Rerum natura*: cui addi debet Virgilius, Horatius, ceteri. Nec defuere qui Peripateticam ſaltim poſtremis reipublicæ temporibus coluerint: ut M. Craſſus, M. Piſo, M. Cicero filius, alii, ſed pauci numero. [6] Et hæ ſectæ etiam poſt Chriſtum natum alumnos ſuæ diſciplinæ numerarunt: nec in Urbe modo, ſed etiam aliis in locis fuerunt in honore, uti poſtea demonſtrabimus.

CA-

---

[1] *Cicero de* Orat. L. II. & Fin. IIII. c. 9. [2] *Janus V. Gravina* de Ortu & prog. Juris c. 57. [3] *Cicero* Academ. QQ. L. I. *Plutarch. in* Lucullo. [4] *Conſule Ciceron. in* Academic. QQ. & Tuſculanis *paſſim*. *Pagan. Gaudentius* de Philoſ. Roman. c. 25. [5] *Gaſſend. in* Vita Epicuri L. I. c. 6. [6] *Cicero* de Officiis, de N. Deor., de Finibus.

Caput VIIII.

De Philoſophia ab Auguſti ætate uſque ad lapſum Romani imperii in Occidente vergente ad finem V. Sæculo.

QVæ poſtrema Romanæ reipublicæ ætate fuit facies Philoſophiæ cum in Urbe, tum alibi, eadem ſub Romanis imperatoribus perduravit. Nam cum Auguſtus Cæſar vir litteratiſſimus ſummo honore Philoſophos proſequeretur, eoſque donis animaret, ut Philoſophiam excolerent; immo vero *Hortationes ad Philoſophiam* ipſe ſcriberet; [1] non modo animos fecit viris doctis, ut Philoſophiæ darent operam, ſed etiam totam Urbem, & imperium Philoſophis replevit, præſertim Stoicis, & Peripateticis.

Parentis ſtudium quamvis callide imitatus eſt Tiberius. Quamquam vero Claudius, Nero, Domitianus, peſtes Romani imperii, Philoſophos Urbe ejecerint & exterminarint, [2] tamen paullo poſt cum plauſu redierunt, atque in ipſam regiam fuere recepti, Trajano, Hadriano, & Antoninis faventibus: qui Antonini non modo ſcholas erexerunt, ſed etiam ex ærario Philoſophis honorarium perſolvi mandarunt. [3] Id ipſum Septimius Severus [4] & Alexander Severus fecit: qui Philoſophos ad menſam adjungebat. [5] Idem Gordianus uterque, qui non modo Philoſophi fuerunt, ſed etiam Philoſophorum conſuetudine unice delectabantur. [6] Adeo, ſi paucos Imperatores exci-

[1] *Suetonius* in Auguſto.
[2] *Sueton.* in Domitiano. *Conf. Gellium L. XV. c.* 11.
[3] *Capitolinus* in Antonin. [4] *Spart. in* Severo.
[5] *Lampridius in* Alexandro Severo n. 29.
[6] *Capitolin.* in Gordian. *Conf. Porphyr.* Vita Plotin. c. 3.

excipias, qui ob ſcelera ſua bonorum omnium indignationem offenderunt, numquam Romano imperio defuit Imperator, qui vel ipſe philoſopharetur, vel philoſophantes favore & munificentia excitaret: idque non ſolum uſque ad Conſtantinum, verum etiam uſque ad Theodoſium, & Carolum Magnum, maximum litteratorum fautorem & patronum.

Neque vero earum tantum, quæ Auguſto imperante in honore erant, ſectarum cultores multi exſtitere; ſed etiam eæ, quæ penitus evanuerant, ſurrexerunt, de quibus breviter eſt dicendum.

I. Præcipuum autem locum ſibi facit *Platonica* philoſophia, ab Antiocho Aſcalonita ſuſcitata, quæ ſub nomine veteris Academiæ inclaruit. Præcipui autem Platonici memorantur, Theon Smyrnæus [1] Alcinous [2] L. Appulejus Madaurenſis [3] Maximus Tyrius [4] Plutarchus [5] alii, quorum adhuc exſtant ſcripta.

II. *Pythagoricæ* vero philoſophiæ ſtudium poſt Nigidium Figulum inſtaurarunt Sextius Pythagoreus [6] Moderatus [7] Apollonius Tyaneus [8] celeberrimus Philoſo-

---

[1] *De* 4. Mathemat. Diſciplin. *Compend. in* Platonis libros: *exſtant*.

[2] Introd. in Phil. Platonis: *vide Stanlejum*, Hiſt. Philoſ.

[3] *Exſtat illius* Apologia, Metamorph. de Dogmat. Platonis, *cetera*.

[4] *Exſtant Diſſertation.* de doctr. Plat. Cantabrig. 1703. 8.

[5] *Exſtant multa ſcripta, inter quæ quædam Plat. inluſtrant Græco-Latin. Pariſiis 1624. fol.*

[6] *Exſtant Sententiæ* Sextii. *Videatur Galeus* in Opuſcul. Mythol. [7] *Porphyr. in* Vita Pythag. *n.* 48.

[8] *Suidas in* Apollonio: *vide Tillemont.* Hiſt. des Empereurs Tom. II. *ubi vitam Apollonii ſcribit. Exſtant Apollonii* Epiſtolæ: *vide Philoſtr.* in Vita Apollon.

ſophus, & Chriſtianorum hoſtis acerrimus, Nicomachus [1] ceteri.

III. Etiam *Peripatetica* ſub Cæſaribus extulit caput, & poſt Andronicum memorantur cum laude Nicolaus Damaſcenus, Boethus Sidonius, Alexander Aegæus: [2] qui germani Peripatetici habentur. Poſt Neronis tempora alia Peripateticorum diſciplina fuit: [3] in qua & præ ceteris nobiles fuere Ammonius Alexandrinus, alius ab Ammonio Saca, Alexander Damaſcenus: poſt quos Ariſtotelis iterum philoſophiam melioribus auſpiciis perſecuti ſunt Alexander Aphrodiſæus [4] ejuſque diſcipuli. [5]

IIII. Secta vero *Stoica* præter ceteras coli cœpit ſub imperatoribus Romanis. Cujus fidem præter Juriſprudentes, qui huic ſectæ nomen dederunt, faciunt Annæus Cornutus, C. Muſonius Rufus, L. Annæus Seneca [6] Dio Pruſæus [7] Epictetus [8] M. Aurelius cæſar, qui non modo inluſtris fuit Philoſophorum patronus, [9] ſed etiam ipſe-

---

[1] *Exſtat Nicomachi* Arithmetica, & Enchiridion Harmonicum. *Confer. Voſſius de* Scientiis Mathem. p. 37. 94.

[2] *Exſtat hujus* Commentar. in libros Meteorologicos Ariſtotel. *vide Fabricium in* Biblioth. Græca.

[3] *Conf. Brucker. Tom. II. pag. 475. ſeqq.*

[4] *Exſtant plurima illius opera in Ariſtotel. adeſis Fabricium* Biblioth. Vol. IIII.

[5] *Peripateticorum ſeriem luculenter exponit Patricius in* Diſcuſ. Peripatetic.

[6] *Exſtant illius opera Philoſophica.*

[7] *Exſtant illius* Orationes plurimæ de Phil. Stoica.

[8] *Exſtat illius* Enchiridion.

[9] „ *Singulis Philoſophorum generibus, ut Platonicis, Pe-* „ *ripateticis, Stoicis, Epicureis ſalarium conſtituit Athenis.* Xiphilinus in Marco Aurelio: *adde Lucian. in* Eunucho.

ipſemet Stoico more philoſophatus eſt: [1] ut alios prætermittam notiſſimos.

V. Neque vero *Epicurea* in oblivione delituit, nam eam plurimi inluſtrarunt viri eruditiſſimi: [2] quos inter memorantur Plinius ſenior [3] Lucianus [4] & Diogenes Laertius, qui nobis in hac hiſtoria conſcribenda maximum adjumentum adtulit: [5] quique haud obſcure oſtendit, ſe ad Epicuri dogmata propendere. [6]

VI. Sed etiam *Sceptici* ſeu *Pyrrhonii* non nulli ea ætate numerantur: ut Aurelius Cornelius Celſus [7] &, qui aliorum nomen obſcuravit, Sextus Empiricus vir eruditiſſimus, quique ſcriptis ſuis [8] magnum ſibi nomen fecit: quamvis alii a viris doctiſſimis memorentur Pyrrhonii. [9]

VII. At *Cynici* & ipſi ſub imperatoribus Romanis ſuæ diſciplinæ numerarunt alumnos, qui non modo alibi, verum etiam in ipſa Urbe claruerunt. Horum in numero ſunt Muſonius Babylonius, Demetrius Cynicus, Demonax Cyprius, Creſcens, Salluſtius, alii. [10] Et hæ Græcæ philoſophiæ propagines per id tempus exſtitere.

VIII. Etiam *Orientalis* philoſophia ſub idem tempus no-

[1] *Exſtant illius* Commentar. de ſe ipſo, ſeu de ſuis rebus geſtis.

[2] *Numerat eos Gaſſendus in* Vita Epicur. L. II. c. 6.

[3] *Exſtant illius libri de* Naturali hiſtoria.

[4] *Exſtant illius* Dialogi *Græci elegantiſſimi*.

[5] *Exſtant illius Libri X. de* Vita, & Dogmatibus Philoſophorum. *Medio III. ſæculo a C. N. ſcripſiſſe veriſimile eſt*.

[6] *Conf. Fabricius*. B. G. Vol. III.

[7] *Exſtant illius libri de* Medicina: *cetera perierunt*.

[8] *Exſtant* Pyrrhon. Hypotyp. Libri *in quibus Scepticorum doctrinam exponit*. [9] *Conf. Laert* L. IX. *ſ.* 116.

[10] *Conf. Gaudentium* de Phil. Roman. c. 79.

novo nomine inſignita, novoque adornata veſtitu apparere cœpit. Qui eam excolebant ſectatores, quod rerum divinarum cognitionem præſtantem adfectabant, diſciplinam ſuam nomine γνώσεως inſignierunt, ſeque *Gnoſticos* vocari voluerunt. Quod nomen primis Hæreticis, qui de hoc fonte hauſerunt, fuit commune.

Hi autem homines tametſi novum ſyſtema Metaphyſicum præ ſe ferre viderentur, ſingularibus opinionibus conſtantem; reapſe tamen eamdem doctrinam Orientalium ſeu Zoroaſtris tenebant: niſi quod eam proprio explicandi modo, & peregrinis vocibus, quæ aliud diverſum ſignificare videbantur, occultabant. Qui vero eam penitus cognoverunt, facile deprehenderunt, nihil aliud illis vocibus ſignificari, quam *ſyſtema emanativum*, quod ex infinito lumine omnia ducit per varios gradus emanationum. Quod ipſum Zoroaſter adfirmabat. Id ita ſe habere jam aliquot ab hinc annis nos, cum in Theodoreti, & Epiphanii loca quædam incideremus, ſuſpicati fueramus, atque Veterum expenſis locis ſingulari diſſertatione confeceramus: poſtea lecto Baſnagio [1] firmius in opinione permanſimus. Sed hæc ut copioſius diſputemus, facit nobis otium recentioris Hiſtorici diligentia, [2] qui id ipſum magna eruditionis copia inluſtrat & confirmat.

VIIII. Sed præ ceteris poſt Chriſtum natum alia ſecta claruiſſe videtur, quæ ceteras vel delevit, vel depravavit. Hæc eſt *Eclectica*. Male vero huic philoſophandi viæ ſectæ nomen tribuitur: nam hi Philoſophi peculiare hoc habuerunt, ut in nullius Philoſophi verba jurarent, ſed ea ex ſingulis ſectis excerperent, quæ meliora videbantur: eaque pro lubitu mutarent, in concordiam vocarent, & ex iis unum ſyſtema componerent. Verum cum *Eclecti-*
ci

[1] Hiſt. Jud. L. III. c. 28.
[2] *Brucker*. de Phil. Orient. pag. m. *646. & 651*.

ci auditores docuerint eadem methodo ratiocinari, ab iiſque familia fuerit propagata, hoc nomine ſectam condidiſſe dicuntur.

Hujus ſectæ fundamenta ante Chriſtum jacta fuerant in Aegypto, Alexandriæ præſertim, ubi *ſyncretiſmus* doctrinarum, & religionum invaluerat. Etenim Aegyptii ſententias Pythagoræ, quæ Aegyptiarum ſimiles erant, ſuis adjunxerant: Platonici Pythagoream: utrique dogmata aliorum cum ſuis copulare conati fuerant. Sed non longo poſt tempore hæc concordandi ratio juſtum ſectæ habitum obtinuit.

Tribuitur id primum cuidam Potamoni homini Platonico, cujus ætas prorſus ignoratur. [1] Id tamen probabilius videtur, nec ante, nec poſt finem II. ſæculi, poſſe Potamonem collocari: propterea quia Diogenes Laertius, qui circiter finem II. ſæculi [2] floruit, aperte ſcribit, *haud ita pridem* [πρὸ ὀλίγου] Eclecticam ſectam a Potamone Alexandrino introductam fuiſſe: [3] nec aliquis ante id tempus de ea ſecta facit mentionem.

Scripſit Potamon *Inſtitutiones Eclecticas*, quæ non exſtant. Quæ vero ex iis recitat Laertius Φιλοσοφούμενα ad illud revocantur, ut in Rationali, & Morali philoſophia Platonicos, Stoicos, Ariſtotelicos in concordiam adduceret; atque ex ſingulorum opinionibus ſingulare ſyſtema compingeret.

Felicioribus auſpiciis eamdem viam tenuit paullo poſt Ammonius Alexandrinus, cognomine *Sacas*; qui Commodo

---

[1] *Magna lis eſt inter eruditos de Potamonis ætate. Olearius* Diſſert. de Secta Eclectica *eum III. ſæculo ponit. Alii cum Suida Auguſti tempore. vide Voſſium de* Sectis Philoſ. c. XXI. *Incerta omnia eſſe conficit Stanlejus* de Secta Eclectica c. I. [2] *Vide ſupra n. V.*

[3] *Hæc eſt communior ſententia: vid. Stanlei. l. c.*

modo imperatore floruit, id eſt, fine II. ſæculi: [1] non miſcendus cum Ammonio homine Chriſtiano, qui ſæculo III. ſcripſit *Harmoniam Evangeliſtarum*. [2] Is Chriſtianus religione, Athenagoræ, & Pantæni auditor, qui ἐκλέξιν inſtituebant, & Sacram doctrinam cum Philoſophia conjungere conabantur; Chriſtiana religione abjecta, non modo inter Philoſophorum ſectas pacem conciliare, quod tentarat Potamon, ſed etiam religiones omnes, & Gentilium ſuperſtitionem cum Philoſophia jungere voluit: [3] quod ſibi perſuaſerit, ſe hac de cauſſa & auditores plures habiturum, & nomen ſuum commendaturum poſteritati.

Id quam illi feliciter ſucceſſerit ex Hiſtoria fit manifeſtum. Sane ad Ammonii diſciplinam plurimi confugerunt, qui illius doctrinam longe lateque diffuderunt. E Paganis memorantur Dionyſ. Longinus, Philologus & Philoſophus præſtantiſſimus: [4] Origenes, diverſus ab Origene Adamantio Chriſtiano: Plotinus [5] qui Ammonii diſciplinam propagavit, & parens Recentiorum Platonicorum ſeu *Eclecticorum* jure nominatur: nam & Romæ hanc docuit Philippo imperante; & per diſcipulos ad uſque Græciam, & Aſiam, Africamque tranſmiſit. [6] Porphyrius Syrus, primum Origenis Adamantii, poſt Longini, & Plotini auditor, vir

[1] *Theodoretus* Therapeut. L. VI. p. m. 573.

[2] *Fabricius*, Biblioth. Vol. IV. pag. 159. 172.

[3] *Porphyrius apud Euſebium* Hiſt. E. L. VI. c. 19.

[4] *Exſtant illius opera* περὶ ὕψους, *ſeu de* Sublimitate Orationis.

[5] *Hujus vitam ſcripſit* Porphyrius *diſcipulus*, *præfixa Plotini operibus*. *Confer Fabricium* Biblioth. V. III. p. 88.

[6] *Sozomen*. Hiſtor. Eccleſ. L. I. c. 5.

vir litteratiſſimus,ſed Chriſtiani nominis hoſtis inſenſus:[1] Jamblichus diſcipulus [2] Julianus cæſar Apoſtata [3] monſtrum ex ſummis vitiis, & virtutibus compoſitum: [4] Proclus, Marinus, alii. E Chriſtianis præter ceteros Ammonium audivit Origenes Adamantius [5] vir erudi-tiſſimus, ut alios præteream.

Neque ſolum Alexandriæ, aut in Urbe, ſed etiam aliis in locis, & Athenis *Eclecticorum* ſcholæ fuerunt, qui nomine tenus *Recentiores Platonici* reputantur, reapſe vero *ſyncretiſmo* Alexandrino erant occupati. Finem autem fecit ſchola *Eclectica* medio VI. ſæculo, cum Juſtinianus cæſar philoſophis Paganis publicis ſcholis interdixit Athenis: qui proinde ad Perſas, & Orientem ſe receperunt. [6]

De hujus ſectæ placitis pauca ſunt adnotanda: cum ex iis, quæ diximus,ſatis conſtet, in id hos Philoſophos contendiſſe, ut ſectas, quæ Alexandriæ in honore erant, componerent: h. e. in Philoſophia ſententias Platonicorum, Ariſtotelicorum, Stoicorum copularent: in Theologia vero religiones omnes miſcerent. Quod ad Philoſo-phiam

---

[1] *Cave* Hiſt. Litt. Script. Eccleſ. p. 98. *ſcripta illius numerat Fabricius in Bibl. exſtant* Vita Pythag. & de Prædicabilibus, *alia*.

[2] *Exſtant ejus* Vita Pythag., Exhort. ad Philoſ., de Arithm., de Myſt. Aegypt., *alia*. *Conſ. Voſſium* de Sectis Phil. [3] *Exſtant illius opera*.

[4] *Ammianus Marcell.* in Juliano: *adde ex Recent. Tillemont*. Hiſt. des Emper. in Juliano.

[5] *Porph. in* Vit. Plotini.

[6] *Eclecticorum ſeu Platonicor. Recent. ſeriem refert Damaſcius, & ipſe Eclecticus: qui ultimus profeſſor fuit Athenis, Juſtiniano imperante. Exſtant illius ſcripta aliqua. Legatur Jonſius de* Script. Hiſt. Phil.

phiam ſpectat, in Dialecticis Ariſtotelem plerumque ſecuti ſunt, quamvis abſtruſiora aliqua addiderint ex Pythagora. In Metaphyſicis Aegyptiorum, Orientalium, Platonicorum, Pythagoreorum de Deo, & emanationibus compoſuerunt ſyſtema Theologico-Metaphyſicum tam obſcurum & intricatum, ut intelligi non poſſit. Nam quædam ex Chriſtianis, quædam ex Orientalibus obtorto collo ad Platoniſmum retulerunt. [1] Quod ipſum in Morali diſciplina præſtiterunt: quæ ex ſyſtemate Theologico-Metaphyſico derivatur tota. [2] De Phyſica parum ſolliciti, quæ plerumque cum Theologia ſua erat conjuncta, atque generalibus notionibus & verbis continebatur. [3]

Et hæc cauſſa fuit cur viri docti non nulli & veteres, & recentiores a verbis Plotini, Porphyrii, Jamblichi, Procli decepti ſcripſerint, quædam apud eos inveniri, quæ cum doctrinæ Catholicæ placitis conveniunt. Cum enim non explorarent nexum ſyſtematis, & conſuetudinem *Eclecticorum*, per errorem exiſtimarunt, ea Platonem; Ariſtotelem, ceteroſque dixiſſe, de quibus ne per ſomnium quidem cogitarunt. [4]

Et de *Eclecticorum* placitis hucuſque. Nunc de cauſſis condendæ Eclecticæ philoſophiæ breviter diſputabimus, imitantes viros doctos, qui nobis in hoc ſtadio præcurrerunt, qui, niſi cauſſis expoſitis, naturam Philoſophiæ hujuſmodi penitus cognoſci non poſſe exiſtimant. Ex quorum

---

[1] *Confer ſcripta* Plotini, *qui Recentiorum Platonicorum dogmata exponit. Cui addi poteſt* Porphyr. & Jamblichus.

[2] *Moralem diſciplinam exponit Holſtenius in* Vita Porphyrii c. 6. [3] *Conſule Plotinum ipſum*. Enn. 1I.

[4] *Hujuſmodi fuere Livius Galantes in* Comparatione Theolog. Chriſtianæ cum Platon. L. IX. *Huetius* in Dem. Evang. & QQ. Alnetanis L. 1I. *alii, Scholaſtici præſertim*.

lectione nos aliquid in hoc ſtudio profeciſſe grato animo confitemur.

I. Sane conſideranti libero judicio Alexandrinorum rempublicam, & incredibilem ſectarum diverſitatem, quæ paullo ante Chriſtum in ea vigebant, cogitatione repetenti; perſpicue intelligimus, alterutrum evenire debuiſſe, ut vel perpetuis contentionibus tota diſputantium familia ſcinderetur; vel aliquis inveniretur, qui eos in concordiam revocaret. Opportune aderant Sacerdotes Aegyptii, callidi homines, qui cum Orientales, & Pythagoreos, qui ſententias Aegyptiarum non diſſimiles tuebantur, ad ſua dogmata flexiſſent, ex iiſque novum ſyſtema compoſuiſſent; cauſſa fuere, cur alii, qui in Aegypto erant, Philoſophi aliquid ſimile tentarent.

Ac primum Platonici ab Antiocho Aſcalonita edocti; Stoicos cum Platone copularunt: (præſertim ob Moralem diſciplinam) atque adeo cum Pythagora, a quo Metaphyſicam ſuam accepiſſe Plato dicebatur. His adjungi debebat Ariſtoteles, cujus magna a longo tempore erat æſtimatio Alexandriæ: quique in pleriſque cum Platone convenire videbatur, & ob peritiam in Dialecticis prædicabatur. En ad *Syncretiſmum* doctrinarum via ſternitur: in quo præcipuus honos habitus fuit Platoni: qua de cauſſa *Recentiores Platonici* fuere nuncupati.

II. Acceſſit altera cauſſa ex hominum ingenio ducta. Nam non modo Orientales, & Aegyptii erant enthuſiaſtæ, & rerum *intelligibilium* ac divinarum perfectam ſe cognitionem habere prædicabant; verum etiam ipſimet Platonici, & Pythagorei idem peccatum peccabant. Nam *intelligibilium* eximiam cognitionem habuiſſe Platonem, & Pythagoram contendebant: & plerique eorum fanatici erant & enthuſiaſtæ, qui accuratiorem divinarum rerum, atque Deorum notitiam, &, ſi ſuperis placet, cum Diis uſum & confabulationem præ ſe ferebant: ut

ut ex *Gnoſticorum*, qui poſt fuere, hiſtoria manifeſtum fit.

III. Sed etiam Chriſtiana religio, quæ per id tempus exorta eſt, & Alexandriæ florebat, Paganos impulit quodammodo ad *ſyncretiſmum*. Nam cum Chriſtiani homines, & Philoſophi Ethnicorum religionem irriderent, eamque ex illorum principiis ſolide infirmarent; [1] Pagani, ne cauſſa caderent, multa ex aliis ſumſerunt, quæ noſtris opponerent: immo vero & verba, & ſententias Chriſtianorum aliquas uſurparunt, quibus fucum facerent noſtris, & perſuaderent iis, ſe non diſſimilia defendere. Quod præſertim fecit Ammonius, & reliquos edocuit, quo modo noſtrorum ictus poſſent eludere. Itaque aliqua Chriſti dogmata omnino depravata ad ſuum ſyſtema accommodavit: ut de tribus Divinis perſonis, de creatione materiæ ex nihilo, cetera. Quæ vero mutare non potuit, per inverſionem & allegoriam Aegyptiorum more interpretatus eſt. [2]

Hinc etiam Stoicorum diſciplinam Moralem, quæ ſanctior illis videbatur, receperunt in ſyſtema ſuum. [3] Contra vero Epicureorum dogmata, quæ noſtris erant exoſa, rejecerunt: hoc unum curantes, ut Platonem Ariſtoteli conciliarent. Quod ſane fieri non poterat ſine utriuſque ſyſtematis depravatione, propterea quia duo illi in pleriſque diſſentiebant.

IIII. Præterea Philoſophorum virtutes præcipue extollebant, quo oſtenderent, nihilo ſe cedere Chriſtianis & viris ſanctiſſimis. Chriſtum Dominum Philoſophorum

 albo

[1] *Conſtat id ex Hermiæ* Irriſione Gentilium.

[2] *Conferatur Moshemius* Diſſ. de ſtudio Ethnicorum Chriſt. imitandi *in Tom. Diſs. Eccleſ.*

[3] *Legatur Simplicius* in Epicteti Enchiridion, & *Hierocles* in Aurea Carmina.

albo adſcripſerunt, [1] adfirmantes, nihil eum in Paganis reprehendiſſe: [2] ſed quæcumque ex contrario producebantur, eſſe commenta diſcipulorum. [3] Quid? Philoſophis ſuis eadem miracula, quæ Chriſto, tribuebant: ut ne haberent Chriſtiani, quod in Chriſto Domino extollerent. [4] Quod ut facilius conſequerentur, libros ſuppoſiticios bene multos vulgarunt, quibus mendacia ſua tuerentur.

Jactabant præterea, ſe hac methodo divinam, humanamque ſapientiam inſtauraſſe. [5] Idque ſi minus ſententiis, & nexu, ſaltim vocabulis aliorum dogmata exprimentibus, præſtiterunt. Ex quo non modo maximum damnum Philoſophorum ſententiæ fecerunt, quæ ab iis corruptæ ad nos uſque per eorum manus pervenerunt; ſed etiam Doctoribus noſtris inpoſuerunt: qui ſimilitudine vocum decepti, & de hoc inludendi Chriſtianos artificio minime ſuſpicantes, facile ſibi perſuaſerunt, eos mutatis ſen-

---

[1] *Alexandrum Severum* inter animas ſanctiores Apollonium, & Chriſtum, & Abrahamum, & Orpheum, & hujuſcemodi Deos habuiſſe, *ex communi opinione refert Lampridius in* Alex. Sev. c. 29.

[2] Chriſtum neſcio quid aliud ſcripſiſſe, quam Chriſtiani docebant, nihilque ſenſiſſe contra Deos ſuos, ſed eos potius magico ritu coluiſſe, *ex opinione Gentil. refert Auguſt.* de Concordia Evang. L. I. p. 8. & 18. *adde Lactant.* Inſt. Div. L. IV. c. 13.

[3] *Aug. ibid. & de* Civ. D. L. IX. c. 23.

[4] *Legantur Porphyrii, & Jamblichi* Vita Pythagoræ, *ejuſdem Porphyrii* Vita Plotini, *Eunapii* Vitæ Sophiſtarum, *Damaſcii* Vita Iſidori, *Marini* Vita Procli, *quæ undique miraculis ſtupendis abundant, Philoſophiæ, ut ipſi ſomniant, beneficio patrata.*

[5] *Eunapius in* Præfat. ad Vit. Soph.

ſententiis aliquid dogmatibus noſtris conformius cogitaſſe.

Hæc fuit *Eclectica* ſecta uſque ad ſæculum VI. quæ tantum abſuit ut allevamentum adferret reipublicæ Litterariæ, ut potius doctrinas omnes depravarit, & turbas fecerit. Nam primum Veterum ſyſtema ab *Eclecticis* Gentilibus mutata fuere & corrupta. Deinde qui ex hujuſmodi diſciplina diſputarunt, acrius & pertinacius, quam ceteri, contenderunt. Nam recentiorum Platonicorum quiſque pro ingenio, pro neceſſitate nova dogmata cogitat, & defendit: [1] adeo ut eorum ſyſtema quale ſit, conſtitui certo non poſſit. Poſtremo plurimas in Eccleſia movit turbas, ut Marcionis, Valentini, Origenis, ceterorumque hæreſes conficiunt luculenter. [2] Sed hæc alias.

CAPUT X.

De Philoſophia Patrum uſque ad V. Eccleſiæ ſæculum.

APoſtolorum diſcipuli profanis ſtudiis non vacabant: ſed fide Catholica, & ſingulari morum integritate contenti, toti erant in eo, ut dogmata, quæ ab Apoſtolis acceperant, omni animi contentione propagarent, proque iis defendendis vitam profunderent: viri illi quidem de eruditione, & eloquentia parum ſolliciti. Quod primo ab Chriſto ſæculo potiſſimum inveteravit.

Sæculo autem II. multi litterati homines ad noſtrorum

 rum

[1] *Conſul. Grotium.* in Collect. Phil. Sent. de Fato, & Stobæi Eclog. [2] *Plura poſt Olearium, Moshemium, Galeum, Baltum, & de iis diſputat Bruckerus de* Secta Eclectica p. 357. ſeqq.

rum caſtra confugerunt. Movit eos primum doctrinæ ſanctitas ac præſtantia, quam noſtri prædicabant. Movere Chriſtianorum mores, qui rectæ rationi erant conſentanei. Movere ſtupenda miracula, quæ doctrinæ veritatem confirmabant. Quæ cum in Philoſophis ſuis fruſtra deſiderarent, [1] facile & Paganorum deliria cognoverunt, & ad noſtros tranſierunt.

Id ægre ferentes Philoſophi de pago, quorum illi caſtra deſeruerant, & animadvertentes, Chriſti doctrinam, quæ longe lateque fundebatur, non modo patriam religionem, ſed etiam ſectarum omnium fundamenta evertere; quaſi ſigno dato undique cum Chriſtianis prœlium comiſerunt: ac primum rationibus pugnarunt, quibus bene multas calumnias & convicia adjunxerunt: deinde magiſtratus in provinciis, ac Romanos imperatores incitarunt, ut in Chriſtianos homines, eorumque doctores, veluti in perturbatores reipublicæ, & avitæ religionis deſtructores, gladio ſævirent, eoſque, poſita pœna, ſilere cogerent. Quod in cauſſa fuit cur imperatores Romani martyres noſtros tam crudeliter divexarent.

Hiſce calumniis compulſi Chriſtiani homines, ii præſertim qui ex Philoſophis facti erant Chriſtiani, quod penitus intelligerent, quibus Ethnici principiis niterentur; Chriſti doctrinam contra eorum obtrectationes editis Apologiis defenderunt: Paganæ religionis abſurda patefecerunt: atque Græcos philoſophos propriis armis aggreſſi, eorum ſyſtemata everterunt, & confutarunt. [2] Nec id

---

[1] *Conſule Juſtinum Martyr. de ſe ipſo loquentem.*

[2] *Apologias ſcripſere e Græcis Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Hermias, Clemens Alexandrinus, ceteri. E Latinis Minutius Felix, Tertullianus, Arnobius, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, & reliqui.*

id ſolum, ſed etiam cum eorum ſectas conferrent inter ſe, quam futilia omnes defenderent, oſtenderunt. [1]

Hæreſes itidem nefariæ, quæ per id tempus excogitatæ fuere, & ex Alexandrina philoſophia naſcebantur, ut illa erat Valentini, & Gnoſticorum; Epiſcopos incitabant in Alexandrinos, præſertim in Platonem [2] & Ariſtotelem: [3] propterea quod exiſtimabant, non modo ab Orientali, & Aegyptiaca [ex Orientali, Aegyptiaca, & Græca philoſophia Alexandrina ſecta conſtabat] ſed etiam & multo magis a Platonica, & Ariſtotelica doctrina tales errores ortos eſſe.

Chriſtianorum itaque doctorum cura & ſtudium in duobus poſitum erat. Primum Gentilium armis ipſos Gentiles petebant, ut eorum diſciplinam labefactarent. Deinde eorumdem ſyſtemata curioſius explorabant, ut ſi qua occurrerent noſtris decretis repugnantia, vel aliquo modo conſentanea, ſepararent; horumque ope Chriſti doctrinam, ſi poſſent, inluſtrarent: atque hac via Paganos præpararent, ut noſtrorum dogmata facilius amplexarentur. [4] Quod ipſum plurimi doctores II. III. & IIII. ſæculo

[1] *Conferatur Juſtinus* Cohort. ad Græcos, *initio*: & *in* Dialogo cum Tryphone Judæo. *Tertullian.* Adverſ. Nation. L. II. *E Recentior. Baltus Jeſuita* in Defenſion. Patrum, qui de Platoniſmo accuſantur. L. III. c. 3. ſeqq. p. m. 106.

[2] *Gregor. Nazianz.* Orat. XXXVI. *Alios dabit Petavius* Dogm. Theolog. Tom. II. L. I. c. 8. p. m. 37. *Edition. Venet.*

[3] *Epiphanius* Hæres. LXXXVI. *§.* 2. *Conf. Petav. l. c. in Proleg. c.* III. *p.* 7. *ſeqq.*

[4] „ *Quemadmodum terram prius rigant agricolæ, deinde ſic ſemen injiciunt; ita etiam nos eo, quod „ bibi poteſt ex Græcorum ſcriptis, id, quod in eis eſt, ter-*

culo fecere : cujuſmodi fuere Origenes, Methodius, Euſebius, Apollinaris, Quadratus, Clemens Alexandrinus, Hippolytus, Julius Africanus, alii, quorum ſe auctoritate tuetur Hieronymus, [1] ut eiſdem veſtigiis inſiſtat.

Neque ſolum hiſce ſtudiis operam dabant, verum etiam auditores inſtituebant profanis diſciplinis. Nam Alexandriæ Pantænus Philoſophiam, & Sacras litteras docuit Clementem Alexandrinum: hic Origenem inſtituit: Origenes Gregorium Thaumaturgum, & Dionyſium Alexandrinum: a quibus plurimi diſcipuli fuere inſtituti. [2] Neque Philoſophiam modo, ſed etiam Eloquentiam, & Humanitatis litteras docebant, quo facilius eloquentiſſimis Paganis, qui per id tempus florebant, non rationibus modo ſe opponerent, verum etiam vi ac copia dicendi. Quod a fine II. ſæculi erat in uſu, ut Clementis Alexandrini ſcripta nos docent.

Non igitur Veteres epiſcopi alicui ſe Philoſopho & diſciplinæ mancipabant, vel ſectam condebant: ſed ex Paganorum libris ea legebant, quæ vel ad confirmandam Theologiam noſtram neceſſaria; vel quoquo modo accommodata videbantur, ut Paganorum philoſophiam, & theologiam everterent, eorumque in reprehendendo temeritatem & impudentiam confringerent. [3]

Animadvertebant autem inter Philoſophorum decreta quædam occurrere haud abſurda de Deo, de moribus, & ſi-

---

„ *terreſtre prius irrigamus, ut ſuſcipiant ſpirituale ſemen,* „ *quod dejicitur, & id facile poſſit alere*. Clemens Alex. Stromat. L. I. p. 278.

[1] Epiſt. LXXXIIII. ad Magnum Romanum Orator. *quæ omnino legi meretur*.

[2] *Gregor. Thaumaturg.* in Panegyric. Origenis.

[3] *Conferatur Baltus l. c. L. I.*

& ſimilia. [1] Cumque ſibi perſuaderent, hujuſmodi veritates ab Hebræis ad Græcos philoſophos, qui in Oriente Judæorum ſapientibus familiariter uſi fuerant, perveniſſe; [2] vel Deum id alio modo illis manifeſtaſſe; [3] exiſtimarunt debere ſe tales ſententias ad uſum Catholicum revocare: talemque philoſophandi viam Eclecticam a viro Chriſtiano ceteris eſſe anteponendam. [4]

Verum cum iidem doctores conſiderarent, pauca bona

---

[1] „ *Quod ſi exſtitiſſet aliquis, qui veritatem ſparſam per ſingulos, per ſectaſque diffuſam colligeret in unum, & redigeret corpus, is profecto non diſſentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, niſi veri peritus ac ſciens, poteſt. Verum autem ſcire non niſi ejus eſt, qui ſit doctus a Deo.* Lactant. *Divin. Inſtit. L. VII. c. 7.*

[2] „ *Hæc ipſa a barbara divinitus data ſurrepta gratia, Græca ornata ſunt eloquentia. Nam alia quidem ſunt ſuffurati* [ab Hebræis] *alia vero male audierunt. In aliis autem aliqua dixerunt commoti, ſed ea non reddidere perfecta: aliqua autem humana conjectura & ratiocinatione, in quibus etiam labuntur.* Clem. Alex. *Stromat. L. VI. p. 642.*

[3] *Juſtinus, & Gregor. Thaumat. aliique exiſtimabant, Deum non nullis de pago Philoſophis ſeſe manifeſtaſſe interno quodam lumine, & peculiari providentia.*

[4] „ *Philoſophiam autem non dico Stoicam, neque Platonicam, aut Epicuream, & Ariſtotelicam: ſed quæcumque ab his ſectis recte dicta ſunt, quæ docent juſtitiam cum pia ſcientia; hoc totum ſelectum Philoſophiam dico: quæcumque autem ex humanis amputata cogitationibus adulterarunt, ea numquam divina dixerim.* Clem. Alex. *Strom. L. I. p.* 288. Adde Gregor. Thaum. l. c. Juſtinum *in Dialogo cum Tryphone. p. m.* 218. Plures alios habes apud Voſſium *de Sectis Philoſ. p.* 118.

na innumeris perniciosis adjuncta in Philoſophorum libris occurrere, Chriſtianos tirones monuerunt, ut eos libero judicio expenderent: eaque ſtudioſe ſepararent, quæ utilitatis nonnihil præ ſe ferre videbantur, ad Theologiam inluſtrandam. [1]

Igitur Eclectica *Patrum* philoſophia non eadem erat, atque Eclectica Paganorum, qui Alexandriæ litteris vacabant. Hi enim centonem ex ſententiis ſibi repugnantibus, ſola voce, & modo explicandi ſimilibus, conſuebant: at Patres ſententias aliquot ſumebant, quibus divinæ traditionis ſigna aliqua ineſſe judicabant: has Philoſophiæ vocabulo diſtinguebant, laudabant: Philoſophorum vero ſyſtemata una voce execrabantur. [2] Primum, quod errores grandiuſculos continerent: deinde, quod ſibi perſuaderent, pæne omnes Paganos, præſertim Eclecticos, nefandam cum dæmoniis habere conſuetudinem. [3]

Quamquam vero in omnibus ſectis aliqua reprehenderent, quædam tamen ſyſtemata acrius deteſtabantur. Ac primum Epicuream condemnabant hoc nomine, quod rerum productione, ac procuratione mundi Deum privabat,

[1] „ *Moneo ne ſcriptoribus illis* [Philoſophis] *men-* „ *tes veſtras quaſi navis gubernacula tradatis, ita ut eos,* „ *quocumque ducunt, ſequamini: ſed, quæ tantum in his* „ *utilia erunt, volo vos conſectari, ac noſſe pariter, quæ* „ *ſint rejicienda*. Baſilius *Orat. de utilit. ex libris Gentil.* „ *cap*. Confer. Hieronym. l.c. Auguſt. de *Doctrina Chriſt. L. II. c.39.*

[2] *Hæc memoria tenenda ſunt, ut in concordiam vocentur loca Patrum, in quibus philoſophiam Græcam aliquando laudant, aliquando vituperant vehementer.*

]3] *Auguſt.* de Civit. D. L. X. c.10. 11.

bat, omniaque ex atomis compoſita eſſe contendebat concurſu fortuito. [1]

Ariſtotelicam autem philoſophiam Vatiniano odio proſequebantur: primum, quod æternum mundum eſſe defenderet: deinde, quod procuratione rerum humanarum Deum privaret: poſtremo, quod animum humanum adfirmaret eſſe mortalem: [2] uti ſupra demonſtravimus.

Hæc cauſſa fuit cur plerique omnes Patres in Ariſtotelem invecti ſint: quorum omnium nomina percenſere longum eſſet, aliqua vero proferre operæ pretium eſt. Sæculo igitur II. vehementer præter ceteros Ariſtotelem infectantur Juſtinus Martyr [3] Athenagoras [4] Irenæus [5] Tertullianus [6] Clemens Alexandrinus. [7] Sæculo III. Origenes. [8] Sæculo IIII. Lactantius [9] Euſebius Cæſarienſis [10] Athanaſius [11] Baſilius Cæſarienſis [12] Gregorius Nyſſenus [13] Gregorius Nazianzenus [14] Epi-

[1] *Clem. Alex.* Strom. L. V. p. 604. *Alios Patres profert Gaſſend.* de Vita Epicuri. L. III. c. 9.

[2] *Confer. Launojus* de Varia fortuna Ariſtotelis c. I. *&* *Gaſſendus* in Diſcuſſ. Peripat. *&* *Patricius*.

[3] Ariſtotelic. Dogm. everſ. *& in* Dialog. cum Tryph.

[4] De Reſurrectione [5] Adverſ. Hæreſ. L. II. c. 19.

[6] De Præſcript. c. 7. & Adverſ. Hermog. c. 1.

[7] Admonit. ad Gentil. & L. V. Stromat.

[8] Contra Celſum L. I. & II.

[9] Contra Gentil. L. I. c. 6. L. II. c. 11.

[10] Præparat. Evangel. L. XV. c. 1. 3. ſeqq. Hiſtor. Eccleſ. L. V. c. 27. [11] Dialog. I I. contr. Macedon.

[12] Contra Eunom. L. I. [13] Oration. VI. & XI. contr. Eunom. & in Præfat. Catechet. orat.

[14] Oration. XXVI. & XXXIII. & Oration. ad Concil. Conſtantinopol.

Epiphanius [1] Ambroſius [2] Chryſoſtomus [3] Nemeſius. [4] Sæculo V. Simplicianus Mediolanenſis [5] Socrates Conſtantinopolitanus [6] Aeneas Gazenſis [7] Apollinaris Sidonius[8]Hieronymus[9] Auguſtinus [10] Vincentius Lirinenſis[11] Theodoretus[12] ceteri, quorum loca profert Launojus. [13] Nulli autem hiſce ſæculis exſtitere, qui Ariſtotelis philoſophiam publice interpretarentur: ſi excipias Anatolium, Zachariam Scholaſticum, Didymum Alexandrinum, & neſcio quem alium obſcuri nominis, qui tamen plerumque Eclectici fuere.

Placuit autem præter ceteras Chriſtianis doctoribus Platonica philoſophia. Non quod hominis ſyſtema probarent; quippe qui uno ore faterentur, Platonem tot inter errores grandiuſculos hoc habere, ut ad Polytheiſmum homines manuduceret: [14] ſed quod aliqua dogmata in Platone, & recentioribus Platonicis occurrerent de Deo, & re-

[1] Contra Hæreſ. L. II. Hæreſ. *69.* & *76.*
[2] Officior. L. I. c. 13. & de Fide L. I. c. *5.*
[3] Homil. III. in c. I. ad Romanos.
[4] De Natura Hominis.
[5] *Apud Auguſtin.* Confeſſ. L. VIII. c. 2.
[6] Hiſtor. Eccleſ. L. II. c. 28. [7] In Theophraſto.
[8] L. IIII. epiſt. 3. & Carm. II.
[9] Epiſt. LXXXIIII. ad Magnum, & Epiſt. LXII. adv. Joann. Jeroſ. & L. I. contra Pelag. & L. X. contra Helvid. & in Dialog. adverſ. Lucifer.
[10] Contra Julian. L. II. c. 10. L. V. c. 14. L. VI. c. 20. *& ſæpe alias.* [11] *In* Commonitorio.
[12] *De* Religioſa Hiſtor. c. 27. Serm. v. de Natura Hominis. [13] *De* Varia fortuna Ariſtotelis c. 2.
[14] *Euſeb. Cæſarienſ.* Præparat. L XIII. *Lactant.* Inſtit. Divin. L. III. c. 20. ſeqq. *Vide Baltum Jeſuitam l. c. L. III. integro.*

& rebus Divinis, quæ paucis mutatis ad Chriſti doctrinam accomodari poterant: & ex Hebræorum ſcriptis ad Græcos: ab his ad Pythagoram, Platonem, ceteroſque perveniſſe Patrum non nulli ſuſpicabantur. [1] Communis enim hæc perſuaſio fuit Judæorum, qui erant Alexandriæ: a quibus per Philonem, & alios *neophytos* pervenit ad noſtros.

Quamquam vero doctores Chriſtiani ex ſingulis ſectis dogmata quædam excerperent, adtamen potiſſimum ex Platone, non illo antiquiore quidem, cujus in Academia veteri dogmata tradebantur; ſed ex recentiori Platone, id eſt, Alexandrinorum interpretationibus mutato, præcipuas ſententias ſumebant, cum de Deo erant diſputaturi. Quo ſenſu, non alio, Veteres epiſcopi judicantur *Platonici*. [2]

Invaluit id a ſæculo II. in quo Athenagoras, & Clemens Alexandrinus in primis Eclecticam hanc diſputandi rationem ab ſcholis Paganorum ad noſtras traxerunt. Quod paullo poſt Origenes Adamantius, & ipſe apud Paganos Alexandriæ inſtitutus, majori vi ac animi contentione fecit: atque ad Ammonii præceptoris ſyſtema Clementis Alexandrini philoſophandi rationem revocavit: eamdemque invexit in Eccleſiam, & toto animo propagavit.

[1] *Confer. Juſtin.* L. Contra Gent. *Clem. Alexandr.* Strom. L. I. p.315. 342. L.II. p.419. ſed præſertim L.V. *Auguſt.* Civit. Dei L. VIII. c. 9. 10. *Confer.* *Petavius.* Dogm. Theolog. L. III. c. 10. 11. ſeqq. & *Joannes Lamius* de Chriſtian. recta ſententia de SS. Trinitate L. II. & III. per totum.

[2] *Diſputant acriter eruditi de* Platoniſmo *Veterum epiſcoporum. Eos accuſant Huetius, Criſpus, alii: Baltus vero defendit. Utrique tamen ex hucuſque diſputatis facile in concordiam adduci poſſunt.*

vit. [1] Adeo ineunte ſæculo III. hujuſmodi Philoſophia apud noſtros obtinuit: quod exiſtimarent, percommodum eſſe hujuſmodi hypotheſibus uti, quo facilius Paganorum argumenta debilitarent.

Non ergo aliquis requirat in veteribus doctoribus ſectam aliquam, aut perfectum Piloſophiæ ſyſtema. Non *Logicam* abſolutam, cujus tantum leges addiſcebant, ut ſcirent diſputare; [2] eaſque interdum, religionis defendendæ zelo abjiciebant, & oratorio modo diſputabant. [3] Non *Criticæ* artis ſummam peritiam, quæ nata nondum erat: & viris in defendenda Chriſti doctrina occupatis neceſſaria non videbatur: fortaſſe cognita non erat. [4] Non *Phyſicam* diſciplinam, propterea quod ea cum ſyſtemate Metaphyſico Gentilium arctiſſimo nexu colligabatur: ipſi autem omnia illorum ſyſtemata tamquam perniciosa rejiciebant; Epicuri præſertim, quod punctum in Phyſica tollebat: nec ad religionem defendendam utilem, ſaltim neceſſariam Phyſicam eſſe exiſtimabant. [5] Non juſtum *Metaphyſicæ* corpus, idque eodem nomine. Nam ea tantum ex Metaphyſica ſumebant, quæ ad diſputandum de Deo, de Anima, utiliora videbantur.

Mo-

---

[1] *Gregor. Thaumat.* in Panegyrico Origen., *&* *Huetius* in Origenian. Diſſertation.

[2] *Conf. Maſſuetus*, Diſſert. III. in Irenæum p. 106.

[3] „ *Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur: in* „ *ipſis gymnaſiis ſuis jam Dialectica tacet .... Non creditur Philoſophis, creditur piſcatoribus: non creditur* „ *Dialecticis, creditur publicanis*. Ambroſ. de Fide L. I. c. 5.

[4] *Conf. Photium* Cod. CLXX. p. 197.

[5] *Conf. Euſebius Cæſar.* Præpar. Evang. L. XV. c. 1. & 61. *Tamen aliqui phyſicis rationibus uſi Religionis noſtræ dogmata aliqua confirmarunt, ut Athenagoras diſputans de* Carnis reſurrectione, *Nemeſius* de Natura hominis.

Moralem tantum philoſophiam coluerunt: eamque non ordine diſputarunt, ſi Ambroſium [1] & paucos alios excipias: ſed ſparſim tradiderunt, ut eorum ſcripta conſulenti manifeſtum erit. [2] Et hoc modo Philoſophia in eccleſia Chriſti obtinuit uſque ad ſæculum V.

Caput XI.

De Philoſophia Chriſtianorum, & Arabum a VI. Sæculo ad uſque X.

EAdem philoſophandi via Eclectica VI. ſæculo in uſu erat cum in Oriente, tum in Occidente. Florebat enim per idem tempus Plotiniana ſchola non apud Gentiles [3] modo, verum etiam Chriſtianos. [4] Verum cum Juſtinianus imperator circiter medium VI. ſæculi Gentilibus philoſophis docendi munus abſtuliſſet, [5] plerique ad Choſroem Perſarum regem confugerunt. Et quamquam paullo poſt reverſi, ita diſſipatas nacti ſunt Philoſophorum familias, ut fere omnes ſectæ interierint: nec niſi apud Chriſtianos doctores Eclectica aliqua vigeret.

Sub idem tempus ſenſim ſine ſenſu obtinuit Ariſtotelica dialectica. Cauſſa hæc fuit. Cum hæretici Ariani, Eunomiani, Eutychiani, alii IIII. & V. ſæculo, Dialecticæ adju-

---

[1] *Libro de* Officiis.

[2] *Conferatur Dupinus* de Scriptorib. Eccleſ. *qui eorum opera percenſet*.

[3] *Auguſtin. in* Epilogo Dialog. Academic.

[4] *Vel unus Auguſtinus in libris* Contra Academicos, *& de* Civitate D. L. VIII. *abunde probat, qaantum ipſe, aliique facerent Platonicos Recentiores*.

[5] *Procopius in* Anecdotis, ſeu L. IX. de Vita Juſtiniani, & Theodoræ.

adjumentis & præſidiis dogmata inpeterent, & laqueis ac argutiis ſuis irretirent noſtros; hi, quo facilius hoſtium impetus retunderent, toti ſe Dialecticæ dedere: quæ jam in Alexandrinorum ſcholis ſobrie diſputabatur, ut alio loco demonſtravimus. Quod ſtudium tam placuit non nullis, ut ipſi Chriſtiani profeſſores, qui Ariſtotelem ab ſcholis ſtudioſe excluſerant, eumdem mutata voluntate, prætermiſſo Platone, interpretari cœperint, in Oriente præſertim. Quod VII. & VIII. ſæculo altiores egit radices.

Claruere autem præter ceteros in Oriente ſæculo VI. Zacharias Scholaſticus Eclecticus:[1] & paullo poſt Joannes Philoponus, qui & Ariſtotelicam,[2] & Platonicam Alexandrino modo inluſtravit. Circiter medium VIII. ſæculi B. Joannes Monachus, a Damaſco patria *Damaſcenus* nominatus, in Ariſtotelem ſcripſit, [3] & in primis numeratur, qui Peripateticam dialecticam cum Theologia copularunt.

At ſæculo VIII. exeunte, & ineunte VIIII. omnino apud Græcos litteræ extinctæ videbantur: cum Arabum excurſionibus, qui diſputandi otium doctoribus nullum dabant, ſed litteras delebant ubique: tum Imperatorum, & præſertim Leonis Iſaurici tyrannide, & incredibili in litteratos odio: [4] qui medio VIII. ſæculo diſciplinas omnes abo-

---

[1] *Exſtant illius ſcripta* Contra Manich. *&* Mundi Aeternit.

[2] *Commentatus eſt in* Analyt. prior. & poſt. libros Phyſicos, Meteora, de Anima, Gener. animal. & libros Metaphyſ. Ariſtotelis.

[3] *Exſtant illius* Capita Philoſophica, *quæ Dialecticam exponunt*. & Diſſertationes V. *Vide* Damaſceni editionem P. le Quien. Pariſ. 1712. fol. V. II.

[4] *Paullus Diaconus* Hiſt. L. XXI. c. 19.

abolere conabatur. Et niſi medio IX. ſæculo *Michael III.* imperator, & hujus avunculus *Barda* cæſar Philoſophiæ, & Legum ſtudium, quod prope erat extinctum, ſuſcitarent, atque ſcholas conſtituerent, [1] omnino Græca philoſophia oblivione deleta fuiſſet.

Floruere itaque IX. ſæculo exeunte, & initio X. plurimi non modo philoſophiæ Alexandrinæ, & Mathematicæ, ſed etiam humaniorum litterarum laude inluſtres: ut *Leo Philoſophus*, diverſus a Leone imperatore, *Photius*, vir polyhiſtor, & κριτικώτατος, *Michael Pſellus*, *Michael Epheſius*, *Magentinus*, alii, quorum tres ultimi Ariſtotelis dialecticam lucubrationibus ſuis inluſtrarunt. [2] Sed redeo ad Occidentem.

Porro autem Occidentales philoſophi, qui per id tempus in Oriente litteris operam dabant, ex Eclectica philoſophia paullatim ad Ariſtotelicam ſunt delapſi: & vel Platonis, vel Ariſtotelis ſententias cum decretis Catholicis pedetentim copularunt. Quod VI. ſæculo ineunte præter ceteros fecit *Severinus Boethius*, vir litteratiſſimus, qui præter ſcripta quædam Eclectica, Ariſtotelis, & Porphyrii libros aliquot Latine redditos expoſuit: [3] & *Aurelius Caſſiodorus*, qui librum de ſeptem diſciplinis edidit, ubi de Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Aſtronomia diſſerit. Qui duo, ut alios omittamus, poſterioribus ſæculis magno in honore fuerunt.

At paullo poſt & VII. ſæculo tanta fuit in Occidente litterarum ignoratio, tantaque barbaries in omnibus domina-

[1] *Zonaras in* Annal. Tom. III. p. 129.

[2] *Fabricius* Biblioth. Græc. Vol. VI. *ſcripta, quæ exſtant, numerat*.

[3] *Conferatur Holſtenius* in Vita Porphyr. c. 1. p. m. 10.

minatá eſt, ut credi vix poſſit. Cauſſæ hujus rei memorantur multæ. Primo Barbarorum excurſiones, qui & Philoſophis otium adimebant, & impediebant ne Athenas, & Alexandriam, duas illas doctrinarum altrices, accederent ſtudioſi. Deinde Juſtiniani cæſaris in Gentiles, qui Athenis docebant, odium: qui cum Cæſaris dicto audientes ab Urbe exirent, una cum Eclectica ſecta pæne omnis interiit Philoſophia. Tum Saracenorum tyrannis, & inſcitia, qui ſubacta Aegypto Philoſophos Alexandria ejecerunt & diſſiparunt. Deinde ſermonis Græci in Occidente ignoratio, quæ in cauſſa fuit cur Græcos libros non legerent. Ad hæc Aſtrologorum inpudentia, qui cum ſe Mathematicos, & Philoſophos nominaſſent, & inlicitas artes excitaſſent, conſtitutionibus imperatoriis [1] & ſacris [2] compreſſi ſunt. Quod tantam in Philoſophos conflavit invidiam, ut ii etiam tacere cogerentur. Poſtremo librorum raritas. Quæ, ut alia non eſſent, ſatis oſtendunt, quantum Pagana philoſophia damni fecerit.

In tanta philoſophiæ caligine non defuere tamen, qui eam ſuo modo excoluerint, & ab oblivione quodammodo ſuſcitarint. Laudantur hoc nomine *Benedictini Monachi*, qui labentibus litteris in Occidente præſto fuerunt: & pro ſæculi captu non mediocre adjumentum tulerunt: in Hibernia præſertim, & Anglia, quæ, deletis litteris in Gallia, Hiſpania, Italia, idque excurſionibus Longobardorum, Saracenorum, aliorumque VII. & VIII.

---

[1] De Maleficis & Mathematic. *Codic. Juſt. L. X. t.* 18. De Mathem. Urbe Roma, ac omnibus Civit. pellendis, & eorum Codicib. cremandis. *Codic. Theodoſ. L. VIII. 1. 16.*

[2] *Concil. Laodic. Can. 36. apud Photium* Nomocan. T. IX. c. 25.

& VIII.ſæculo, aſyla fuere eruditionis. [1] Quod inſtitutum aliæ nationes itidem retinuere. Qualis autem eſſet illorum temporum eruditio, eſt conſiderandum.

Principio in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, operam ponebant. Eas autem ex libris *Boethii* [2] *Caſſiodori* [3] *Marciani Capellæ* [4] ceterorumque, qui de iiſdem artibus aliquid ſcripſerant, hauriebant. Cumque Ariſtotelis dialectica propter auctoris nomen eſſet inviſa pleriſque, & libri quidam exſtarent de *Dialectica* Beatiſſimi Auguſtini nomine; hi, rejectis Ariſtotelicis libris, in Eccleſia lecti fuere, [5] quod per plura ſæcula inveteravit. [6] Hæc rudiores: politiores vero addebant Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam: ſed præſertim in Muſica Eccleſiaſtica cura eorum omnis conſumebatur. [7] Hæc ex *Bedæ* ſcriptis nobilis VIII. ſæculo Benedictini, nec Græce, nec Latine indocti, conſtant: qui & illos, quos nominavimus, interpretatus eſt, & ex Ariſtotele, ac Cicerone non nihil etiam delibavit.

Phyſica vero diſciplina tanto in contemptu erat, ut *Beda* ipſe conqueratur, [8] ſe, quod librum de *Tonitruis* ſcripſiſſet, in ſuſpicionem Magiæ incidiſſe. De Metaphyſica, ceteriſque Philoſophiæ partibus vix aliquid ſcriptum

H 2 inve-

---

[1] *Hermanus Conringius* Antiq. Academ. Supplem. XXXI. *Beda* Hiſt. Anglic. L. IV. c. 1. 2.

[2] *Sariſberienſ.* Policrat. L. III. c. 9.

[3] *Paullus Diacon*. Hiſt. Rom. L. VIII.

[4] *Greg. Turonenſ.* Hiſt. Franc. L. X. fine.

[5] *Launojus* de Scholis Celebriorib. c. LIX. art. 1.

[6] *Idem* de Fortuna Ariſtotel. c. V.

[7] *Launojus ll. cc. Confer. Fabric.* Biblioth. Lat. Med. Tom. I. p. 644. ſeq. *qui memorat auctores, qui per id tempus de cantu Eccleſiaſtico ſcripſerunt.*

[8] In Præfat. Libri de Tonitruis.

invenimus. Niſi quod Ethicam de libris *Moralibus* B. Gregorii Magni non nulli hauriebant. [1]

Itaque, qui ſub idem tempus ſtudiis litterarum vacabant, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam addiſcebant, quas *trivium* vocabant. Qui vero aliquid melius ſcire cupiebant, præter trivium addiſcebant Geometriam, Arithmeticam, & Muſicam, quas vocabant *quadrivium*. Quibus tantum tribuebant, ut communis hæc fuerit omnium perſuaſio, hiſce diſciplinis univerſæ Philoſophiæ ambitum definiri. [2]

Harum autem diſciplinarum ſtudium omnino VIII. ſæculo exeunte, & ineunte IX. propagatum eſt opera *Caroli Magni* imperatoris: qui non modo Liberales artes ab *Alcuino* Benedictino Anglo didicit; [2] verum etiam ſcholas publicas Pariſiis, Lugduni, Fuldæ, & aliis in locis aperuit, & dotavit: ut in iis liberales artes, & Sacræ litteræ publico bono paterent. De quibus ulterius non

---

[1] *Fidem facit Taio Epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui ex eo* Morales ſententias *excerpsit*.

[2] „ *Sed cum artium multa ſunt genera, ingenio philoſophantis primæ omnium liberales occurrunt. Hæ quidem omnes aut* trivii, *aut* quadrivii *ratione clauduntur: & tantam dicunt obtinuiſſe efficaciam apud majores, qui eis diligenter inſtiterant; ut omnem aperirent lectionem, ad omnia intellectum erigerent, & omnium quæſtionum, quæ probari poſſunt, difficultatem ſufficerent enodare. Neque enim doctore egebant in aperiendis libris, aut quæſtionibus diſſolvendis hi, quibus aut ratio* trivii *omnium ſermonum, aut* quadrivii *lex totius naturæ ſecreta exponebat*. Joannes Sariſberienſis *Metalog. L. I. c. 12. p. 758.*

[3] *Eginhardus* in Vita Carol. Magn. c. 25.

non dicemus, quod hæc copioſe expoſuerit vir doctus. [1] Et optimi principis tam ardens fuit in litteras ſtudium, ut Epiſcopos, & Abbates vehementer cohortatus fuerit, ut ſcholas conderent & conſtituerent. [2] Quod Ludovici Pii, & Caroli Calvi imperatorum auctoritate confectum eſt: [3] quorum juſſu plurimis in locis litteræ excitatæ fuere: plurimaque gymnaſia aperta juventutis commoditati.

Hiſce limitibus continebatur ſæcularis IX. & X. ſæculi eruditio. Non nulli autem excerpebant ex veteribus Chriſtianis ſententias aliquot morales, quo facilius alios erudirent: ut *Rhabanus Maurus*, *Walafridus Strabo*, *Alvarus Cordubenſis*, *Hincmarus Rhemenſis*, *Herricus Antiſſiodorenſis*, cæterique [4] Monachi Benedictini, qui principatum in litteris ſub idem tempus tenebant.

Acuit tamen non nullorum induſtriam IX. ſæculo *Joannes* quidam Scotus cognomine *Erigena*: qui, quod Hebraice, Græce, Arabice, Latine ſciret, in magnam venit opinionem doctrinæ: cujus nomine a Carolo Calvo imperatore ex Anglia in Galliam vocatus, publice docuit Pariſiis. [5] Hic cum libros Græcorum aliquot legiſſet, ſtudium Dialecticæ Alexandrinæ in Occidente inſtauravit, editis libris de *Natura omnium rerum*, [6] qui plurimas lites moverunt in Eccleſia.

[1] *Joannes Launojus* de Scholis Celebrioribus.

[2] *Legantur* Capitularia Caroli Magni.

[3] *Capitularium c.* v. *Confer. Launojus* l. c. cap. II. & ſæpe alibi.

[4] *Confer. Caveus* de Hiſt. Eccleſ. VIII. & X. ſæculi *p. m.* 435. *&* 438. *Dupinus* in Bibliothec. AA. ad ſæc. prædicta, *&* *Mabillonus* Annal. T. I.

[5] *Guilielmus Malmesburienſis* de Geſtis Reg. Angl. L. II. c. 4.

[6] *Exſtant editi* Oxonii 1681. fol.

Mirandum non eſt tantas tenebras hac ætate hominum mentes in ſæcularibus litteris occupaſſe : nam tametſi Imperatores nonnulli opem tulerint diſciplinis , tamen vix ſatis otii habebant eruditi in tanto armorum ſtrepitu : vaſtantibus Normannis Galliam , Hunnis Pannoniam , & Germaniam , Danis , & Normannis Angliam : immo vero concitatis animis inter ſe imperatorum Ludovici , Caroli, Lotharii, qui fraternæ obliti caritatis mutuis ſe armis petebant . Adeo inter bellorum tumultus muſæ conticuerunt .

Cauſſa hæc fuit præcipua cur X. ſæculo tanta fuerit in Europa inſcitia litterarum , quantam homo hiſtoria non eruditus vix ſuſpicari poteſt : adeo ut plures , qui divino miniſterio mancipati erant , Grammatica , & Rhetorica non eſſent eruditi : nec Latinam linguam facile intelligerent . [1] E gravioribus vero diſciplinis Dialectica quædam contentioſa colebatur : [2] quæ quidem turbas bene

[1] *Baronius* Annal. Eccleſ. ad ann. 992. n. 25.

[2] „ *Eſſe adhuc ſuo tempore Dialecticæ ita ſtudioſos ,*
„ *ut clament in compitis , & in triviis doceant , & in ea ,*
„ *quam ſolam profitentur , non decennium , aut vicennium ,*
„ *ſed totam conſumpſerint ætatem .... Fieri itaque illos*
„ *in puerilibus academicos ſenes , omnem dictorum , aut*
„ *ſcriptorum excutere syllabam , immo & litteram , dubitantes ad omnia , quærentes ſemper , ſed nunquam ad*
„ *ſcientiam pervenientes : & tandem converti ad vaniloquium , ac neſcientes quid loquantur , aut de quibus adſerant , errores condere novos , & antiquorum aut neſcire , aut dedignari ſententias imitari ..... Tantam*
„ *eſſe opinionum , oppoſitionumque congeriem , ut vix ſuo*
„ *nota eſſe poſſint auctori .* Joannes Sariſberienſis *Metalog. L. II. c. 7. p. m. 797.*

ne multas inter Chriſtianos commovit. Et tamen, qui his artibus erant initiati ad miraculum eruditi ab indoctis prædicabantur.

Monachi, qui litteris vacabant, ſibi, non populo, philoſophabantur: nec ultra *trivium*, & *quadrivium* aliquid addiſcebant. Qui vero aliorum commodo ſcribebant, vel doctorem domeſticum interpretabantur, vel aliquid tradebant de Liberalibus diſciplinis: ut *Bridferthus* [1] *Alfredus* [2] *Gerbertus*, qui fuit Silveſter Papa II. [3] alii. Unus invenitur *Nanno* Friſo, qui, raro exemplo, aliquid de Græcis delibavit. [4] Ceteri intra Liberalium diſciplinarum fines continebant ſeſe.

Quidquid autem eruditionis per id tempus, immo & poſt exſtitit in Occidente, acceptum referunt Hiſtorici viris principibus, pro ſæculi more litteratiſſimis, qui & favore, & munificentia litteras inſtaurarunt. Hujuſmodi fuere *Otto II.* & *III.* imperatores Romani, [5] & reges Angliæ non nulli: [6] qui & doctos homines erexerunt, & auctores fuere Epiſcopis, ut eoſdem ad augendas litte-

 ras,

---

[1] *Explanavit Bedæ librum* de Natura rerum, & temporibus: *aliaque Mathem. edidit. Fabric.* Biblioth. Latin. Med. Tom. I. p. 763.

[2] *Scripſit* de Naturis rerum: *Vide Caveum* Hiſt. Litter.

[3] *Scripſit non nulla Mathem. in Mechanicis artibus excelluit. Confer. Oudinus* de Script. Eccleſ. Tom. II. p. 513.

[4] *Scripſit in Platonem de* Legibus, & Republica: *&* *in Ariſtotelem de* Cælo, & Mundo, & Ethicam. *Fabric. l. c.* Tom. V. p. 287.

[5] *Conringius* Antiqq. Academ. Suppl. XLII. *Bruckerus* de Phil. Chriſt. Occid. p. m. 637. [6] *ibid.*

ras, quæ tunc vigebant, in Gallia, & Anglia, & Germania poſitis præmiis invitarent. [1] Quod ſtudium ac providentia non illa quidem diſciplinas emendavit; at certe, ne omnino extinguerentur, effecit. Verum nec illi Liberales artes diligenter explicarunt, nec tales lucubrationes ediderunt, quæ cum politioribus ſæculis comparari poſſint. Et de Chriſtianis hucuſque.

Jam *Arabes*, ſeu *Saraceni* hanc laudem ſibi vindicant, quod quo tempore depreſſa litteratura omnis, & præſertim Philoſophia erat in Occidente, ipſi obſtaculo fuere ne funditus interirent hujuſmodi diſciplinæ, quas ſumma cum animi contentione excoluerunt.

Id eo mirabilius videri debet, primum quod gens illa præter rudem quamdam Poeſin, cui plurimum tribuebat, & Aſtrologiam judiciariam, [2] de reliquis diſciplinis non erat ſollicita. [3] Deinde quod Muhammedes, qui initio ſæculi VII. legem ſuam, ſeu *Coranum*, ex doctrinis Neſtorianorum, Judæorum, & Arabum, ſibi repugnantibus, conſuiſſet; lege mandaverat, ut ne quis de religione diſputaret, neve Philoſophiæ daret operam. [4] Timebat enim ſibi, ſuoque *Corano* nugator ine-

---

[1] *Confer. Launojus loc. cit. Mabill.* Sæcul. V. Benedict.

[2] *Pocockius* Specim. hiſt. Arabum, pag. 52. ſeqq. & pag. 163. *Abulfarajus* Dynaſt. IX. p. 101.

[3] Philoſophiæ ſcientiam Deum Arabibus non conceſſiſſe, nec eos ad hæc ſtudia idoneos feciſſe, *ait Abulfarajus Arabs loco cit. p.* 102.

[4] Sectam enim Hanafiticam, & legem Muhammedicam vetuiſſe homines, ne in Philoſophiam ſe immitterent, & ut caverent ab ea monuiſſe, *ait Abu-Jaafar apud Bruckerum de* Philoſ. Saracen. p. m. 15.

ineptus, & qui nullam litteram adtigiſſet: [1] in hoc ſolum oculatus, quod plane intelligeret, ſi ad trutinam Philoſophicam deliria ſua revocarentur, omnino rejectum iri. Iccirco cum religionis nomine, tum armorum vi & legem divulgavit, & populos in officio continuit: [2] trito deceptorum, & veræ religionis hoſtium exemplo.

Hæc autem lex tam alte eorum animis defixa erat, ut quo quiſque inter eos magis eſſet religioſus, & ſtudioſus *Corani*, eo majori odio litteras omnes, & Philoſophiam proſequeretur. Chaliſæ ſeu imperatores Saraceni, præſertim qui ex Omiadarum familia primis ſucceſſerunt, Muhammedis ſui veſtigia religioſe preſſerunt: in eo tantum occupati, ut imperii fines dilatarent, & armorum vi cogerent eos, qui doctrinam Muhammedanicam nollent amplecti. Quod ad uſque medium VIII. ſæculum Saraceni fecere.

Omiadarum familiæ ſucceſſit Abbaſidarum, quos inter *Al-Manſor* princeps excellentis ingenii pertæſus veteris inſcitiæ, ampliſſimis propoſitis præmiis litteratos invitavit, ut Græcorum libros, qui de Philoſophia, Aſtronomia, Mathematica, Medicina tractarent, Arabice verterent ad uſum Saracenorum. Quod cum Arabes indocti facere non poſſent, excitati Chriſtiani aliqui eos in Arabicum, & Syriacum, qui in Bagdado regia erat in uſu, ſermonem verterunt. [3] Quæ cauſſa fuit cur Chaliſæ, qui poſt fuere, litteratos homines benivolentia proſequerentur. [4]

Sed

[1] *Abulfarajus l. c. p.* 110.
[2] *Confer.* Al-Coranus L. I. c. 1.
[3] *Abulfar.* Dyn. IX.
[1] *Elmacinus* Hiſt. Sarac. L. 1I. c. 3. *ſeqq.*

Sed omne tulit punctum Chaliſa *Al-Mamon*, qui initio ſæculi IX. beneficio litterarum regnavit. Nam cum Chriſtianis medicis, quorum erat copia in Arabia, & Aegypto, [1] uteretur; ex horum conſuetudine ad Philoſophiæ ſtudium accenſus eſt: & facta Philoſophis poteſtate publice in Bagdado, & omnibus provinciis ſuæ ditioni ſubjectis, docendi, peritiſſimos viros undique adſcivit plerumque Chriſtianos, ſcholas erexit, omneſque ad litterarium otium munificentia ſua invitavit. Qua de cauſſa a Saracenis litterarum pater merito ſuo nuncupatur. [2]

Et quo facilius litteris darent operam, ipſe familiares in Syriam, Armeniam, Aegyptum dimiſit, qui libros omnes Græcos, Syriacos, Perſicos, Chaldæos, Aegyptios mercarentur, & Bagdadum adducerent. Horum meliores ſegregari juſſit, eos præſertim, qui Geographiam, Hiſtoriam, Phyſicam, Medicinam, Aſtronomiam, Muſicam continebant, & in Arabicum verti curavit. [3] Neque his codicibus contentus, imperatores Romanos vehementer rogavit, ut Philoſophorum libros, qui apud Romanos eſſent, mitterent ad eum. [4] Quo facto ingentem librorum ſupellectilem ſibi comparavit. Princeps vel hoc nomine inluſtris, quod non ſolum litteras inſtauraret, ſed etiam doctiſſimorum hominum ſermone, atque lectione librorum mirandum in modum delectaretur. Multo clarior futurus, niſi inepto conſilio, poſt factas verſiones Ara-

[1] *Abulfarajus l. c. p.* 153.

[2] *idem ibid. pag.* 160. *Leo African.* de Viris Inluſtr. capit. 1. *Voſſius* De Scientiis Mathem. p. 173. *aliique paſſim*.

[3] *Africanus loc. cit.*

[4] *Abulfarajus* Dynaſt. IX. p. 160.

Arabicas, exempla Græca flammis conſumi juſſiſſet, & exemplo ſuo Saracenos ad generale incendium incitaſſet. [1] Documento inſigni quam gravi malo litterarum Græcarum hæc ſtudia ſint excitata Saracenorum.

Ab hoc tempore litteris honos apud *Saracenos* habitus eſt: quod veſtigia *Al-Mamonis* ceteri Chalifæ preſſerunt. [2] Plurimæ ſcholæ, & collegia litterarum in toto regno Saracenico condita fuere publico bono ab imperatoribus Saracenis: non modo cum ipſi cunctis provinciis imperabant, ſed etiam cum eorum imperium diviſum eſt in plures Chaliſatus, & Aegyptum, Africam, Mauritaniam, [3] immo & aliquas Hiſpaniæ, & Siciliæ, & Italiæ, & Galliæ partes ab VIIII. ſæculo occuparunt: [4] quod XI. ſæculo præſertim accidit.

Celebriores autem ſcholæ fuere in Aſia *Bagdadum*, *Baſora*, *Cuſa*, *Bochara*. In Aegypto *Alexandria*, *Alcayrum*. In Mauritania *Marrocum*, *Feſſum*. In Hiſpania *Granata*, *Corduba*, *Sevilia*, & aliæ urbes, de quibus præter ceteros Leo Africanus. [5]

Ab his autem ſcholis tot viri clariſſimi nati ſunt, ut enumerari vix queant. Præcipuos autem, qui Philoſophia excelluerunt, percenſet Arabs quidam apud Hottingerum. [6] Et de ſcholis hactenus: nunc ad Philoſophiam ipſam.

Tot inter libros Philoſophicos, qui Arabice converſi ſunt, fuere libri Galeni, Hippocratis, Ariſtotelis; & re-

---

[1] *Leo African. loc. cit.*

[2] *Ex Elmacini*, *Abulfaraji*, *Leonis Africani*, *aliorumque* Saracenica hiſtoria *habentur hæc*.

[3] *Marianna* Hiſt. Hiſpanic. L. VII. *c.* 5. *ſeqq.*

[4] *Rodericus Toletanus* Hiſt. Arab. c. XII.

[5] De Viris Inluſtr. Arabum.

[6] Biblioth. Orient. c. II. pag. 219.

recentiorum Alexandrinorum Porphyrii, Jamblici, Themiſtii, Joannis Philoponi, Damaſceni; [1] qui Ariſtotelem cum Platone, & Orientalibus conjunxerant: quamvis ex Theophraſto, & Alexandro Aphrodiſæo non nihil delibaſſent. Cumque Alexandrini ſententias Ariſtotelis depravaſſent, uti demonſtravimus; atque interpretationes germanæ textus Ariſtotelici commode fieri non poſſent ab recentioribus Græcis, & Arabibus, qui priſca Græcorum philoſophia, ex quorum placitis plerumque diſputat Ariſtoteles, ad plenum eruditi non erant; ut ex diſciplina VIIII. & X. ſæculi conſtat; exſtitit & illud, ut ineptiſſimis interpretationibus libros contaminarint, quædam detraxerint, alia adjecerint, mutarint, interpolarint: adeo ut fruſtra Ariſtotelem in ipſo Ariſtotele requiras: [2] quod Peripateticæ adtulit perniciem. [3] Accedit quod pleræque interpretationes Arabicæ non ex Græco, ſed ex Syriaco, qui Bagdadi erat vernaculus, & paullo poſt ex Hebraico ſermone ductæ fuerunt. Quod translationes magis magiſque a mente Græcorum alienas reddidit. [4]

Hiſce adjumentis parati hoc primum ſibi propoſuerunt philoſophi Saraceni, *Corani* tenaciſſimi cuſtodes, quam legem a Deo datam Muhammedi ſuo fuiſſe, Muhammedani omnes per ſummam inſaniam profitebantur, [5] ut religionem ſuam, popularibus ineptiis ſcatentem, Lo-

---

[1] *Hottingerus ibidem*.

[2] *Huetius de* Claris Interpretib. L. II. p. 198.

[3] *Confer. Hornius* Hiſt. Philoſ. L. V. c. 10. *Vives* de Corrupt. Art. L. V. p. 170.

[4] *Confer Bruckerum* de Philoſoph. Saracenica in Honaino, & Averroe, & pagin. m. 150.

[5] *Pocockius* Specim. Hiſt. Saracen. p. 220.

Logicæ, & Metaphyſicæ præſidiis emendarent . [1] Cumque *Coran* ipſe , innumeris commentis maculaLretur ; ut ea in meliores ſenſus detorquerent , tot ſubtilia excogitarunt Philoſophi otioſi , ut explicari vix poſſint .

Hinc facile judicari poteſt , quam parum ipſi profecerint in Philoſophia . Principio in Ariſtotele operam ſuam conſumſerunt : & præſertim excoluerunt Logicam, & Metaphyſicam , quæ, quod notionibus generalibus contineretur , aptior eſſe videbatur ad inluſtrandam & defendendam domeſticam & ineptiſſimam religionem : idque ope abſtractionum , diſtinctionum , generalium verborum , quæ nihil omnino ſignificabant : item entium quorumdam , quæ non niſi in eorum cerebro exſiſtebant . Quo tantum abeſt ut Ariſtotelem emendarint , ut errores omnes Ariſtotelis Metaphyſico-Theologicos ſuos fecerint , & novis commentis ampliaverint .

Idem in reliquis diſciplinis fecerunt , quas ad notiones revocarunt generales . Itaque eorum *Phyſica* nihil aliud erat niſi mera verba . De *hiſtoria Naturæ* tantum delibarunt , quantum ad Medicinam faciendam neceſſarium exiſtimabant : quod certe fuit exiguum . In *re Herbaria* explicanda multi fuere . Verum tametſi Dioſcoridem doctum hominem explicandum ſibi ſumerent , cum eum nec commode intelligerent , nec experimentis captis inluſtrarent ; tot errores admiſerunt , tot nomina miſcuerunt , tot ineptias conſcripſerunt , ut enumerari vix poſſint . [2]

In

---

[1] „ *Cœtus Doctorum Baſoræ ſubſiſtentium dixit :* „ *Religionem pollutam eſſe , & mixtam erroribus , nec* „ *ablui , aut mundari poſſe niſi Philoſophiæ ope : aſſerentes* „ *ubi conjuncta fuerit philoſophia Græcanica , & religio* „ *Arabica , tum demum conſecuturam perfectionem .* Abulfarajus Dyn. IX. p. 218.

[2] *Freindius* Hiſt. Medic. P. II. p. 14.

In *Medicina* nihil ultra Galenum, & Hippocratem excogitari poſſe conſtanter adfirmabant. Bene factum ſi hos duos recte intelligerent, & ſequerentur. Verum cum eos obtorto collo ad phyſiologiam Peripateticam contorquere conarentur, fieri non potuit, quin ineptias multas fabulati fuerint: verbaque mera pro exquiſitis ratiocinationibus, ac inventis obtruſerint, quo ipſo *Medicinam* contaminarunt. [1]

Tolerabiliores mihi videntur, qui *Ethicam* Ariſtotelis ſunt interpretati. Illi vero qui *Metaphyſicam* cum *Ethica* copularunt, & ex recentiorum Ariſtotelicorum, ſeu Alexandrinorum, ut Porphyrii, Themiſtii, aliorumque commentariis Ariſtotelem expoſuerunt; confuſam & informem lucubrationem ediderunt: nec id ſolum, ſed etiam in quibuſdam vix a fanatiſmo liberantur.

In ipſis etiam diſciplinis *Mathematicis*, in quibus eorum prædicatur induſtria, infeliciter verſatos fuiſſe, ex interpretationibus Arabicis Euclidis, Theodoſii, Ptolemæi manifeſtum fit. In quibus, ut monent viri docti, perſpicuitas & ordo, qui in celeberrimis Mathematicis laudatur, omnino deſideratur. [2] Nam *Aſtrologiam*, cujus reconditam eruditionem adfectabant, Philoſophiæ nomine quis dignetur? *Chemiam* vero leviter adtigerunt.

Neget hæc oportet, qui numquam *Arabum* ſcripta volutavit. Legat, qui rem penitus cognoſcere cupit, vel libros [3] ſummi inter Arabos Philoſophi, ac Juriſperiti, *Averroeſii*, qui ſæculi XIII. initio extinctus eſt; & plane intel-

[1] *Confer. Freindius, l. c. p.* 15.

[2] *Idem l. c. p.* 11. 12. *ſeqq.*

[3] *Scripſit Logicam, Phyſicam, Metaphyſicam, Ethicam, Aſtronomiam, Rhetoricam, Muſicam: quæ omnia recenſet Nicolaus Antonius* Biblioth. Hiſp. Vet. Tom. II. p. 240. ſeqq.

intelliget, inſano eum amore Ariſtotelis verba exoſculatum eſſe: [1] immo ipſius errores de æternitate mundi, de mortalitate animæ, cetera, quæ Islamiticæ legi ſeu *Corano* adverſantur, ſua feciſſe.

Nihil ergo in Philoſophia debemus *Arabibus*: qui nihil præter Ariſtotelis ſententias nobis reliquerunt: niſi quod Philoſophum difficillimi intellectus, & qui non niſi a viris recondita eruditione perpolitis intelligi poteſt, ſuis commentis contaminarunt. Laudandi hoc ſolo nomine, quod in tanta litterarum oblivione, Philoſophiæ, Mathematicæ, & Medicinæ omni animo dederunt operam. Dolendum tamen, tanta ingenia, ut illa erant *Avenpace*, *Al-Gazelii*, *Averroeſii*, *Avenzoar*, *Eſſachallii*, *Avicennæ*, *Al-Raſi*, alia, [2] in tam futiles & ineptas ſententias incidiſſe. Qui ſi noſtro ævo lucem vidiſſent, & alia methodo, ac doctrina eſſent imbuti, fortaſſe non minus adjumentum Philoſophiæ, & Mathematicæ adferrent, quam noſtra, & parentum memoria præſtiterunt *Galilæus*, *Borellus*, *Malebranchius*, *Gaſſendus*, *Carteſius*, *Nevvtonus*, *Leibnizius*, *Wolſius*, ceteri. Et hæc philoſophandi ratio apud *Arabes* ſeu Saracenos non ſolum ad ſæculum uſque XI. ſed etiam ad litterarum ſuarum extinctionem circiter medium XV. in honore fuit.

CA-

---

[1] „ *Ariſtotelis doctrina eſt ſumma veritas, quoniam* „ *ejus intellectus fuit finis humani intellectus: quare bene* „ *dicitur de illo, quod ipſe fuit creatus & datus nobis a di-* „ *vina providentia, ut non ignoremus, poſſibilia ſciri*. Averroes *Deſtructorii L. I. diſſ.* 3.

[2] *Auctores, qui de ſingulis Philoſophiæ partibus ſcripſerunt, cum laude numerat Hottingerus* Biblioth. Orient. p. 219. *Confer. Vives* de Corrupt. Art. L. V. p. 167.

Caput XII.

De Philoſophia a ſæculo X. uſque ad finem XV. ubi de Scholaſtica.

REdeo ad *Chriſtianos* Occidentis philoſophos. Hi eamdem philoſophandi viam, quæ ſæculo X. uſitata erat, XI. retinuerunt, ut *trivio*, & *quadrivio* ſedulo imbuerentur. Plerique eorum Muſicæ, & Logicæ artis nomine prædicabantur, & id in præcipua laude ponebatur. [1]

Vergente vero ſæculo XI. omnino Dialectica ſubtilitas in ſcholis regnabat, & cum Theologia novo conſilio copulata eſt: quod turbarum exſtitit cauſſa. Hic Scholaſticæ philoſophiæ nativitas poni ſolet: quæ non dum plene polita, ſed rudis adhuc ſe offert. Fidem mihi faciunt duumviri illi *Berengarius*, & *Roſcelinus*: quorum alter Dialecticis argutiis Euchariſtiæ myſterium tollere conabatur: [2] alter myſterium Trinitatis iiſdem armis aggreſſus eſt. [3] Quibuſcum ſtrenue pugnarunt *Lantfrancus*, qui ob Dialecticæ peritiam magnum ſibi nomen fecerat, & inſtaurator litterarum nominabatur: [4] & *B. Anſelmus* Can-

[1] *Conſul. Trithemium* de Script. Eccleſ. *illius ævi, qui paſſim illis hanc laudem tribuit Muſicæ, & Dialecticæ.*

[2] *Leo Oſtienſis L. III. c.* 33.

[3] *Confer. B. Anſelmus de* Trinit. contr. Roſcelin.

[4] „ *Litteratura perinſignis liberales artes, quæ jam* „ *dudum ſorduerunt, a Latio in Gallias vocans acumine* „ *ſuo expolivit . . . Scholas publicas ac Dialecticas pro-* „ *feſſus eſt . . . adeo ut ubique ſcholares inflatis buccis Dia-* „ *lecticam ructarent, alioſque magnifice de ſe ſentientes ini-* *tis*

Cantuarienſis, & ipſe Dialecticus, & Metaphyſicus percelebris, ut alios prætermittam.

Unus ſe offert *Hermannus Contractus* homo Germanus, artium Mathematicarum peritus, qui Ariſtotelis libros aliquot, & Arabum Latinos fecit, [1] & non nihil etiam de Phyſica delibavit. Sed hæc ceteris non probabantur, qui Ariſtotelem non legerant. Quod ſi aliquid Ariſtotelicum legere cupiebant, ad verſiones *Dialecticæ Ariſtotelis*, & *Prædicabilium Porphyrii* confugiebant, quæ a *Boethio*, & *Victorino* factæ fuerant. Verum plerique omnes in ſola dialectica *Stoica*, quæ Auguſtino tribuebatur, operam ponebant: quæ cum Sophiſtarum argutiis & laqueis Metaphyſicas rationes adjungeret, inanibus quæſtiunculis, quæ de nominibus potiſſimum erant, pabulum dedit luculentum, quibus tota Philoſophia abſolvebatur. Eorum ſcripta, quæ ad nos uſque pervenerunt, quam vere id dicatur, aperte oſtendunt: [2] præſertim diſceptatio *Roſcelini*, qui ex Prædicabilibus & Nominalium ſectam, & errores ſuos deduxit.

Vehementius in idem ſtudium incubuerunt XII. ſæc. homines litterati, quorum qui doctiores eſſe adfectabant, operam dabant, ut in eadem Dialectica exercitatiſſimi prædicarentur: quod Petri Abælardi hiſtoria nos docet. [3] Id adeo invaluit, ut cum circiter medium ſæculum aliqua exemplaria Ariſtotelicæ dialecticæ ex Arabico verſa cir-

„ *tis diſputationibus in ruborem darent*. Guilelmus Malmesburienſis de Geſtis Angl. Pont. L. I. *apud Launojum*, *de* Schol. Celebr. c. 42. p. m. 137.

[1] *Trithemius* Script. Eccl. c. 321. & Inluſtr. Benedict. L. II. c. 84.

[2] *Confer. Launojus l. c.*

[3] Abælardus Hiſtor. Calamit. ſuar. c. 3. *Adde Sariſberiens*. Metalog. L. II. c. 7.

cumferrentur, invenirentur plurimi, qui, iis repudiatis, in ſolo *Boethio* quieſcerent. [1]

Innotuit autem medio XII. ſæculo Occidentalibus Chriſtianis *Ariſtotelis philoſophia*, opera quorumdam ex noſtris, qui apud Saracenos eamdem didicerant. Nam cum hi ad ſuos reverterentur, Peripateticæ guſtum aliquem in Italia, Gallia, Hiſpania, & aliis in locis moverunt: item non nullos libros Phyſicos, & Mathematicos ex Arabico in Latinum converterunt. Hujuſmodi fuere *Robertus Retinenſis* [2] & *Adelardus*, [3] uterque Anglus, aliique. [4] Cumque fine XII. ſæculi Pariſiis appareret *metaphyſica Ariſtotelis* Græco ſermone, hæc Latine reddita in ſcholis tradi cœpit. [5] Nomine autem Metaphyſicæ *naturalium rerum* libros ex Arabico translatos comprehendi, non injuria conjectant viri doctiſſimi. [6]

Ab

---

[1] „ *Satis ergo mirari non poſſum, quid mentis ha-* „ *beant, qui hæc Ariſtotelis opera carpunt. Quidam li-* „ *brum hunc fere inutilem eſſe calumniantur. Alii detra-* „ *hunt Categoriis.* Sarisberienſis in Metalogico L.IV.c.24. *& paullo poſt eos incuſat, qui, relicto Ariſtotele*, in ſolo Boethio tempus & rem conſumſerunt, ut fere nihil ſciant.

[2] *Baleus* Centur. II. Ser. 80.

[3] *Ibid. c.* 11. 69. *Confer. Oudinus* de Script. Eccleſ. Tom. II. p. 1016.

[4] *Confer. Joannes Seldenus in* Orig. Alexandr.

[5] „ *In diebus illis* [cIↃccix.] *legebantur Pariſiis* „ *libelli quidam de Ariſtotele, ut dicebantur, compoſiti,* „ *qui docebant Metaphyſicam, delati de novo a Conſtanti-* „ *nopoli, & de Græco in Latinum tranſlati*. Rigordus apud Launojum *de Fortuna Ariſtotelis c.* 1. *p.* 127.

[6] *Launojus l. c. Natalis Alex.* Hiſt. Eccl. Tom. VIII. c. 3. art. 2.

Ab ſcholis Pariſienſibus ad ceteras Ariſtotelis *dialectica*, & *metaphyſica* tranſitum fecit. Excitavit eas in Germania *Otto* Epiſcopus Friſingenſis, Conradi III. imperatoris frater uterinus, vir ut iis temporibus litteratiſſimus, qui Pariſiis iiſdem litteris operam dediſſet. [1] Quod etiam in Anglia, & aliis regionibus doctores alii fecerunt.

Id ipſum ſæculo XIII. confectum eſt non modo in Germania, verum etiam in Italia, *Friderici II.* imperatoris beneficio, qui ſcholas publicas utrobique vel erexit, vel inſtauravit. Ac princeps doctiſſimus, & doctorum hominum fautor munificus, curavit, ut Ariſtotelis ex Arabico tantum; Galeni vero, aliorumque Medicorum, ac Aſtronomorum ſcripta ex Arabico, & Græco in Latinum verſa publico bono paterent. [2] Et ipſi Itali philoſophi Arabicam linguam didicerunt, ut Græcum philoſophum, hujuſque interpretes intelligerent: nam Græcum contextum rari viderant. [3] Etiam in Anglia eadem Ariſtotelis ſcripta Latine reddita, explicata fuere, & contra eos, qui repugnabant, defenſa. [4]

Tot autem tamque acerbæ lites ex *dialecticæ*, & *metaphyſicæ* Ariſtotelicæ introductione ſuſcitatæ ſunt, omnino ut pacem non Philoſophorum modo, ſed etiam Theologorum turbaverint. Quæ cum ab iis narrari ſoleant, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam hujus ævi conſcribunt,

[1] „ *Philoſophicorum & Ariſtotelicorum librorum* „ *ſubtilitatem in topicis, analyticis, atque elenchis, fere* „ *primus noſtris finibus apportavit*: ait Radevicus ejus amanuenſis, *in Continuat. Hiſt. Frider. L. IV. c. 2.*

[2] *Petrus de Vineis* L. III. Epiſt. *69. apud Bruckerum* de Philoſ. Sæc. XII. p. m. *699.*

[3] *Joſephus Scaliger*. Epiſt. *362.*

[4] *Legatur Joannes Sariſberienſis Anglus ſcriptor XII. ſæculi, qui in* Metalogico *Dialecticam Ariſtotelis extollit.*

bunt, [1] lectorem, qui plura cupit, ad eos remittimus. Unum breviter memorabimus, ex Dialectica, & Metaphyſica nimia ſubtilitate pleroſque errores, qui per id tempus Eccleſiam agitarunt, ortos eſſe: ut illi fuerunt *Abaelardi* [2] *Arnaldi Brixienſis* [3] *Gilberti Porretani* [4] *Almarici* [5] *Davidis de Dinanto* [6] aliorumque: qui omnes vel ad Nominalium, vel ad Realium ſectas, ut illis temporibus ſe habebant, revocantur.

Tantis ergo malis, quæ ſæculo XIII. late ſerpebant, ut occurreret concilium Pariſienſe ſeu Senonenſe, anno CIↃCCVIIII. habitum, non modo hujuſmodi errores condemnavit, ſed etiam Ariſtotelis libros comburi juſſit: & decrevit, ut ne quis illius Phyſicam, & Metaphyſicam legeret explicaretve. [7] Quod decretum paullo poſt ſynodus

---

[1] *Confer. Natal. Alex.* ad Sæcul. XII. c. 3. art. 8.9.

[2] Ibid. & diſſ. VII. art. 5.

[3] *B. Bernardus* Epiſt. 105.

[4] *Otto Friſing.* L. I. de Geſtis Frider. Imp. c. 50. & ſeqq. [5] *Gerſonius* de Conc. Metaph. cum Log. P. IIII.

[6] *Launojus* de Fortuna Ariſt. in Academ. Pariſienſi. c. I.

[7] „ *In diebus illis legebantur Pariſiis libelli quidam* „ *ab Ariſtotele, ut dicebantur, compoſiti, qui docebant* „ *Metaphyſicam, delati de novo a Conſtantinopoli, & de* „ *Græco in Latinum translati. Qui quoniam non ſolum* „ *hæreſi Almarici, ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, immo & aliis nondum inventis præbere poterant;* „ *juſſi ſunt omnes comburi: & ſub pœna excommunicationis* „ *cautum eſt, ne quis de cetero eos ſcribere, vel legere* „ *præſumeret, vel quocumque modo habere.* Rigordus in *Pithæi XI. Scriptoribus, p.* 208. *Confer. Natalis Alex. l. c. qui putat etiam Phyſicam comprehendi.*

dus Pariſienſis III. præſide Cardinali Corceone Pontificis legato confirmavit. [1]

At tantus Ariſtotelis amor Pariſienſes occuparat, totque homines nulla habita Pontificiæ prohibitionis ratione, in eo tempus conſumebant; ut tamdem Gregorius VIIII. P. M. anno cIↃccxxxi. horum rogationibus commotus, Phyſicam, & Metaphyſicam legi, conceſſerit, modo *expurgarentur*. [2] At anno hujus ſæculi LXV. iterum utriuſque lectione per legatum Clemens IIII. P. M. interdixit. [3] Verum hæ leges graſſanti malo non occurrerunt. Nam per id tempus plerique omnes Pariſienſes Ariſtoteli operam dederunt: in vetitum ſemper, ut eſt humana condicio, voluntate nitente.

Cum autem Pontificis interdictum non niſi Pariſienſium, & Gallorum cauſſa latum eſſet, in quorum ſcholis tumultus excitabantur; [4] vel cito Pariſiis obſoluiſſet; tantaſque radices egiſſet Ariſtotelis *philoſophia* aliis

 in

[1] „ *Libri Dialectici Ariſtotelis legantur: libri autem „ Ariſtotelis Metaphyſici, & de Naturali philoſophia, „ Summæque ex iis confectæ, doctrinaque Dinantii, & „ Almarici Hæreticorum, & Mauricii Hiſpani, a nemine „ diſcatur, legaturque* . . . Apud Launojum l. c. c. IIII.

[2] „ *Magiſtri artium libris illis Naturalibus, qui in „ Concilio Provinciali ex certa ſcientia prohibiti fuere Pariſiis, non utantur, quouſque examinati fuerint, & „ ab omni errorum ſuſpicione purgati*: Bulla Gregor. VIIII. apud Launojum. l. c.

[3] „ *Quod legant libros Ariſtotelis de Dialectica tam „ veteri, quam de nova in ſcholis. Non legantur libri „ Ariſtotelis de Metaphyſica, & Naturali philoſophia, „ nec Summæ de iiſdem*. Apud Launojum l. c. c. 6.

[4] *Heumannus* in Actis Philoſophicis Volum. I. 703.

in locis, ut ab ea doctores ſe continere non poſſent; in ea explicanda operam plurimi viri docti poſuerunt. In Germania *Albertus Magnus* Dominicanus, theologus Pariſienſis; non modo Dialecticos, & Metaphyſicos, ſed etiam Phyſicos, & Ethicos Ariſtotelis libros ſcriptis inluſtravit. [1] Hic Pariſiis, & Coloniæ, & alibi tanta cum approbatione docuit, ut ad eum diſcipuli certatim convenirent, ut Peripateticorum myſteriis initiarentur. Vir, ut erat ſæculum, litteratiſſimus, & in rebus Mechanicis valde exercitatus.

Paullo poſt *B. Thomas Aquinas*, Alberti diſcipulus, & ipſe theologus Pariſienſis, de licentia Pontificis, uti credere par eſt, Romæ Ariſtotelem interpretatus eſt: [2] & in celebrioribus Italiæ Academiis eamdem docuit Philoſophiam magno cum plauſu. Qui tametſi ætatis illius moribus ſerviret, ſapientius ceteris philoſophatus eſt. Vir ille quidem acerrimi ingenii, & vaſtiſſimæ lectionis, dignus profecto, qui in meliora tempora incideret. [3] Ab

[1] *Exſtant illius opera Tomis XXI. comprehenſa. Lugduni* 1621. *Confer. de Alberto Tritbemius de* Script. Eccleſ.

[2] „ *Tunc frater Thomas rediit de Pariſiis ex certis*
„ *de cauſſis, & ad petitionem Urbani multa fecit, &*
„ *ſcripſit .... Iſto autem tempore frater Thomas tenens*
„ *ſtudium Romæ, quaſi totam Philoſophiam Ariſtotelis ſive*
„ *Naturalem, ſive Moralem compoſuit, & in ſcriptum*
„ *ſive compendium redegit: ſed præcipue Ethicam, &*
„ *Metaphycam quodam ſingulari & novo modo tradendi.*
Ptolemæus Lucenſis familiaris & diſcipulus Thomæ *Hiſt. Eccleſ. apud Oudinum* Tom. III. Script. Eccleſ. p. 259. ſeqq.

[3] *Exſtant illius opera XVIII. Tomis in folio pluries edita: denuo Pariſiis* 1640. *Quorum priores VI. Ariſtotelis interpretationem continent.*

Ab hoc tempore philoſophia *Saraceno-Peripatetica* ſcholas pæne omnes Italiæ, Germaniæ, Angliæ occupavit: partim auctoritate *Friderici II.* imperatoris, qui eidem aperte favebat: partim *Alberti*, & *Thomæ*, qui cum pietatis, & eruditionis nomine florerent, effecerunt, ut Peripatetica, quam ipſi hoc nomine interpretabantur, ut malis, quæ ab eadem naſcebantur, occurrerent; tamquam tantis viris probata Philoſophia a ſodalibus ſuis longe lateque diffunderetur. Quorum exemplo moti Pariſienſes, nulli amplius dubitarunt *Peripateticæ* operam dare. [1] Quos inter non defuere, qui eidem Philoſophiæ magno animo repugnarunt. [2]

Ergo *Scholaſtica* philoſophia, quæ vergente XI. ſæculo nata, XII. confirmata erat, tamdem XIII. exeunte maturitatem adepta eſt. Nam doctores ſtudioſe curarunt, ut non ſolum *Logica*, & *Metaphyſica*, quæ jam antea in ſcholis explicabantur; ſed etiam *Phyſica* diſciplina ſecundum interpretationem Arabum, præſertim Averroeſii, adoleſcentibus traderetur. Cumque Arabes Phyſicam *particularem* vix adtigiſſent, contenti generali, quæ ingeniis Metaphyſica ſubtilitate exercitatis arriſerat; hinc eadem ratione diſpoſita, & explicata Naturalis philoſophia, nihil aliud quam Logica, & Metaphyſica ſub nomine *Peripateticæ* in ſcholis tradi cœpit: quod ipſi nomen peperit *Scholaſticæ*.

At cum Pariſios, Coloniam, Bononiam, Patavium, aliaſque ſcholas celeberrimas, cupidi litterarum undique confluerent; tam late *Ariſtotelicæ* ſtudium propagatum eſt, ut totus orbis miraretur ſe factum eſſe Ariſtotelicum. His accedebat, Religioſos viros pæne ſolos Philoſophiæ, & Theologiæ operam dare: nam Laici aut omnino litte-

[1] *Launojus* de Fort. Ariſt. p. 106.

[2] *De his in Theologiæ hiſtoria copioſius diſputabimus.*

Ariſtotelicos, Stoicos celeberrimæ; [1] ſed ut juvenes ad logicam Ariſtotelis præpararet. Hæc ex verſione Boethii, & Victorini exſtabat. At recentiores, rerum exquiſitarum ac ſubtilium cupidiſſimi, de *Univerſalibus* cœperunt contendere. Cumque veteres Græcos non legerent, miras ineptias fabulati ſunt: & conſtanter dixere, Univerſale nec *ante rem*, ut dicebat Plato; nec *poſt rem*, ut Stoici; ſed *in re eſſe*, & formas illas univerſales in materiam eſſe inmerſas, cum Ariſtotele contendebant. Quod a ſæculo VIII. uſque ad XI. obtinuit.

Fine hujus ſæculi *Roſcelinus* Stoicorum dogma iterum ſuſcitavit contendens, *Univerſale* nullam habere exſiſtentiam, ſed eſſe nudum nomen, quo res quælibet denotaretur. Quod placitum per Abælardum diſcipulum propagavit. Qui Abælardus non tantum in nudis vocibus, ſed etiam in enuntiationibus, quæ prædicari poſſunt, *Univerſale* poſuit. Qui autem pro Ariſtotelis doctrina ſtabant, & defendebant, non ſolas voces, & conceptus eſſe *Univerſalia*, ſed *Univerſalem* naturam re ipſa exſiſtere, vocabantur *Reales*: quorum inluſtrius fuit nomen, & major duratio.

His acceſſere ineunte ſæculo XIIII. veterani duo, qui ſtrenue pro ſubtilitatibus pugnarunt. Horum alter *Guilelmus Occamus* Anglus, ut erat acuti ingenii, rerumque novarum, & contentionum præter modum ſtudioſus, *Nominalium* ſectam pæne ſepultam excitavit, idque

[1] „ *De Generibus, & Speciebus conſiſtantne in rerum natura, an in ſolis nudis animi notionibus poſita ſint; & ſi conſiſtunt in rerum natura, num corpora ſint, an incorporalia; & utrum ſeparata ſint, an in rebus ſenſibilibus conſiſtant, & circa has; recuſabo dicere, quia obſcuriſſima eſt hujuſmodi tractatio*. Porphyrius Introduct. §. 2. p. 2.

idque tanta felicitate, ut ab eo tempore ad illius caſtra plerique tranſierint: ex quibus *Occamiſtarum* ſecta exſtitit. [1] Cui *Reales* incredibili ardore repugnarunt.

Alter *Guilelmus Durandus a S. Porciano* philoſophiæ Scholaſticæ amplificandæ totus vacavit. Primum hic ſequebatur Thomam Aquinatem, ſcriptorumque ejus defenſor erat: poſtea vero reprehenſor factus eſt. [2] Cauſſa quæ fuerit, ignoratur: id certo ſcimus, *Durandum* in primis fuiſſe, qui novas ſententias fundere, & libere philoſophari conati ſunt.

Ab hoc tempore nullus ſubtilitatum, contentionumque fuit modus. Non nulli ſe interpoſuere, ut omnes in concordiam adducerent; ſed nihil egerunt: immo vero cum ipſi ſuas ſententias clare non exponerent, aliæ, ut fere fit, natæ ſunt ſectæ. Ex Nominalibus orti ſunt *Conceptuales*. Reales pepererunt *Albertiſtas*, *Thomiſtas*, *Scotiſtas*. Sed hæ familiæ, quod modo explicandi potius, quam re, diſſentirent, iterum hoc XIIII. ſæculo ad tres ſectas revocatæ ſunt, *Thomiſtas*, *Scotiſtas*, *Occamiſtas*. Illi ex B. Thomæ ſententia in Logicis præſertim diſputarunt: hi ex Scoti decretis: tametſi alii alio modo. Quæ cum ſatis notá ſint, ea longa oratione proſequi propoſito conſentaneum non eſt.

Occamiſtæ vero, qui *Nominalium* ſententiam jam languentem ſuſcitarunt, putabant, Univerſalium naturam in vocibus tantum conſiſtere. Nec ſolum id magna animi contentione defenderunt, verum etiam Rationalem

---

[1] *De vita Occami vide Wading.* Annal. Minor. ad ann. 1322. *De ſcriptis Politicis*, & *Litterar. Tritbem.* Annal. Hirſaug. Tom. II. p. 158.

[2] *B. Antonin.* Summ. Hiſt. t. 23. c. 11. §. 2. *Confer. Launojus peculiari de hoc argumento diſſert. inter illius opuſcula*.

lem philoſophiam omnem generalibus vocibus, ac ideis repleverunt. [1] Eorum quidam dixerunt, Univerſale non in nudis vocibus, ſed in perceptionibus, ſeu conceptibus mentis conſiſtere: qui hac de cauſſa *Conceptuales* ſunt appellati.

Hæc erant: perſonabant undique ſcholæ XIIII. & ſequenti ſæculo *Realium*, & *Nominalium* contentionibus: nec niſi Metaphyſicæ argutiæ in ſcholis audiebantur. Anglia [2] & Germania omnis facta erat contentioſa. Sed præſertim in Galliis, & academia Pariſienſi hujuſmodi altercationes identidem inſtaurabantur. Res eo proceſſit, ut ad magiſtratum controverſia Philoſophica deferretur: & Ludovicus XI. rex Galliæ a non nullis incitatus, anno CIↃCCCCLXXIII. edicto *Nominalibus* Gallia interdixerit: *Nominalium* libri Fiſco addicti fuerint: Academici *Nominalium* doctrinam ejurare coacti: ceteri exterminati. [3] Commodum, ſi Ludovici interdictum diſſentiones terminaret: ſed vulnus refricando animos ad graviſſimas & cruentas diſceptationes iterum in Gallia revocavit. [4]

Jam *Nominales* ex Gallia fugientes, Angliam, & Germaniam novis contentionibus & dimicationibus compleverunt. Non jam fallaciis, ſed convicijs; non ſyllogiſmis,

---

[1] *Conferatur* Summa Logicæ Occami *edita Oxonii* 8. *anno* 1675. [2] *Antonius Wood.* Antiquit. Oxonienſ. ad ann. 1345.

[3] *Edictum refert Naudæus* in Addict. ad Hiſtor. Ludovici XI. p. 205. *Articuli vero, quos* Nominales *Pariſienſes obtulere Ludovico regi contra* Reales, *adfert Baluzius* Miſcellan. L. IIII. p. 531.

[4] *Franciſc. Patricius* Diſcuſs. Perip. Tom. I. c. 13. p. 170. *Cauſſinus Jeſuita* de Eloq. Divin. & Hum. L. IIII. c. 34. p. 220.

mis,ſed pugnis; non acie ingenii,ſed gladii diſputando contendebant: interdum etiam uſque ad internecionem. [1] Quæ argumentandi ratio erat illa quidem & vehemens, & efficax: ſed inveſtigandæ veritati, & diſciplinis excolendis parum idonea.

Ipſi Pontifices Maximi, qui hæc anim advertebant, nonnihil de ſeveritate legum remiſerunt: atque anno CIƆCCCLXVI. Cardinales duo, poteſtate ſibi ab Urbano V. Pont. Max. facta,ut Pariſienſem academiam ad meliorem diſciplinam revocarent, uſum librorum etiam *Phyſicorum*, & *Metaphyſicorum* Ariſtotelis ſingulis permiſerunt: quibus centum poſt annis Cardinalis alter Pontificis legatus Ethicam adjunxit. De quibus erudite de more diſputat Launojus. [2] Itaque philoſophia *Saraceno-Peripatetica*, quæ in Anglia, & Germania, & Italia ſedem poſuerat, tamdem Pariſiis caput efferre cœpit, & de ceteris triumphavit.

Supereſt ut de *Scholaſtica* pauca more noſtro dicamus. Atque ex iis, quæ diximus, fit manifeſtum, *Scholaſticam* philoſophiam non uno eodemque tempore & natam, & confirmatam, ut ceteræ philoſophorum ſectæ, fuiſſe, ſed per varios gradus ad ſuum faſtigium per-

---

[1] „ *Clamores primum ad ravim: hinc inprobitas,* „ *ſannæ, minæ, convicia, dum luctatur, & uterque alterum tentat proſternere. Conſumtis verbis venitur ad pugnos, ad veram luctam ex ſimulata. Quin etiam, quæ* „ *contingunt in palæſtra, illic non deſunt: colaphi,* „ *alapæ, conſputio, calus, morſus: etiam quæ jam* „ *ſupra leges paleſtræ, fuſtes, ferrum, ſaucii multi, non-* „ *nunquam occiſi.* Ludov. Viveſ. *de Cauſſ. Corrupt. Art. L. I.*

[2] De Fortuna Ariſtotelis in Scholis Pariſienſ. c. VIIII. & X. *quem legere eſt operæ pretium.*

perveniſſe. Tres hujus ætates Philoſophi conſtituunt, quarum in ſingulis inſignem mutationem fecit.

Nata ea fuit fine XI. ſæculi: verum plurimum aucta eſt XII. ſub *Abælardo*, & *Lombardo* uſque ad *Albertum*, & *Thomam* medio XIII. Hanc Scholaſticæ *adoleſcentiam* dixeris: quo tempore non niſi de Dialectica, & Metaphyſica ſermo erat. Hac ætate inprimis Peripateticæ laude nominantur ſæculo XI. *Fulbertus Carnotenſis*, *Lantfrancus*, *Anſelmus Laudunenſis*, *Hildebertus Cenomacenſis*, *Hermannus Contractus*, *B. Anſelmus Cantuarienſis*. Sæculo vero XII. *Guilelmus de Campellis*, *Petrus Abælardus*, *Gilbertus Porretanus*, *Petrus Lombardus*, *Robertus Pullus*, *Guilelmus de Conchis*, *Joannes Parvus* ſeu Sariſberienſis, *Otto Friſingenſis*. Sæculo demum XIII. *Alexander Haleſius*, *Vincentius Bellovacenſis*, alii.

Hinc altera ætas perducitur ad *Durandum* uſque, qui circiter medium XIIII. floruit: nam ea ætate Arabicæ phyſicæ, & metaphyſicæ præſidiis confirmata eſt, quam merito voces *virilem ætatem*. Ex iis, qui hac ætate floruerunt, prædicantur *Albertus Magnus*, *B. Thomas Aquinas*, *B. Bonaventura Cardinalis*, *Rogerus Bacconus*, *Joannes XXI. Aegidius Columna*, *Joannes Duns Scotus*.

Tertia ætas a Guilelmo Durando a S. Portiano, ſeu a medio XIIII. ſæculo uſque ad finem XV. decurrit: quo tempore obiit *Gabriel Biel* ſcholaſticus Tubingenſis. Hac ætate diviſio ſcholarum evenit, & deterioris ætatis ſenſit incommoda: quæ ea de cauſſa Scholaſticæ philoſophiæ *ſenectus* nuncupatur. [1] Innumeri hac ætate Scholaſtici extitere, quorum celebriores ſunt, prædictus *Guilelmus Durandus*, *Guilelmus Occam*, *Richardus Suiſſetus*, *Gualterus Burlæus*, *Petrus de Aliaco*, *Hermannus Weſſelus*, *Ga-*

[1] *Confer. Dupinus* Biblioth. Script. Eccleſiaſt. ad ſæculum XII. & ſeqq.

Gabriel Biel, ceteri. Hucuſque de ætatibus, nunc de natura ipſa.

1. Scholaſticorum *Logica*, quæ erat mera ars Syllogiſtica, in ſyllogiſmorum argutiis, hoc eſt, in rebus leviſſimis ac fere inanibus concludendis tota erat: in eaque adſidue exercebantur, quo de rebus omnibus ſubtilius & efficacius diſputarent. Iccirco toti fuere in eo, ut ſubtiles quæſtiones excogitarent: de ceteris Logicæ partibus parum aut nihil adtigerunt. [1]

2. Similis huic erat *Phyſica*: quam non ex adſiduo uſu ſeu experientia, & principiis firmis ac perſpicuis ducebant; ſed ex Ariſtotelis ſententiis ſecundum Averroeſii interpretationem. Cumque Averroeſii phyſica generalibus vocibus; & obſcuris contineretur, de principiis, cauſſis, ceteris; hunc ſecuti Scholaſtici, plures notiones abſtractas admiſerunt, quibus phænomena explicarunt. Quare eorum *Phyſica* vix aut ne vix quidem differebat a *Metaphyſica*. Et quamvis Albertus Magnus, & Rogerus Bacconus [2] & Arnoldus de Villanova [3] ſæculo XIII. & pauci alii, quod linguas Orientales noſſent, & Experimentalem phyſicam delibaſſent, aliquid efficere viderentur; tamen & ipſi aliquibus de cauſſis impediti ſunt: hoc nomine præſertim, quod propter Chemiæ peritiam in Magiæ ſuſpicionem inciderant. [4]

3. *Metaphyſica* eorum ab Ariſtotelica penitus differebat. Nam Ariſtoteles in Metaphyſica propoſuit ſibi, Veterum phyſicorum ſyſtemata evertere, vel emendare, idque Mathematicorum axiomatum adjumento. Quæ ingentem ve-

---

[1] *Confer quæ diſputabimus L. II.*

[2] *Confer.* *Wadingus* Annal. Minor. *ad ann.* 1266.

[3] *Oudinus* de Scriptor. Eccleſ. Tom. III. *p. 616.*

[4] *Confer.* *Naudæus* Apolog. Magiæ accuſator. *p.* 128. *&* 29.

veteris hiſtoriæ lectionem, & meditationem requirunt. At Scholaſtici hujus eruditionis expertes, cum vetuſtatis non haberent rationem, omnia ad notiones generales revocarunt: ea Ariſtoteli tribuentes, de quibus fortaſſe non cogitavit.

4. Jam *Ethica* in eo verſabatur, ut Ariſtotelis libros de *Virtutibus*, *&* *Vitiis* explicaret. Proinde res omnes ad ſubtiles diſputationes reduxerunt. Hæc ex quorumdam Scholaſticorum libris perſpicue demonſtrantur. Quos qui non legit, vix ea, quæ hucuſque diſputavimus, intelliget. Duos ſemper excipio, B. Bonaventuram, & præſertim B. Thomam Aquinatem, magnum hominem in diſputando: qui & vitia ſæculi ſui penitus cognovit; & quantum fieri potuit, ne cum invidia diſputaret, ſapientiſſime declinavit. Quibus alios addere poſſum doctiſſimos & graviſſimos Scholaſticos, qui poſtremis ſæculis non rectum uſum, qui utilitatem non pœnitendam adfert diſciplinis, ſed ubuſum Ariſtotelicæ philoſophiæ plurimis verbis condemnarunt. Sed de his alio loco pluribus,

Caput XIII.

De Philoſophia XVI. Sæculi, ubi de germanis Ariſtotelicis.

PORRO autem incredibile ſubtilitatum ſtudium, quod per idem tempus dominabatur, hoc damni adtulit reipublicæ Litterariæ, ut litteræ omnes Græcæ, ac Latinæ penitus extinguerentur: propterea quod ad illam diſputandi rationem accommodari non poterant. At ſub initium ſæculi XV. iterum diſciplinæ Græcæ in Italia excultæ ſunt opera *Manuelis Chryſoloræ* Bizantini, qui fine XIIII. ſæculi in Italiam veniens, Græcas litteras Italis gentibus inſtillavit. [1] Paul-

[1] *Warthon.* ad Cave p. 53.

Paullo poſt capta Conſtantinopoli a Mahometo II. Imperatore Turcarum, quod anno cIↃCCCCLIII. evenit, litterati homines, qui in ea erant, penitus diſſipati fuere, & in Italiam conceſſerunt. Cumque Florentiæ *Medicea* familia [1] & Romæ *Nicolaus V.* P. M. [2] non modo illis darent receptum, ſed etiam præmiis invitarent, ut libros Græcos, quos magna impenſa undique comparabant, Latine transferrent; præſertim Ariſtotelem, & Platonem; litteratura omnis, & Græca philoſophia iterum in Occidente in honore habita eſt.

Magna ergo ab eo tempore turba doctorum hominum exſtitit in Italia: qui & veteres Philoſophos Latine reddiderunt, & Græcam philoſophiam explicarunt. Et quidem *Platonicam* fine XV. ſæculi excoluere præter ceteros *Georgius Gemiſtus*, *Beſſario* cardinalis, *Marſilius Ficinus*, *Joannes Picus* Mirandulæ & Concordiæ princeps, ut ceteros præteream. [3] *Ariſtotelicam* ex ipſis Græcis fontibus duxerunt *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Georgius Scholarius*, ceteri, quorum exſtant in bibliothecis ſcripta. [4]

Sæ-

---

[1] *Varchius* Hiſt. Flor. *Angelus Polit.* Epiſt. L. IV. *p.* 133.

[2] *Egidius Cardinal. Viterbienſis apud Natal. Alex.* Hiſt. E. Sæc. XV. p. m. 13. *Confer. Beſſario Cardin.* Præf. Verſ. Metaph. Ariſt.

[3] *Hi Philoſophi non meram Platonis philoſophiam, ſed Recentiorum Platonicorum propagarunt. Nam tametſi Platonem legerent, eum interpretati ſunt ex ſententia Procli, Porphyrii, Jamblici, aliorum, quos etiam Latinitate donarunt: ut ex ſcriptis eorum, præſertim Pici, cognoſcitur, qui Pythagorico-Platonicam præferunt.*

[4] *De horum, quos nominavimus; ſcriptis conſule Fabricium* Biblioth. Græca, *ceteros*.

Sæculum autem XVI. omnino in Philoſophia maximam mutationem vidit. Nam cum Scholaſtica philoſophia, quæ per id tempus regnabat, tot nugis & ineptiis ſcripta ſua inferciret, ut ferri vix poſſet; de adhibendo remedio cogitarunt homines eruditi. Quod latum campum aperuit emendandæ Philoſophiæ.

At cum tanta eſſet Ariſtotelis æſtimatio, quantam oratione perſequi non poſſumus; exiſtimarunt Scholaſtici doctiores nihil ſe melius facere poſſe, quam ſi Philoſophiam non ex aliorum diſciplina, & lutulentis rivulis Scholaſticorum vulgarium, ſed ex puriſſimis Ariſtotelis fontibus haurirent. Magna itaque animi contentione id hoc ſæculo præſtiterunt in Italia *Petrus Pomponatius*, &, qui ex hujus diſciplina prodierunt, *Simon Portius*, *Lazarus Bonamicus*, alii: item *Marcus Antonius Majoragius*, *Petrus Victorius*, *Jacobus Zabarella*, *Piccolomineus uterque*, *Andreas Ceſalpinus*, *Cæſar Cremoninus*, ceteri. In Hiſpania *Joannes Gineſius Sepulveda*, *Joannes Baptiſta Monlorius*, *Franciſcus Valeſius*. In Belgio *Hubertus Giſanius*. In Galliis & alibi *Julius Pacius*, *Franciſcus Vicomercatus*, ceteri: quorum opera in manibus ſunt, eaque ſcriptores hiſtoriæ Litterariæ recenſuerunt.[1] Immo quanto opere eadem diſputandi ratio exculta fuerit in academiis Proteſtantium, præſertim *Philippi Melanchthonis* opera, vulgatum eſt. [2]

K Neo

[1] *Confer. Antonius Auguſtinus* Bibliotheca Hiſpanica, *Imperialis* Muſeum Italicum, *Jovius* Elogia, *Teiſſierius* Elogia, *alii*.

[2] *Herm. ab Elſvvich* De Varia fortuna Ariſtotelis in Academiis Proteſtantium *præfixa Libro Launoji de eodem arg.*

Nec modo apud Proteſtantes, ſed etiam *Arminianos* [1] & *Socinianos* [2] inveteravit. [3]

Verum cum tales Philoſophi Ariſtotelem non libero judicio, ut graviſſimi Scholaſtici fecerant, ſed impetu cæco ſequerentur, ejus errores admiſerunt, doctrinæ Catholicæ repugnantes: ut *Pomponatius* [4] *Andreas Ceſalpinus* [5] *Cæſar Cremoninus* [6] alii. Quod etiamſi Ariſtotelis ſtudium non delevit, tamen non nihil diminuit.

Ipſi Scholaſtici graviores ab novis Peripateticis irriſi, nævos illos vulgatos agnoverunt, & condemnarunt. Quod præter ceteros fecerunt poſt medium ſæculum *Melchior*

---

[1] *Confer. Voſſius de* Sectis Philoſ. c. XVII.

[2] *Confer. Sandius* Biblioth. Antitrinitar. p. 150.

[3] *Plurimi Hæretici XVI. & ſequenti ſæculo in inluſtrando Ariſtotele vehementer laborarunt, ut oſtendit Morhoſius* Polyhiſtor. Litterar. Tom. II. L. 2. *Quod eorum cauſſa monemus, qui pro certo adfirmant, Ariſtotelis Logicam ceteraſque Philoſophiæ partes a* Novatoribus, *qui duobus his ſæculis ſcripſerunt, eſſe rejectam.*

[4] *Pomponatius, aliique Peripatetici utramque Ariſtotelis ſententiam* [*eas Alexander Aphrodiſæus, & Averroes. amplexati fuerant*] *defendebant, nimirum:* Animam humanam [*intellectum nempe* patientem *Ariſtotelis*] eſſe formam hominis, ſed eſſe mortalem: 2. Animam intellectivam [*intellectum* agentem] eſſe inmortalem, ſed unam in cunctis hominibus. *Hæ ſententiæ damnatæ fuere in Lateranenſi V. ſub Leone X. anno* 1513. *Poſt hæc Contarenus Cardinalis, & Auguſtinus Niphus, aliique Pomponatium ſcriptis refutarunt. Confer. Labbeus* ad Concilium Lateranenſe V.

[5] *Morboſius* Polyhiſt. Tom. II. L. I. c. 2.

[6] *Reimmannus* Hiſt. Atheiſmi. S. III. c. 4.

chior *Canus* Dominicanus [1] & *Joannes Maldonatus* Jeſuita, [2] viri doctiſſimi & ornatiſſimi: qui auctores fuere ceteris, ut ſubtiles & inanes diſputationes rejicerent, & bonam Scholaſticam, quæ plurimum utilitatis adfert, amplexarentur.

Hæc dum Ariſtotelici meditabantur, *Petrus Ramus* Gallus omnino a ſcholis Ariſtotelis dialecticam, & phyſicam ejicere tentavit. Fuit is litteris Græcis, & Latinis, ac diſciplinis Mathematicis egregie eruditus: qui cum diuturna Veterum lectione intelligeret, Ariſtotelicam logicam ad Eloquentiam, & uſum vitæ non eſſe accommodatam, [3] aliam diſputandi artem tradere conſtituit. Primum igitur homo triginta annos natus, Ariſtotelis vitia notavit, libro inſcripto *Ariſtotelicæ Animadverſiones*. Deinde ſuam ipſe artem divulgavit, in libro inſcripto *Inſtitutiones Dialecticæ*.

Quam male Pariſienſes, qui in *Organo* Ariſtotelis conſenuerant, hæc habuerit cenſura, credi vix poteſt. Ad prætoris tribunal tamquam reus majeſtatis *Ramus* traducitur anno CIƆIƆXXXXIII. inſtituuntur publicæ diſputationes coram judicibus: tota Academia rixis & contentionibus perſonabat. Exiſtimares de ſumma rei Gallicanæ agi: at nihil aliud in diſputatione verſabatur, quam Dialecticæ definitio, & partitio, & hujus farinæ alia. Stabant pro *Ramo* judices non nulli: ſed alii tam illi erant infenſi, omnino ut potentiæ, & audaciæ *Ramus* cedere coge-

 re-

[1] *De* Locis Theologicis *L. VIII. c.* 1. *&* *L. VIIII. c.* 7.

[2] *In Oratione de* Reformanda Theologia *apud Launojum de* Fortuna Ariſtotelis p. m. 164. *Utriuſque verba dabimus Parte II. L. I. c. 9.*

[3] *Legatur ipſe Ramus* L. IIII. Animadverſ. p. m. 136.

a Melanchthone expolitam cum Ramea conjungere, ut *Friſius*, *Bilſtenius*, *Libavius*, *Buſcherus*, *Goclenius*, ceteri. Irrito tamen conatu, qui proinde hoc nomine notantur ab iis, quibus hujuſmodi *ſyncretiſmus* non probabatur. [1]

Feliciori ſidere fine hujus ſæculi in Stagiritam invectus eſt *Franciſcus Patricius* Illyricus, qui & Ferrariæ, & Romæ magna cum omnium approbatione docuit: homo vaſtiſſimæ lectionis, & limati judicii, ac in Veteri philoſophia inſigniter eruditus. [2] Hic in libro *Diſcuſſionum Peripateticarum* [3] Ariſtotelicæ philoſophiæ hiſtoriam fuſe ac erudite exponens, errores Ariſtotelis non modo Logicos, quod fecerat Ramus, ſed etiam Phyſicos plane demonſtravit: atque diligenter indicavit, quidnam ab aliis Philoſophis acceperit Ariſtoteles, & pro ſuis venditaverit. Deinde in ſuo *Ariſtotele Exoterico*, XXXXIII. capita percenſet, in quibus Plato cum Catholica doctrina conſentit, Ariſtoteles vero ab ea diſſentit. [4]

Tanto autem in Platonem amore, tantoque in Stagiritam odio *Patricius* ferebatur, ut cum *Novam de Univerſis Philoſophiam* [omni ex parte erat Platonico-Alexandrina] ederet [5] & Gregorio XIIII. P. M. inſcriberet, Pontificem cohortatus ſit, ut Ariſtotelicam veluti inpiam proſcriberet, & illi ſubſtitueret Platonicam diſciplinam.

[1] *Bruckerus* de Reform. Phil. Ration. p. m. 583. ſeqq.

[2] *Confer. Janus Nic. Erythræus* Pinacothec. L. I. p. 203.

[3] *Exſtant illius opera edita Baſileæ*, 1581. fol.

[4] *Ea adducit Launojus de* Fortuna Ariſt. c. XIIII. *qui ab iis, qui Patricium non norunt, conſuli poteſt:*

[5] *Ferrariæ an.* 1591. *iterum Venetiis* 1593. *Confer. Sorellus* de Perfectione Hominis pag. 517.

Patricii æqualis *Guilelmus Poſtellus* Juſtini Martyris *Everſionem Dogmatum Ariſtotelicorum*, Latine convertit, ac eidem Cardinali Lotharingico dicavit: in cujus præfatione tam acriter Stagiritam reprehendit, nihil ut Patritio concedat.

Alia via in Ariſtotelem invectus eſt hoc ſæculo *Franciſcus Sanchezius* homo Luſitanus Bracarenſis, qui in Gallia, & Italia Philoſophia, Medicina, ac Mathematica mirifice eruditus, Montiſpeſſulani, & Toloſæ ſummo cum plauſu docuit. Hic tametſi Peripateticorum dogmata peteret, ut oſtendit notans Porphyrii, & aliorum errores in Dialectica; [1] tamen ne invidiam ſubiret, aut crimen, Dogmaticam philoſophiam omnem tamquam ineptam ſugillavit; libro quem inſcripſit, *De multum nobili, & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur*: [2] In quo efficere conatur, incerta eſſe omnia, quæ de ſcientiis traduntur. Iccirco Scepticorum recentiorum parens habetur. Cui ſæculo XVII. morem geſſerunt *Petrus Bælius*, vir damnatæ memoriæ, *Huetius*, aliique Sceptici.

Sed nemo majorem cladem adtulit Ariſtotelicæ philoſophiæ, quam *Bernardinus Teleſius* Conſentinus in Neapolitano regno, homo veteris litteraturæ, & Mathematicarum diſciplinarum callentiſſimus. [3] Qui cum Ariſtotelis phyſicam expenderet, & inutilem eſſe ad naturæ myſteria rimanda penitus cognoſceret; Parmenidis phy-

---

[1] *Nicol. Anton.* Biblioth. Hiſpanic.

[2] *Editus Lugduni an.* 1581. *& alibi. Confer. Nic. Antonius l. c.*

[3] *Vitam Teleſii ſcribunt Joannes Imperialis in* Muſeo Hiſt. p. 78. *Joannes Amato in* Pantapolog. Calabra Neap. 1715. *Lotterus* Vita Teleſii Lipſ. 1733. *& alii rei Litter. ſcriptores.*

phyſicam inſtauravit, editis libris *de Rerum Natura*. [1] Qui tanto plauſu excepti fuere a Neapolitanis, ut eorum precibus cogeretur Neapolim concedere, ad novam Philoſophiam tradendam. Hac philoſophandi ratione capti Neapolitani homines, ii præſertim qui doctrina excellebant; phyſicæ Experimentalis ſtudium mutuis laboribus excoluerunt. Quæ merito ſuo prima *Academia Phyſica* nuncupatur. [2]

Quamquam vero *Teleſii* ſyſtema aliquibus diſplicuerit, qui in eo aliquid reprehenderunt; tamen ſectatores non nullos invenit: [3] & excitavit Phyſicorum induſtriam, ut liberius, id eſt, accuratius philoſopharentur: nec in rimandis naturis rerum Dialecticis præſidiis, ſed experimentis captis uterentur.

Teleſii inſtitutum ſecutus eſt hujus æqualis *Thomas Campanella* Dominicanus Calaber; vir egregie doctus, & Mathematicis ſtudiis contritus. Hic Ariſtotelis flagitia confutavit: novamque Philoſophiam partim ex *Teleſii* placitis, partim ab experientia, & anticipatione deductam vulgavit: [4] quo facto Liberam philoſophiam inducere conatus eſt: [5] quod ipſi maximos bellorum tumultus in omnem vitam ſuſcitavit. Felicior ſane in aliorum vitiis notandis, quam in propriis dogmatibus confirmandis; nec omnino ab enthuſiaſmo liberandus.

 Poſt

---

[1] *Romæ ann.* 1565. [2] *Gimma* Idea Hiſt. Litter. Ital. T. 1 l. c. 38. [3] *Campanella Dominic. Teleſium defendit contra Jac. Martam*. [4] *Edidit* Philoſophiam ſenſibus demonſtratam: ubi errores Ariſtotelis, & adſeclarum ex propriis dictis, & naturæ decretis convincuntur. Neapoli 1691. 4. *item* De Gentiliſmo non retinendo, *ubi etiam Ariſtotelicos notat*. *Alia opera Phyſica*; *Moralia*; *Metaphyſica vide apud Eckard. in* Biblioth. Dominic.

[5] *Confer. illius liber* de Recta ratione ſtudendi *p.* 398.

Poſt hos *Jordanus Brunus* Nolanus de reformanda Philoſophia cogitavit. Vir fuit in Phyſicis, & Mathematicis verſatus: qui multum in his vidit ex vero, & lucem Carteſio, & aliis prætulit. [1] At monſtroſi ingenii, & ultra modum luxuriantis: qui Pythagoriſmo ſuo occupatus, ad nova, paradoxa, falſa, inpia, & vix intelligibilia propendebat. Quo nomine pœnas dedit temeritatis ſuæ, uſtulatus Romæ ob inpietatem anno cIↃIↃc. [2] Ut interim *Cardanum*, & alios prætermittam, qui ad emendationem Philoſophiæ non nihil operæ contulerunt.

Etiam Criticæ artis ſtudium, quod hoc ſæculo invaluit, & late propagatum eſt, homines impulit, ut Veterum lucubrationes ſcrutarentur, emendarent, vulgarent: & his præſidiis Græcæ philoſophiæ ſectas aliquas ab oblivione excitarent. Hinc cadente hoc ſæculo *Juſtus Lipſius* Belga, Criticus, & Philologus præſtantiſſimus, Phyſiologiam, & Ethicam Stoicam adornavit: [3] quod magnam ipſi peperit laudem.

Fuere etiam non nulli, qui cum ſibi perſuaderent, nec ex ullo philoſopho Græco, nec ex ratione veram de rebus Phyſicis, & Moralibus ſententiam duci poſſe; ad libros Moſis confugerunt, & ex his novum Philoſophiæ ſyſtema conglutinarunt ſæculo XVI. ſed præſertim ſequente: atque *Philoſophiam Moſaicam, & Chriſtianam* ediderunt. Hos in duas claſſes Hiſtorici diſpertiunt. [4] Quidam Sacros codices ad verbum ſecuti, ex iis ſyſte-

[1] *Confer. Huet.* in Cenſur. Phil. Carteſ. c. 8.

[2] *Confer. Niceron.* Memor. Litter.

[3] Manuductio ad Phil. Stoicam, & Diſſert. de Phyſiolog. Stoica: *quæ in ejus operibus exſtant*.

[4] *Bruckerus* in Hiſt. Philoſ. Tom. IIII. de Philoſoph. Moſaica p. 610. ſeqq.

ſtema ſuum duxerunt: ut *Lambertus Danæus* [1] *Alſtedius* [2] *Pfeiferus* [3] *Aſlacbus* [4] *Dickinſonus*, *Burnetus* [5] *J. Ammos Commenius* [6] *Crellius* [7] *Scribanius* [8] *Alberti* [9] ceteri Hæretici, quorum proſtant ſcripta. [10] Hi tamen tales hypotheſes induxerunt, quæ omnino percipi nequeunt: rationis, & divinæ locutionis fines non cognoverunt, ſed mutarunt quadrata rotúndis.

Alii ſcripturæ Sacræ hiſtoriam non ad verbum, ſed ad allegoriam trahentes, aliud Philoſophiæ ſyſtema excogitarunt. Itaque prætermiſſa omni ratiocinatione, in ſolo *intellectu paſſivo*, & *centro animæ*, uti vocant, divinam inluminationem perquirebant: adfirmantes, ſe hac via plurimam cognitionem eſſe adſecutos. Addebant tamen, interiorem cognitionem rerum Phyſicarum ſeu naturam rerum ignis præſidio eſſe explorandam: vi cujus & metalla mutari in alia, & exquiſita remedia comparari poterant, quæ vitam ultra modum prolongarent. [11] Hæc illi.

In hunc cenſum referuntur *Theophraſtus Paracelſus*, hujuſque diſcipuli *Oporinus*, *Dorneus*, *Sperbius*, *Weigelius*, *Fludus*,

---

[1] *Edidit* Phyſicam, Ethicam, & Politicam Chriſtianam. [2] Triumphus Biblicus, *ſeu* Encyclopedia Biblica: *in qua eos percenſet, qui de hoc argumento ſcripſerunt*. [3] Panſophia Moſaica. [4] Phyſica, & Ethica Chriſtiana. [5] *De Originibus Mundi ex Moſe egerunt*.

[6] Phyſica Divina. [7] Ethica Chriſtiana.

[8] Politicus Chriſtianus. [9] Compend. Juris Natur. Orthod. Theolog. conforme. 1676.

[10] *Struvius* Biblioth. Phil. c. 6. & 7. *eos enumerat, qui ſcripſerunt Ethicas, & Politicas Chriſtianas*.

[11] *Horum placita refert inter alios Bruckerus* Hiſt. Phil. Tom. IV. p. m. 747. ſeq.

dus, *Boehmius*, *Helmontius* uterque, & alii XVI. & ſequenti ſæculo: [1] qui ab illa interna inluminatione *Theoſophici* appellantur. Viri fanatici omnes & enthuſiaſtæ, indigni quibus Philoſophi nomen tribuatur. Unum illis mirifice profuit, Chemiæ peritia, cujus ope plurimos vel rudes, vel ſemidoctos egregie deceperunt. Verum & ipſi mature deſierunt: poſtea quam inclinante ad finem ſæculo XVII. Philoſophia omnis verboſa & caliginoſa prudentiori, & clariori Philoſophiæ locum dedit.

Caput XIIII.

De Philoſophia ſæculi XVII. & XVIII. ſeu de emendatione Philoſophiæ.

Rebus ad emendationem Philoſophiæ omnino inclinantibus, tamdem XVII. ſæculo negotium ſæpe, & multo opere, ſed fruſtra, tentatum, confectum eſt; Magna & præcipua laus erit hujus ſæculi apud poſteras gentes, quod in eo demum tanta lux Philoſophiæ acceſſerit, quantam ſæcula ante omnia non adtulerunt.

Id eo mirabilius haberi debet, quod tanta erat eo tempore Ariſtotelis exiſtimatio, ut cum anno CIƆIƆCI. Regis mandato, & Senatuſconſulto academia Pariſienſis legibus temperaretur; lex hæc fuerit præcipua, ut ſinguli Ari-

[1] *Horum ſcripta, quos nominavimus, & aliorum habes apud Pfaffium* Hiſt. Litter. Theolog. P. II. *Colbergium* Chriſtian. Platonico-Hermet. P. I. *Walchium* Introd. *in* Hiſt. Controv. Theolog. P I. *& alios Litter. hiſt. ſcriptores.*

Ariſtotelis libri biennio exponerentur . [1] Res autem eo uſque proceſſit, ut cum anno CIƆIƆCXXIIII. homines non nulli in concione univerſam Ariſtotelis phyſicam confutaſſent , collegium Theologorum , & ſenatus Pariſienſis , ab iis temeritatis pœnas exegerit . [2]

At conſpirabant omnia ad Ariſtotelis atque adeo *Dogmaticæ* philoſophiæ ruinam . Nec in tanta rerum perturbatione labenti Peripateticiſmo ſuſtinendo paucorum hominum ſtudium ſufficere videbatur . Ipſimet Ariſtotelis libri, qui in ſcholis legebantur , cauſſam dedere multis ut eum e throno dejicerent . Nam cum Veterum ſententias , quas ipſe in ſcriptis ſuis , præſertim Metaphiſicis , & Phyſicis aliquibus percenſet , cum Ariſtotelicis compararent ; facillime cognoverunt , quænam ceteris eſſet anteponenda . Claſſicum autem belli Philoſophici cecinere eodem tempore Philoſophi quidam inluſtres : in Italia *Galilæus*, in Germania *Sennertus* , & *Keplerus* , in Anglia *Verulamius* , in Galliis *Baſſonus* .

Duo autem præter cetera ad inſtaurationem Philoſophiæ conſentiebant : Mathematicarum diſciplinarum , & Medicinæ , ſeu phyſicæ Experimentalis cultura . [3] Nam cum Philoſophi non nulli interiori rerum Mathematicarum notitia exculti , ex hujus diſciplinæ principiis phænome-

---

[1] *Primo anno interpretentur libros Ariſtotelis Logi-*
„ *cos: ſecundo ejus Phyſicam mane , poſt meridiem Meta-*
„ *phyſicam : ut vero Ariſtotelis diſputationes adverſus*
„ *Veteres phyſicos , in quibus ingenii ſumma ſubtilitas*
„ *elucet , accurate examinentur , rejectis inanibus quæ-*
„ *ſtiunculis , quas olim barbari invexerant , & ab huma-*
„ *niore politioreque ſæculo exploſas , aſperi durique ho-*
„ *mines non ita pridem redintegrare ſunt conati .* Apud apud Launojum l.c. c.xv. [2] *ibid.* c.XVIII. [3] *Confer. Paſchius* Catalogus Invent. Novo-Antiquor.

nomena quædam cæleſtia, & leges motus inveſtigarent, ſine labore intellexerunt, ex iſtis principiis naturæ ſcientiam derivari debere. Hujuſmodi fuere præter eos, qui ſæculo XVI. floruerant, [1] hoc ſæculo *Keplerus* [2] *Galilæus* [3] *Borellus*, ceteri.

In aliam partem Medici tum Anatomici, tum Chemici, qui ſeſe ignis, & cultri ope medicinam facere, plurimaque myſteria declarare poſſe ſibi perſuadebant, ſenſim intellexerunt, experientiæ ope plurimas rerum proprietates inveſtigari poſſe & demonſtrari. [4] Ad hanc claſſem referuntur *Sennertus* [5] *Digbæus* [6] *Harvæus* [7] *Pecquetus*, ceteri, qui vel in Anatomia [8] vel Experimentali philoſophia [9] inluſtranda laborarunt.

Hiſce luminibus colluſtrati Philoſophi inito ſæculo XVII. plurima in Phyſica novare, & aperte pro Libera id eſt, Eclectica philoſophia pugnare auſi ſunt. Memorantur cum laude in Anglia *Nathanael Carpentarius* [10] & *Gui.*

---

[1] *Nicolaus Copernicus Canonicus Warmienſis*, & *Tycho Brabeus ſcriptis Aſtronomicis notiſſimi. Confer. Gaſſend. in* hor. vita.

[2] *Gaſſendus in* Vita Tychonis L.V.

[3] *Viviani in* Vita Galilæi, inſerta Faſtib. Acad. Florent.

[4] *Confer. Mangetus in* Biblioth. Chemica Curioſa. *Boerhaave* in Hiſtor. Chemiæ.

[5] *Reimmannus* Hiſt. Litter. Germ. P. III. p. 450.

[6] *Woodius* in Athen. Oxonienſ.

[7] *Heumannus* Acta Philoſ. Vol. II. p. 616.

[8] *Confer. Theodor. Janſon. ab Almeloveen. in* Inventis Novo-Antiquis c. 24.

[9] *idem. Confer. Paſchius l. c.*

[10] *Edidit.* Philoſophiam liberam, in qua adverſus hujus

& *Guilelmus Gilbertus* : [1] in Italia *Redemptus Baranzanus* : [2] quorum poſtremi duo , ut alios taceam , *Liberam philoſophiam* augere , & inluſtrare cœperunt .

Sed omnium maxime Liberam & Eclecticam philoſophiam perpolivit *Franciſcus Baco* , Baro Verulamius Vicecomes S. Albani Anglus ; qui initio hujus ſæculi & viam ſtravit ut in ſingulis diſciplinis recte cogitaremus , [3] & ſcriptis ſuis oſtendit , [4] quo modo in Phyſica , & ceteris philoſophiæ partibus ratiocinandum : quo ipſo magnum apud viros doctos nomen ſibi fecit . [5]

Quamquam vero hæc omnia proſpere cederent Philoſophis , & plurimi in Neotericorum caſtra tranſirent , tamen recentiori Phyſicæ fortiter repugnabat auctoritas Ariſtotelis , quam infirmare nec tutum erat , nec temere tentandum in tanta adverſariorum potentia . Fuere tamen , qui inperterrito animo rem plenam laboris & invidiæ ſuſcipere non recuſarunt . Ac primum *Sebaſtianus Baſſonus* , vir eruditiſſimus , Pariſiis errores Ariſtotelis ſcripto expoſuit .

---

jus temporis Philoſophos dogmata quædam nova diſcutiuntur .

[1] *Edidit* Philoſ. novam de Mundo noſtro ſublunari : *Etiam* Phil. novam de corpor. Magnet. & magno magnete Tellure . *Confer. Morhofius* Polyh. Tom. II. p. 410.

[2] *Edidit l. de* Novis opinionibus Phyſicæ, Lugd. *1619.*

[3] *Edidit librum de* Augmentis ſcientiarum . Anno 1605. *& poſt,* Novum Organum ſeu Logicam , *& alia quædam .*

[4] In Novo Organo , & Hiſtoria ventorum &c. Sermonibus Ethicis , Politicis , Oeconomicis .

[5] *Vide Doctorum de illo judicia apud Pope-Blountium* Cenſura Cel. AA.

ſuit. [1] Quo tam copioſe illius errata confutavit, tantumque animi reliquis addidit, ut ab eo tempore Stagiritam profligare non recuſarint Philoſophi.

Paullo poſt *Petrus Gaſſendus* Gallus, Præpoſitus Dinienſis eccleſiæ, vir Græce; ac Latine doctus, veteriſque Philoſophiæ, & Mathematicæ callentiſſimus, cum publice Ariſtotelem Aquis Sextiis interpretaretur, & plurimum judicio valeret; excuſſis & Philoſophi libris, & eorum, qui eum refutarant, errata omnia Ariſtotelis penitus cognovit, & luculenter expoſuit, & confutavit, editis libris *Exercitationum Paradoxicarum adverſus Ariſtoteleos*. [2] Qui tantam veteris eruditionis notitiam produnt, tam acre judicium, & acumen, ut uno omnium conſenſu fuerit judicatum, plus damni Ariſtotelicæ philoſophiæ adtuliſſe juvenem XXIIII. annos natum, quam ſæcula ante omnia. [3] Poſt hæc philoſophiam Democriti, & Epicuri incredibili eruditionis copia inluſtravit, ac ab inpietatis ſordibus liberavit: tum demum Philoſophiam nova methodo, noviſque inventis, ex Recentiori phyſica perſcrutatione communivit, adornavit, & perpulcrum doctrinæ ſyſtema edidit. [4] Nam tametſi Sennertus, Verulamius, Baſſo-

---

[1] *Hoc titulo*: Philoſophiæ Naturalis adverſus Ariſt. L. XII. in quibus abſtruſa Veterum Phyſiologia reſtauratur, & Ariſtotelis errores ſolidis rationibus refelluntur. Genevæ 1621. fol. *Atomos defendit Baſſonus eſſe principia rerum naturalium: ſed ex Anaxagora, Platone, Democrito quædam ſumſit, ex quibus ſuum ſyſtema componit. Democriti vero* vacuum *rejecit, & pro illo poſuit* ſpiritum mundi creatum. *Quo ipſo totum Democriti ſyſtema funditus perit.*

[2] *Prodiit* Gratianopoli 1624. Tom. II.

[3] *Pope-Blount.* Cenſura, in Gaſſend.

[4] *Exſtant opera omnia Gaſſendi VI. Tomis fol. Lugduni 1658. & alibi.*

ſonus, Atomiſticum ſyſtema explicaſſent; unus Gaſſendus id pro dignitate perfecit & inluſtravit. [1] Obiit vir clariſſimus anno CIↃIↃCLV. ætatis LXIII. [2]

Eodem tempore *Renatus Carteſius* Gallus, primum miles, deinde longa peregrinatione litteraria eruditus, tamdem Egmondum in Hollandiam concedens, ibi Philoſophiæ emendationi totis viribus vacavit. Is itaque, rejecta ſcholarum doctrina, talem philoſophandi viam excogitavit, in qua mens denudata præjudiciis educationis, & uſus vitæ, propria meditatione ad veritatem perveniat. Edidit primo Logicam, ſeu *Diſſertationes de Methodo rationis rectæ dirigendæ, & inquirendæ in ſcientiis veritatis.* [3] Deinde *Meditationes de Philoſophia prima, Principia Philoſophica*, & alia plurima Phyſica, & Mathematica. [4] Itaque de Phyſica, & Metaphyſica copioſe ſcripſit: Logicam tamen, & Ethicam tetigit potius, quam expoſuit.

Hominis perſpicuitas in dicendo, ac nexus ſyſtematis placuit initio plurimis in Batavia, ubi eam vulgaverat. Verum haud multo poſt tot homines in eum invecti ſunt, tantaque animorum contentione diſputationem cum Carteſio, hujuſque, fautoribus, Renero, Regio, ceteris inſtituerunt quidam philoſophi, & theologi Batavi duce & auctore Voetio, ut ne conjectura quidem adſequi poſſit. Le-

[1] *Bruckerus* de Reſtauratione Philoſ. Democr. Epicureæ Tom. IV. p. 533.

[2] *Vitam Gaſſendi bene ſcripſit Sorbierius, auditor.*

[3] Leyde 1636. 4. *Gallice.*

[4] *Vitam, ſcripta, & facta Carteſii refert Bailletus in* Vita Carteſii Lutetiæ 1691. 4. *Gallice*: *Tepelius* in Vita & Philoſ. Carteſian. Norimberg. 1674. 12. *& Hiſtor. Litter. ſcriptores, ut Niceron.* Memor. Litter. T. XXXI. *Morhofius, Stolius, ceteri.*

Legi hæc poſſunt apud Bailletum, qui celeberrimæ controverſiæ hiſtoriam dilucide enarrat.

Illud prorſus mirabile Carteſio accidit, quod haud ſcio an alteri ab mille ante annis uſuvenerit, ut juvenis Philoſophi opiniones, eo vivente, in celeberrimis Academiis publice inluſtrarentur cum voce, tum ſcripto: nec modo Ultrajecti, & Lugduni Batavorum, ſed etiam in Gallia, in Anglia, in Svecia fautores plures invenerit. Obiit celeberrimus Philoſophus Holmiæ, quo iverat ut Chriſtinam Sveciæ reginam imbueret Philoſophia, anno CIƆIƆCL. ætatis LIIII.

Ab his duobus *Carteſio*, & *Gaſſendo*, familiæ Philoſophorum, quæ poſt fuere, ortæ ſunt: tametſi alii alia addiderint, & mutaverint, nec magiſtrorum veſtigia preſſo pede ſecuti ſint. [1] Et quidem poſt obitum Carteſii tanta illius fuit æſtimatio, tam late doctrina propagata eſt, ut undique ſcholas inundarit præſertim in Belgio, ubi acres dimicationes propter iſtam Philoſophiam evenerunt.

Unum *Carteſio* repugnabat, quod Batavi quidam adfirmabant, illi cum doctrina Catholica non cohærere. Verum alii editis ſcriptis efficere adorti ſunt, *Carteſii* dogmata ad Catholicam & veram religionem ſine negotio revocari poſſe. [2]

Sic magnis animorum motibus ad finem uſque ſæculi prædicti Carteſiana philoſophia prolata eſt, accuſantibus aliis, aliis defendentibus: idque tanta contentione, quanta nulla umquam diſputatio litteraria inſtituta fuit. In Germania

[1] *Pauci Carteſium in omnibus ſecuti ſunt. Carteſianæ philoſophiæ epitomam exhibet Petrus Sylvanus Regiſius. Idem de Gaſſendo dici debet, cujus diſcipuli quædam addiderunt, & mutarunt. Sed de his iterum Libro III. c. 4. diſputabimus.*

[2] *Confer. Pfaffius* Hiſt. Litterar. Theolog. P.II. p. 299.

nia [1] Britannia [2] Gallia [3] eadem fortuna *Carteſius* uſus eſt: in quibus tametſi undique concuteretur, tamen evelli omnino & extirpari non potuit.

Sed præſertim in Galliis hominis Philoſophia egit radices. Nam præter viros plurimos honoribus, & eruditione florentes, *Patres Congregationis Oratorii*, & Portus Regij familia, ut *Paſchalis*, *Nicolius*, *Arnaldus*, ceteri, *Carteſio* palam patrocinati ſunt. At cum *Portus Regii ſodalitium* Janſenii nomine male audiret, magnam invidiam Carteſiana philoſophia ſibi conflavit. Heterodoxiæ omnes Carteſiani accuſati: quaſi vero Janſenii errata a Carteſii placitis orta eſſent, aut e contrario. Nec id ſolum, ſed delata cauſſa ad Regem ab iis, qui gratia apud eum valebant, lege ſancitum eſt, ne in Academiis Pariſienſi, Andegavenſi, Cadomenſi, ceteris Carteſianiſmus publice doceretur. [4] Quare qui Carteſio occulte favebant, ut plerique favebant, ad invidiam, atque adeo moleſtias fugiendas, ſub *Gaſſendianorum* nomine latere voluerunt: qui meliori ſuceſſu in Gallia philoſophabantur.

Dum hæc in Galliis geruntur, Experimentalis philoſophia caput erigere cœpit in Italia, & Gallia, & Germania, & Britannia, opera graviſſimorum Mathematicorum, qui Mechanicæ auxilio plurima in re Phyſica invenerunt: & Societates conſtituerunt, in quibus naturæ ſcientia mutuis laboribus augeretur.

L Ac

[1] *Eos qui Carteſium inpugnarunt enumerat Morhofius* Polyhiſt. Tom. II.

[2] *Scripſere contra Carteſium Cudvvorth.* in Syſtem. Intelleſtual. & *Parckerus in* Diſput. de Deo. *Defendit eum Morus*.

[3] *Confer. Huetius* Comment. de Rebus ad ſe pertin. L. VI.

[4] *Conf. Peliſſonius in* Epiſt. de Tolerantia T. IV. p. 16.

Ac primum *Fridericus Ceſius* Princeps S. Angeli, vir egregie doctus, & doctorum fautor munificus, anno cIↃIↃcIII. in Urbe ſocietatem inſtituit *Academiam Lynceorum* appellatam: [1] cujus inſtitutum erat, Naturalibus diſciplinis præſertim Mathematicis vacare, non neglectis Philologiæ ornamentis. Numerantur in his *Joannes Ekius*, *Anaſtaſius de Filiis*, *Franciſcus Stellutius*, alii: extra Urbem vero *Galilæus Galilei*, *Fabius Columna*, *Joannes Baptiſta Porta* Neapolitanus, qui Lynceorum coloniam Neapolim duxit, ceteri. Verum hæc Academia *Friderici* obitu pæne extincta eſt, nec ultra medium hujus ſæculi protendi potuit. Princeps vel hoc nomine laudandus, quod cum ætate, & opibus floreret, iis non ad luxuriam fovendam, ſed ad litterarum bonum, & ad Litteratorum præſidium uſus eſt.

Plurimum Naturalem diſciplinam juverunt *Lyncei*: nam præter ſcripta plurima de rebus Phyſicis, Medicis, Anatomicis, ſtraverunt viam qua ad naturæ ſecreta pervenire poſſimus. Nam *Fridericus* in primis *microſcopii* ope, cui nomen inpoſuit, ſecreta naturæ rimatus eſt. Galilæus *teleſcopio* plurima in cælis,aſtriſque detexit. Porta *ſclopum pneumaticum* primus excogitavit: ex quo quanta vis aeris ſit, manifeſtum fecit. Et ſunt in manibus eorum ſcripta, ex quibus de *Lynceorum* ſtudiis poſſumus judicare. [2]

Deinde Pariſiis apud *Marinum Merſenum*, de Minimis S. Franciſci de Paula, virum de litteratis hominibus opti-

---

[1] *Hujus Academiæ leges editæ ſunt h. t.* Præſcriptiones Lynceæ Academiæ, curante Joanne Fabro Lynceo Bambergenſi, Simpliciario Pontificio, Academiæ Cancellario,prælo ſubjectæ Interamnæ in Typographeio Thomæ Guerrerii cIↃIↃcxxIIII.

[2] *Lynceæ Academiæ hiſtoriam ſcripſit Joannes Bianchi Florentiæ 1744. præfixa* Fabii Columnæ libro.

optime meritum, convenerunt circiter annum CIↃIↃCX. viri talibus diſciplinis contriti, ut Phyſicam, & Mathematicam amplificarent. Hujuſmodi fuere *Hobbeſius*, *Gaſſendus*, *Carteſius*, *Blondellus*, *Robervalius*, uterque *Paſchalis*, & alii. Deinde apud Montmortium, & Thevenotum conciones habitæ ſunt.

In Germania vero eædem ſocietates conditæ fuerunt circiter annum CIↃIↃCLII. a *Laurentio Bauſchio* Medico Suinfurtenſi. [1] Sed etiam Florentiæ, ubi ab Galilæi temporibus vigebat Phyſico-Mechanicæ ſtudium, *Leopoldus Medices* Florentiæ princeps excitavit aliam ſocietatem, quæ *Academia del Cimento* nominatur, circiter annum CICIↃCLVII. [2] In Britannia eodem pæne tempore alia ſocietas exſtitit Oxonii, quæ naturæ ſcientiam explicaret.

Porro harum ſocietatum lucubrationes tanto cum plauſu exceptæ ſunt a viris doctis, ut ipſi Reges, *Leopoldi Medicei* auctoritate moti, Societates ipſas confirmarint, dotarint, & curarint, ut omnibus munitæ præſidiis publico bono laborarent. Ac primum *Carolus* II. privatam *Oxonii academiam* Londinum venire juſſit anno CIↃIↃCLX. & paullo poſt legibus confirmavit. [3] Deinde *Ludovicus* XIIII. *Regiam Scientiarum Academiam* Pariſiis condidit an-

[1] *Edere cœpit anno* 1670. Miſcellanea Curioſa, ſeu Acta Phyſico-Medica.

[2] *Exſtant Commentarii* Academiæ del Cimento *Italice*, *quos Latine vertit Muſſchenbroeckius*, 1731. 4.

[3] *Spraat* Hiſt. Societ. Reg. Londinenſis, Genevæ 1667. Gallice. *Hæc ab anno* 1665. *lucubrationes ſuas edidit hoc titulo*: Acta Philoſophica.

anno CIↃIↃCLVI. [1] Deinde *Leopoldus I.* imperator anno CIↃIↃCLXXXVII. *Academiam Curioſorum Naturæ* imperatoria auctoritate firmavit. [2]

Ab hoc tempore omnino Philoſophiæ facies in Europa mutata eſt. Nam talibus auxiliis muniti Philoſophi nulli amplius dubitarunt, quæ ſentiebant de Phyſica declarare, & pulcerrimam diſciplinam experientiæ beneficio collocare in lumine ſuo. Et quamvis eorum plerique vel *Carteſii*, vel *Gaſſendi* doctrinam amplecterentur, in inluſtranda tamen Phyſica naturæ obſervatione ſeu experientia uſi ſunt.

Floruit eodem tempore *Iſaacus Nevvtonus*, nobilis Anglus Cantabrigienſis, qui plurimam lucem, & Phyſicæ, & Mathematicæ diſciplinæ accendit. [3] Primus hic docuit Phyſicos non hypotheſes, ut *Carteſius*, & *Gaſſendus*, pro fundamento ponere; ſed ea tantum pro principiis adſumere, quæ diuturno uſu ſeu experimentis captis explorata ſunt. Hypotheſes autem in Phyſica non recepit, niſi ut earum veritatem diſputando inveſtigemus.

Itaque mundani ſyſtematis explicationem ex theoria gravitatis deducit, oſtendens graviſſimis argumentis, gravitatem ſingulis corporibus ineſſe: terram, & ſolem, & corpora cæleſtia omnia ſe viciſſim adtrahere: & particulas omnes materiæ hac virtute pollere, trahendi ad ſe alia corpora

---

[1] *Joan. Bapt. du Hamel.* Hiſt. Regiæ Academ. Scient. Pariſ. 1698. 4. *Ab hoc tempore exierunt* Comment. Mathemat., & Phyſ. hujus Academ.

[2] *Hæc Academia ab anno* 1670. *edidit* Ephemerides Phyſico-Medicas Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum. *Hujus Hiſt. refert Mich. Bern. Valentini* Gieſſæ 1700. 4.

[3] *Vitam Nevvtoni ſcripſit Anonymus Londini*. 1728. 12. *Elogium habes apud Fontenellium, Academ. Scient. Pariſ. ab epiſtolis*, Tom. III. Oper. *Confer.* Journal des Savans 1734. Maii art. 6.

pora pro quantitate molis, cetera. Quam philoſophandi rationem Litterariæ reipublicæ commodo edidit anno cIↃIↃCLXXXVII. hoc titulo: *Philoſophiæ Naturalis principia Mathematica*. Deinde anno cIↃIↃCCIIII. edidit *Opticam*, ubi mirabilia lucis phænomena nova ratione perſcrutatur, & explanat. [1] Mitto cetera Mathematica, & Chronologica, quæ & acre ingenium, & limatum judicium, & vaſtam lectionem produnt. Obiit Nevvtonus anno cIↃIↃCCXXVII. ætatis LXXXV.

Quanta fuerit nobilis Mathematici, & Philoſophi æſtimatio apud Britannos, oſtendunt funus regali pompa ductum; epitaphium honorificentiſſimum, [2] ſtatua in hortis regiis inter heroas poſita, [3] nummus ipſi dicatus, [4] cetera, quæ illius merita deprædicant. Eo autem vivente plurimi Philoſophi, ut *Clarckius*, *Coteſius*, *Keillius* uterque, *Wiſthonus*, *Haleyus*, *Gregori*, *Pemberton*, alii in Anglia, ejus Philoſophiam inluſtrarunt, & contra quorumdam vituperationes defenderunt. In Batavia *Graveſandius*, & *Muſſchenbroeckius*, in Gallia *Volterius*, ceterique, qui Naturæ myſteria non ab anticipatione aliqua, ſed ab experientia & perſpicua ratione deducunt.

Poſt obitum illius ſententias ambabus manibus exceperunt Angli, atque omnes fere Philoſophi, qui in celebrioribus Academiis accuratius philoſophantur. Inventi ſunt tamen non nulli, qui partem aliquam Mathematicæ, vel Phyſicæ Nevvtoni reprehenderunt, & confutarunt: ut *Berckelius*, *Montmortius*, *Hartſoeckerus*, *Rizzetus*, *Leibnizius*, & pauci alii Carteſiani, & Leibniziani: quibus egregie ſatis fecerunt anonymus quidam ſub nomine *Philaletæ*, *Clarckius*, *Keillius*, *Gehringius*.

[1] *Reddita eſt Latine a Clarckio anno* 1720.
[2] Novel. Litter. Lipſienſ. 1731. p. 697.
[3] *Ibid. p.* 497. 1732. *p.* 731. [4] *Ibid.* 1734. *p.* 108.

Per idem tempus celebris alter Philoſophus apparuit in Germania, *Gotofredus Guilelmus Leibnizius*: [1] mortuus anno cIↃIↃCCXVI. cum LXX. annum ageret. Fuit is vir polyhiſtor, omnino cum Nevvtono in Matheſi conferendus. Eclecticam philoſophiam valde excoluit in Germania, & auctor fuit Principibus, & Regibus, ut eamdem amplificarent munificentiſſime. Pauca de Philoſophia ipſe edidit, quæ Metaphyſicam rem inluſtrant præſertim: [2] nam de Logica & Phyſica reliquit parum. Hujus tamen ſumma hæc eſt. Vacuum cum Carteſio rejecit: tum vortices admiſit, materiamque ſubtilem. Cetera ſyſtema quoddam in Phyſica omnino Metaphyſicum & abſtractum excogitavit.

Quamquam vero nec *Nevvtonus*, nec *Leibnizius* ſectam de ſuo nomine exſtare voluerint, ſed Eclectice philoſophari; tamen tanto cum plauſu utriuſque placita excepta fuere a ſuis popularibus, ut orta inde fuerit duplex familia, *Nevvtonianorum*, & *Leibnizianorum*, quæ uſque ad præſens ſæculum in honore eſt: atque ſæpiſſime alii cum aliis, & magna contentione diſputarunt. [3]

Porro autem utraque familia tam late prolata eſt, ut contentiones omnes Carteſianorum, & Ariſtotelicorum penitus diſſiparint, & extinxerint. Et, quod mirabilius, ipſimet Ariſtotelici, qui tam acerbe in Carteſianos invecti fue-

[1] *Vitam Leibnizii plures ſcripſerunt. Legi poteſt Niceronius* Memoires Tom. II. p. 64. *&* *Fontenellius in* Elogiis.

[2] *Præcipuum opus Leibnizii, quod tantas lites ſuſcitavit in Germania, fuit* Theodicea 4. *Indicem illius dabit Ludovicius, & alii.*

[3] Diſputationes Leibnizii, Clarckii, & Nevvtoni inter ſe *edidit Des Maizeaus vol. 2. Fuere etiam illi contentiones cum aliis, quas habes in* Epiſtolis Leibnizii, *& in ejus vitæ ſcriptoribus.*

fuerant, poſtea quam totum orbem *Nevvtonianis*, ac *Leibnizianis* plenum viderunt, Carteſii ſyſtema amplexati ſunt, & utrique ſectæ oppoſuerunt: quod fine ſuperioris ſæculi obtinuit.

Multum autem amplificavit Experimentalem philoſophiam copia inſtrumentorum, quæ hoc ſæculo vel inventa fuere, vel perfecta ad naturæ ſecreta rimanda. Numerantur in his *Teleſcopia*, quæ Joanni Lipperſenio tribuuntur, & quæ poſtea mirum in modum expoliverunt Hugenius, Campanus, Nevvtonus. *Microſcopia*, quæ hoc item ſæculo inventa, perfecerunt Divinius, Leeuvvenoeckius, Butterfieldius, Gray, alii. [1] *Barometra* a Toricellio inventa. *Antlia Pneumatica* a Guerickio excogitata, polita vero a Boyleo, & multo melius a Muſſchenbroeckio. *Specula Cauſtica* a Tſchirnhauſenio confecta: & ſexcenta hujuſmodi inſtrumenta, quæ ex catalogis Pariſiis, & Amſtelædami hac ætate editis cognoſci poſſunt: quibus Naturæ hiſtoria ad id faſtigium evecta eſt, ut ſi cum hoc præcedentia ſæcula conferimus, nulla fuiſſe reputemus. [2]

Etiam *Ephemerides Litterariæ*, quæ ab anno cIↃIↃcLXV. in Gallia, Italia, Anglia, Batavia, Germania, alibi editæ ſunt, incredibile adjumentum tulere Philoſophiæ. Nam & nova inventa horum ope ad remotiſſimas regiones pervenerunt: & aliorum ingenia excitarunt, ut eamdem viam tenerent: & occaſio fuere eruditis, cur diſſertationes exigui voluminis non delerent, aut

[1] *Conf.* Tranſ. Philoſ. Vol. I. p. 207.

[2] *Eos, qui ſingulas Naturalis hiſtoriæ partes inluſtrarunt, dabunt Scheuchzerus* Biblioth. Script. Hiſt. Natur. Tigur. 1716. 8. *Jul. B. de Rohr* Biblioth. Phyſic. c. 14. *Morhof.* Polyh. Tom. II. L. 2. p. 1. c. 2. *Confer.* Comment. Acad. Regiarum.

conciderent, propterea quod aliis conjunctæ ſingulis menſibus, & annis, publico bono, idque nulla auctoris impenſa, prodire poſſent.

Eadem philoſophandi induſtria uſi Philoſophi, hiſtoriam Philoſophicam mirifice coluerunt, eamque ab ineptiis & erroribus, quibus erat infecta, liberarunt: tum plane oſtenderunt, quæ eſſent Græcarum ſectarum germana placita, qui nexus ſyſtematum. Et quidem in inluſtranda *Epicurea* plurimum laboravit Baſſonus, Berigardus, Gaſſendus. *Stoicam* dilucidarunt Gatackerus, Thomaſius, Buddeus. *Platonicam* Cudvvorthus, Parckerus, Burnetius, Morus, Galeus. *Ariſtotelicam* J. Thomaſius. Item Menagius, Huetius, ceteri, in hoc argumento operam poſuerunt. Quo quanta & Philoſophiæ, & Hiſtoriæ lux adfulſerit, quiſque his litteris vel leviter tinctus cognoſcit.

Nec ſolum in Logica, & Phyſica, ſed etiam in Juriſprudentia Naturali, quæ altera pars eſt Philoſophiæ, Recentiorum cura conſumta eſt. [1] *Hugo Grotius* Batavus diſciplinam de *Officiis*, ſeu *Jus Naturæ, & Gentium* inito eodem ſæculo primus excoluit. [2] Quod argumentum poſt *Seldenum*, ceteroſque, *Samuel Pufendorfius* Ger-

---

[1] *Quæ his paragraphis ad finem uſque hujus capitis ſcribimus, eruditionis gratia ſcripta ſunto, & ut perfectam hiſtoriæ Philoſophicæ imaginem exhibeamus. Nulli vero, Adoleſcentes, exiſtimetis, hujuſmodi libros vobis legendos proponi. Quidam enim ita noxii ſunt e. g. Hobbeſius, ut ne ſi liceat quidem, legendi ſint: immo non ſine venia ſunt nominandi. Alii, etſi per Eccleſiam id liceat, tamen tironibus apti non ſunt. Verbo dicam, hæc augendæ eruditionis gratia, non alia de cauſſa, ſcripta eſſe putatote.*

[2] *In Libro* de Jure Belli, & Pacis Pariſ. 1625.

Germanus majori diligentia perſecutus eſt. [1] Quem hac ætate imitati ſunt *Chriſtianus Thomaſius*, *Heineccius*, *Buddeus*, aliique Philoſophi. [2]

Et quidem *Grotius*, *Hobbeſius*, *Pufendorfius* ex principio *ſocialitatis* ducunt jus Naturale. Hoc tamen intereſt: *Grotius* in ſocietate vivendum putat, propterea quod id congruit ſanctitati divinæ: *Hobbeſius* hoc nomine, ne oriatur bellum: *Pufendorfius* demum, quia voluntas divina id poſtulat.

Fuere etiam inter Recentiores, qui de *Politica* diſputarunt: ut *Bodinus*, *Bocalinius*, *Conringius*, *Boeclerus*, alii: [3] poſt quos id ipſum retractarunt hoc ſæculo *C. Thomaſius*, *Buddeus*, ceterique.

Duplex autem Politicorum ſecta inde orta eſt, *Machiavelliſtarum*, & *Monarchomachorum*. Ducit illa originem a *Nicolao Machiavello Florentino*, qui vixit ſæculo XVI. [4] homine non ſine venia memorando. Hic in tractatu de *Principe*, ubi quod homines non nulli in imperio facere ſoleant, non quod debeant, patefecit; Principum potentiam ita extollit, ut tyrannus videatur. In hunc cenſum referri ſolet *Lipſius*, auctor *Politici Scelerati*, & Angli plurimi. [5] Qui

---

[1] *In* Element. Juriſpr. Uuiverſ. *Hagæ Com.* 1660. & *de* Jure Naturæ, & Gentium. 1672. De Officio Hominis & Civis.

[2] *Confer. Stollius* Hiſt. Litter. p. 938. *Reimmannus* Hiſt. Litter. Germ. P. III. p. 41. & Biblioth. Juris Imper.

[3] *Confer. Stollius*, & *Reimmannus ſupra*.

[4] *Jovius* Elog. c. 87.

[5] *Confutavit Machiavellum præter ceteros uterque Anonymus: alter editis* Commentariis de Regno tranquille adminiſtrando, Lauſanæ 1576. *alter Gallice, editus a Voltairio. Confer.* Biblioth. Britan. Tom. XVI. & Novelle di Firenze Tom. II.

Qui *Machiavelliſmo* occurrerunt non nulli in contrarium inciderunt, & ſectam condiderunt *Monarchomachorum*. Hæc jus omne regium vindicat populo: Principem autem eidem ſubjicit, ac populi judicio pœnis & ſuppliciis adfici poſſe exiſtimat. Hujuſmodi fuere præter ceteros, *Salomonius*, *Bucananus*, *Junius Brutus*, *Gentilettus*, *Milton*, *Hottomanus*, *Althuſius*, *Schelius*, *Danæus*, *Buſcherius*, ceteri ex Anglis præſertim, qui ibi appellantur *Republicains*. Hæ autem duæ ſectæ, quæ reapſe antiquiorem habent originem, quam non nulli ſuſpicantur, quot turbas XVI & XVII. ſæculo tum in Anglia, tum in Gallia, tum aliis in locis ſuſcitarint, hiſtoria illius ævi demonſtrat. [1] Sed his nos in præſentia ſuperſedemus.

CAPUT XV.

De Philoſophia XVIII. ſæculi, ſeu de cultura philoſophiæ Eclecticæ.

MEmorabile fecit initium XVIII. ſæculi academia Philoſophica a *Friderico I.* Boruſſiæ rege anno cIↃIↃcc. Berolini excitata auctore Leibnizio, & anno XI. perfecta. [2] Quæ naturalibus diſciplinis ſedulam operam navavit. [3] Paullo poſt h. e. anno hujus ſæculi XI. *Marſilius Comes* Bononiæ aliam propriis ſumptibus ere-

[1] *Confer. Carolus Stephan. Jordanus* Recueil de Literature p. 69. *Bulæus* Hiſtor. Academ. Pariſ. p. 868.

[2] *Confer Vitam Leibnizii*.

[3] *Exſtant* Miſcellanea Societatis Regiæ Berolinenſis.

erexit; ſub auſpiciis Clementis XI. Pontificis Maximi: quod *Inſtitutum Bononienſe* nominatur. [1]

Horum veſtigia ſecutus *Petrus I.* Moſchorum imperator, anno hujus ſæculi XXIII. celeberrimam Academiam, adſcitis undique doctiſſimis viris, Petropoli condidit: quam duobus poſt annis Catharina perfecit. [2] Quæ tres Societates Phyſicam, & Mathematicam diſciplinam nullo minori cum plauſu, quam Londinenſis, & Pariſienſis, augent & amplificant.

Imperatorum itaque, Regum, atque Pontificum Romanorum auctoritate Naturæ ſcientia in Italia, Gallia, Batavia, Anglia, Germania, Moſchovia, & aliis in locis coli cœpit & perpoliri. Cujus tot exſtant teſtes luculenti, quot opera ſingulis annis prædictæ Societates divulgant. In quibus Phyſica non hypotheſibus, ſed firmiſſimis experimentis inluſtratur.

Eclecticæ autem phyſicæ progreſſu excitati Philoſophi, reliquas Philoſophiæ partes ad trutinam revocarunt: & ex principiis lumine rationis notis, & diuturno uſu confirmatis eaſdem deduxerunt: & philoſophiam omni ex parte Eclecticam ediderunt. Hujus Philoſophiæ fundamenta jacta erant fine ſuperioris ſæculi. Tamen non niſi hoc ſæculo perfecta eſt talis inſtitutio, Anglorum, & Germanorum opera præſertim.

Multum ad eam rem contulit *Chriſtianus Thomaſius* homo

---

[1] *Limierius* Hiſt. Inſt. Scient. Bononienſ. Amſtelæd. 1723. 8. Gallice. *Exſtant illius* Miſcellanea. *Confer. Conſtitutio Clementis XI. quæ incipit*, Superni diſpoſitione conſilii, *& eſt* CCXX. *hujus Pontificis in Bullario Clementino, qua Pontifex Academiæ Leges, ſeu Statuta confirmat: ſed ea demum an.* 1712. *aperta eſt*.

[2] *Exſtant* Commentar. Societ. Petropolitanæ, *aliquot voluminib.*

homo Germanus, extinctus Halæ anno CIↃIↃCCXXVIII; qui jam fine ſuperioris ſæculi Logicam, & Ethicam emendare adortus fuerat: [1] qua de cauſſa & maximas turbas concitarat, & graviſſimis moleſtiis fuerat adfectus. Sed felicioribus auſpiciis hoc ſæculo id ipſum adgreſſus eſt. Huic addi poſſunt *Nicolaus Hieronymus Gundlingius*, *Andreas Rudigerus*, *Joannes Franciſcus Buddeus*, *Chriſtianus Wolfius*, *Samuel Chriſtianus Holmannus*, *Jacobus Syrbius* [2] ceteri, qui in dilucidanda hiſtoria Philoſophica, & Eclectica philoſophia deſudarunt, edideruntque Inſtitutiones Logicas, Ethicas, Politicas, Metaphyſicas.

Placuit autem præter ceteras hæc philoſophandi ratio doctis viris, qui in celebrioribus Univerſitatibus Europæ inſtituunt juventutem. Religioſi vero nimis multi vel *Carteſii*, vel *Gaſſendi* philoſophiam profiteri non dubitarunt: idque non in Gallia modo, & Belgio, & Germania, verum etiam in Italia.

Sed etiam Jeſuitæ, qui cum Carteſianis in Gallia vicino ſæculo bellum geſſerant, tamdem aliquando intellexerunt, cauſſam nullam eſſe, cur Recentiores philoſophos tanto animorum æſtu reprehenderent. Nimirum cum viri illi docti ſine partium ſtudio negotium examinarent, cognoverunt plane, Carteſianorum ſententias nihil cum Janſenianis habere commune, eaſque nullo negotio ad bonum ſenſum revocari poſſe: cetera vero ſyſtemata Phyſica in Catholicis & ampliſſimis academiis paſſim defendi, idque per Eccleſiæ leges.

Dein-

---

[1] *Thomaſii hiſtor. & ſcripta habes in* Biblioth. Germ. Tom. I. p. 138.

[2] *Horum vitam, & ſcripta dabit Stollius* Hiſtor. Litter. *& in* Supplem. Nov. ad Hiſt. eamdem. *Gottenius* Europa Litterar. hodie vivente. *Conſuli poſſunt eorumdem Philoſophorum ſcripta.*

Deinde cum animadverterent, ſe ſe non modo nullis legibus impediri, quo minus doctrinam apud Catholicos vulgatam amplexarentur; verum etiam ex majorum præſcripto habere, ut temporibus ſervirent; eaque docerent, quæ in celebrioribus Scholis & Academiis traderentur; [1] iccirco pedetentim & ipſi de veteri inſtitutione deceſſerunt. Ac primum *Kircherus*, *Schotus*, *Scheinerus*, *Eſchinardus*, *Bonnanius*, *Cabeus*, ceterique elapſo ſæculo aliquid ediderunt magis accommodatum methodo, quæ per id tempus vigebat. Et quamquam non nullis Peripateticorum præjudiciis ſua ſcripta inquinaverint, multum tamen abeſt, quin Rigido-Peripatetici ſeu Scho-

[1] *In* Ratione ſtudiorum *editionis 4. quæ Romæ in Collegio Romano ejuſdem Societatis anno* 1616. *juſſu Congregationis VII. Generalis condita eſt*, *& quæ etiam nunc vim habet legis*; *inter* Regulas *generales*, *quæ omnes profeſſores complectuntur*, *num. 6. ſcriptum eſt hoc modo*: Sequantur potius univerſi probatos maxime doctores, & quæ, prout temporum uſus tulerit, recepta potiſſimum fuerint in Catholicis academiis.

Inter Regulas *profeſſoris Theolog. Scholaſt. num. 6. ſic exſtat*: Quæ opiniones, cujuſcumque auctoris ſint, in aliqua provincia, aut Academia Catholicos graviter offendere ſcirentur, eas ibi non doceat, aut defendat. Ubi enim nec fidei doctrina, nec morum integritas in diſcrimen adducitur, prudens caritas exigit, ut noſtri ſe illis accommodent, cum quibus verſantur.

Inter Regulas *profeſſ. Philoſ. n. 2. commendatur quidem Ariſtoteles, ut illorum temporum uſus ferebat; ſed adhibetur hæc ratio noſtris temporibus valde accommodata*: Niſi quid incidat a doctrina, quam Academiæ ubique probant, alienum. *At celebriores Academiæ Catholicorum parum aut nihil in eo probant.*

Scholaſtici habeantur. Deinde, qui eis ſucceſſere ſcriptores, & inclinante ad finem eodem ſæculo, atque hoc noſtro lucubrationes ſuas ediderunt, acutius multo viderunt, & aliquid melius cogitarunt.

Horum non nulli palam *Carteſio* patrocinati ſunt: [1] alii plurima *Carteſii*, & *Recentiorum* placita in ſuam Philoſophiam retulerunt: [2] immo vero editis libris demonſtrarunt, illius doctrinam Theologiæ etiam Scholaſticæ non repugnare. [3] Alii in inluſtranda *Corpuſculari* philoſophia ex Carteſii, Gaſſendi, Newtoni, aliorumque ſententiis haud infeliciter elaborarunt. [4] Poſtremo alii oſtenderunt, pleraque *Juniorum placita* Veteribus explorata fuiſſe: tum demum plurimis verbis demonſtrarunt, quam utilis ſit Recentiorum diſputandi ratio ad naturæ myſteria facilius referenda. [5]

Nec in Gallia modo, ſed etiam in Italia, præſertim in provincia Mediolanenſi, & Bononienſi, Jeſuitæ aliqui recen-

---

[1] *Joſephus Maria Barbierius Jeſuita Lovanienſis* Veritas Philoſophiæ Carteſianæ evicta inventis Philoſophi Germani, quam a cenſura calumnioſa profeſſoris Mathematici vindicat.

[2] *Honoratus Fabri* in Phyſica: *qui edidit etiam Logicam Metaphyſicæ conjunctam ſub nomine* Petri Mouſnerii. *Addi poteſt P. Pardies*.

[3] *idem Fabri* Summa Theologica Lugduni 1669. 4.

[4] *P. Caſſati* de Natura Ignis, *P. Franciſcus Grimaldi* de Lumine, & Coloribus, *P. Franciſcus Tertius de Lanis* Magiſterium Natur. & Artis. *fol.* 1684. *P. Regnaultius* Dialogi Phyſici *Pariſ.* 1737. *vol.* 4. *Gallice*. *P. Caſtellus* Novum Phyſices ſyſtema. *Pariſ.* 1724. *vol.* 2. *ut alios prætermittam, qui in eam naviter incumbunt*.

[5] *idem Regnaultius*, Antiqua Origo Philoſ. Recentior. vol. 3. Gallice.

Recentiori & meliori philoſophiæ privatim dant operam: interdum eam aperte defendunt. [1] Ad quorum exemplum Germani aliqui ſe conformarunt, qui, jubente Hungariæ Regina, Vienæ, & Pragæ Recentiorem philoſophiam aliquam tradunt adoleſcentibus: quod etiam Monachii, juſſu electoris Bavariæ, iidem præſtiterunt. Ex quo homines oculati conjectant, viros doctiſſimos, qui in omni eruditionis parte florent, non commiſſuros, ut quo tempore Europæ celebriores ſcholæ, totque viri & docti, & pii Eclecticam philoſophiam tanto opere amplificant; omneſque eruditi ad Recentiorum acroaſes certatim contendunt; ipſi ſoli hujus laudis expertes eſſe videantur.

Sed & plerique eorum, qui ſtrictiori vitæ inſtituto tenentur, & Religioſi nominantur, Eclectice amant philoſophari, eamdemque ratiocinandi viam in Italia vel domeſticis tradunt, vel extraneis. Numerantur in his Monachi Benedictini *Caſſinenſes, Olivetani, Celeſtini, Camaldulenſes, Hieronymiani Lombardiæ*, ceteri. Item Clerici Regulares *Theatini* nominati, Clerici Regulares S. Paulli, vulgo *Barnabitæ*, Clerici Regulares vulgo *Somaſchi*, Clerici Regulares *Scholarum Piarum*, Clerici Regulares aliqui S. Vincentii de Paulis, vulgo *Miſſionarii*. Præterea Reli-

---

[1] P. *Thomas Correa natus in Italia, ſed oriundus a Luſitania, qui de Logica, Phyſica, Ontologia, Pneumatologia, ex Recentiorum præſertim Nevvtonianorum placitis publice diſputavit Romæ anno* 1747. *Editæ ſunt Theſes typis Komareck*. P. *Rogerus Boſcovik Mathematicæ profeſſor in Romano collegio, vir doctiſſimus, qui Nevvtoni diſciplinam diſſertationibus ſuis egregie inluſtrat.*

Religioſi *S. Franciſci de Paula* : [1] nec non plurimi e *Dominicanis* [2] *Franciſcanis* [3] *Auguſtinianis* [4] ceteri.

Horum nimis multi & in Urbe, & in cetera Italia Eclectica diſciplina imbuunt juventutem. Quos inter facere non poſſum quin nominem amicos noſtros, *Thomam le Seur, & Franciſcum Jacquier* de Minimis B. Franciſci

---

[1] *Religioſi Minimi partim Maignanum ſuum ſequuntur, partim Eclectice philoſophantur ex diſciplina Nevvtoni: quod præſertim faciunt Galli, qui Romæ in Colle Hortulorum Monaſterium habent.*

[2] *Non nulli cum in Urbe, tum aliis in locis bonæ Philoſophiæ dant operam Dominicani, hujuſque uſum editis opuſculis oſtendunt. Hoc autem anno Generalis Ordinis Magiſter P. Bremondus permiſit ſuis, ut Recentiorum philoſophorum ſyſtemata in ſcholis Dominicanorum exponerent. Et in Comitiis Ordinis ſancitum fuit, ut Nevvtoni Phyſicam amplecti poſſent, modo Thomam Aquinatem non deſererent.*

[3] Obſervantium *non nulli in Urbe Recentiorem docent philoſophiam. Eorum etiam, qui* Reformati *vocantur, aliqui domeſticis eam tradunt: alii vero publice docent, ut Fortunatus a Brixia Mechanicæ Philoſophiæ in Univerſitate Brixienſi profeſſor, qui Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Mathematicam, & alia opuſcula emiſit. Tertia Franciſcanorum claſſis, quos* Conventuales *appellant, & ipſi aliquos habent, qui in eamdem naviter incumbunt, e quibus Laurentius Savorinius Venetus, in Archigymnaſio Romano Logicam, & Metaphyſicam exponit ex Recentiorum diſciplina.*

[4] *Aliqui ex Auguſtinianis Lombardiæ, uti vocant.*

ſci de Paula, [1] *Joannem Baptiſtam Becariam* de Clericis Regularibus Scholarum Piarum, *Thomam Mariam Mamachium* Dominicanum, *Philippum de Carboneano* Franciſcanum, *Antonium Franciſcum Vezzoſium* Theatinum, viros clariſſimos, quorum vel nomina proferre, laudare eſt. Plurimos tamen prætermitto præſtantiſſimos Philoſophos, quos ſi vellem percenſere omnes, vix id magno volumine efficerem.

His acceſſit Benedicti XIIII. P.M. graviſſimum judicium: qui in archigymnaſium Romanum Recentiorem philoſophiam introduxit: eamque inſtrumentis ad perſcrutationem naturæ neceſſariis inſigniter locupletavit: tum etiam in collegio de Propaganda Fide eamdem tironibus tradi mandavit. Cujus ſub auſpiciis publica gymnaſia in Urbe condita ſunt anno cIↃIↃccxxxxvII. a Clericis Regularibus Scholarum Piarum: in quibus non modo Humaniores litteræ faciliori via docentur, ſed etiam Mathematica, & Philoſophica diſciplina ad recentiſſimam obſervationem exacta traduntur pueris. Rara temporum felicitate! in qua modo Catholicæ religioni obſervantia tribuatur, quo nihil vero Philoſopho debet eſſe antiquius, cuilibet libere philoſophari, & quam velit Philoſophiæ ſectam publice interpretari licet, & amplecti. Quo vel ſolo quantum momenti acceſſerit recentioribus ſtudiis, vel me tacente, intelligitur.

Quod non eo dico, propterea quia ſub ipſis pæne Pontificis M. oculis ſcribo: ſed eo confidentius dico, quod clariſſimi viri, nec modo utroque Jure, & Eccleſiaſtica hiſtoria contriti, ut oſtendunt eruditiſſima ſcripta,

M quæ

[1] P. Jacquier *Experimentalem phyſicam in Archigymnaſio Romano docet juventutem*: P. Le Seur *Mathematicam profitetur*. *Uterque* Commentariis *ſuis in Newtonum celeberrimus*.

quæ in omnium ore & ſermone verſantur ; ſed etiam ſolidiori Theologia, & Eclectica philoſophia a puero exculti, merita nulli ignota ſunt. Hominem non ſolum de Catholica religione, & doctis hominibus, verum etiam de Luſitanis noſtris optime meritum, laudo: [1] & quamquam haud parem ipſius meritis; at pro facultate noſtra puſillo iſto quidem, ſed ſincero, præconio debitam gratiam referimus. Sed redeo ad inſtitutum.

Etiam in Hiſpaniam, quæ tenax veteris diſciplinæ præter ceteras gentes fuit, quæque pro defendendis Ariſtotelis ſententiis ad ravim uſque contendebat; quaſi una Ethnici & omnino inpii hominis Philoſophia reipublicæ Chriſtianæ ſalus contineretur; [2] *Gaſſendiana* philoſophia pedetentim admiſſa eſt: atque Religioſi ipſi eamdem publicis ſcriptis defendere non dubitarunt. Ex his *Thomas Vincentius Toſca* Valentinus, de Clericis B. Philippi Nerei, edidit *Compendium Philoſophicum*, [3] in quo *Gaſſendi* philoſophiam [non tamen puram] exponit: quamvis ſententias ſuas, ne crabrones irritaret, callide inducat, & Ariſtotelis placitis conciliare videatur. Quæ duo poſſint in concordiam vocari, an ſecus, non eſt hujus loci

[1] *Tot inter alia, quibus prolixam in nos voluntatem oſtendit, condidit Colimbriæ in cœnobio S. Crucis duas ſcholas, ubi hiſtoria Eccleſiaſtica, & res Liturgica publice explicarentur, eaſque adtributis reditibus dotavit.*

[2] *Hiſpanos plerumque Recentiorem & meliorem philoſophiam contemnere, narrat, & dolet vir doctus Mayanſius Hiſpanus & ipſe, in* Vita Emmanuelis Martinii præfixa ejuſdem epiſtolis. *Adde Feijoum in* Theatro Critico Tom. VII. *Diſcurſ.* XI. XII. XIII. XIIII. *in quibus Hiſpanorum ſuorum ſtudia depingit.*

[3] *Valentiæ anno* 1721. *Volum.* V. *in* 8.

ci diſputare: viderint ii, qui Veteri philoſophia, & hiſtoria Litteraria ad plenum eruditi ſunt. Valde id placuiſſe Hiſpanis non nullis, demonſtrant libri cenſores: quorum unus Ludovicus e Flandria Cappucinus plurimis verbis Stagiritæ in ſcholis ſuis tyrannidem dolet, & Eclecticam philoſophiam extollit.

Naturæ itidem ſcientia, præſertim *Medicina*, meliori ratione coli cœpit in Hiſpania, opera *Societatis Medicæ* cum Hiſpalenſis, quæ aliquot ante annis; tum Matritenſis, quæ anno CIϽIϽCCXXXIII I. inſtituta eſt. [1] Quæ plane conficiunt, Hiſpanos homines cultiſſimarum gentium ſtudiis ac lucubrationibus excitatos aliquando intellexiſſe, debere ſe eamdem, quam illi, viam tenere, ſi ad laudem doctrinæ pervenire aliquam cuperent, & in Litteratorum cenſum merito ſuo referri.

Toſcæ inſtitutum ſecuti Luſitani non nulli, illi præſertim, qui *B. Philippi Nerei* familiæ dant nomen, eamdem Philoſophiam publice docent cum Ulyſſipone, tum alibi. De quibus quoniam tempus admonuit, non alienum videtur eorum diſciplinam breviter exponere.

Philippini itaque parentem habent Bartholomæum de Quental ſanctiſſimum hominem, qui fine proximi ſæculi ſodalitium Ulyſſipone conſtituens, ex diſciplina B. Philippi Nerei, id etiam legibus ſapientiſſimis temperavit: unum commendans, ut quam maxime fieri poſſet, aliorum commodo vacarent. Quod ſodales in ſe receperunt, promiſſumque ſumma cum fide ac religione impleverunt. Nam præterquam quod in omni pietatis in Deum, atque officii adverſus homines genere verſantur; ſcholas publicas ab eo tempore plurimis in locis aperuerunt; in quibus Philoſophia, ac Theologia imbuunt adoleſcentes. Iiſque viri ſapientes, & ipſi reges Luſitanorum teſtimonium

[1] *Vide Feijoum loc. cit. p. m.* 344.

nium haud ſemel probitatis, eruditionis, ac diligentiæ ampliſſimum præbuerunt. Libenter ego homines laudo, qui non mercede conducti, non religione ſacramenti coacti, ſed ſtudio inſerviendi popularibus provinciam docendi ſumunt, tantamque adoleſcentium multitudinem pietate, ac litteris informant. Documento, quo pacto homines, qui vitæ diſciplina ſtrictiori & ſanctiori adſtricti ſunt, tempus & operam collocare debent. Sed ad propoſitum revertor.

Hi itaque primi fuere, qui Ariſtotelis philoſophiam apud Luſitanos rejecerunt, atque ex *Gaſſendiana* ratione illa, quam Toſca ſecutus fuerat, philoſophati ſunt, ex eaque non nihil lucubrarunt, ac ediderunt. Et quamquam Eclecticam illam & recentiſſimam diſputandi viam non adtigerunt, quod ipſum in Logica noſtra monuimus, [1] tamen monſtrarunt viam, quam qui diligenter inſiſtit, ad eam haud ita magno negotio pervenire poteſt. Prudentiſſime illi quidem, & multo melius quam ii, qui ex Ariſtotelica ſeu Scholaſtica inſtitutione ad Newtonianam ſine ulla præparatione homines trahere conantur.

Cum enim Ariſtotelici peculiare id habeant, ut obſcuriſſima quæque naturæ myſteria reſerare conentur, idque non tam captis experimentis, quam abſtractis notionibus: Contra Nevvtoniani atque Experimentales ceteri non niſi de iis philoſophentur, quæ naturæ ratione, ac periculo facto expediri queunt; id eſt, quæ ex principiis certis perſpicuiſque demonſtrari poſſunt; quæ duo longiſſime diſtant; oportet ut tironum animi apud eos, qui veteri diſciplina innutriti ſunt, nec aliquid de Experimentali audierunt, veluti per gradus manuducantur, & quodammodo præparentur, ad novam Philoſophiam accipiendam. Quare non inepte viri docti, qui primi hanc eruditionem apud noſtros invexerunt, a *Gaſſendiana* illa ſtudium duxe-

[1] *In Præfatione*.

duxerunt: quæ cum ex hypotheſi plerumque diſputet, omnino videbatur accommodata, ut *Hypotheticos* philoſophos flecteret quo vellet, & ſenſim ſine ſenſu ad interiora perduceret ſanioris Philoſophiæ.

Neque vero iſti ſolum, ſed etiam Canonici Regulares aliqui *S. Crucis* nuncupati, plurimique, qui apud exteras nationes ſolidioris Philoſophiæ rudimentis imbuti fuerunt, eidem privatim dant operam, eaque mirifice delectantur. Quæ ſpem nobis faciunt, homines noſtros, qui nec ingenio, nec diligentia exteris concedunt, Eclecticam philoſophandi rationem curioſe eſſe ſecuturos. Quod ſi fecerint, eidemque vacaverint diligenter, maximum adjumentum Philoſophiæ acceſſurum eſſe confido.

Hæc Philoſophiæ hiſtoria eſt ab orbe condito ad noſtram uſque ætatem. Quam nos ſtrictim perſecuti ſumus, ne infinitum negotium tironibus exhiberemus, in quorum gratiam vel maxime opuſculum editur. Quare Orientali hujus temporis philoſophia, & peregrinis áliis, [1] quod ad finem nobis propoſitum non ducunt, ſuperſedemus. In hiſtoria autem proximi, & præſentis ſæculi, in quo vel maxime Philoſophia mutata eſt, fontes oſtendere, ſatius duximus, quam tironem immiſcere diſputationibus, quæ non ſine labore, & invidia explicari poſſunt. Fuerit

[1] *Orientalium populorum Philoſophiam cum Religione eorum arctiſſimo nexu colligatam eſſe, ſecundum eos, qui apud illos fuerunt, &* Itineraria *conſcripſerunt, monet Bruckerus de* Philoſ. Gent. Aſiatic. *fine V. codicis. Itaque qui aliqua ſcire cupit, præter* Itineraria, *legat Picartum* Religiones omnium Populorum, *Jovetum* Hiſt. Relig. omnium, *Abrahamum Rogerum* Patens Janua ad abdita Gentiliſmi myſteria, *ceteros, ſed cum delectu.*

ſatis in præſentia nominare auctores, [1] ex quibus tota res nullo negotio hauriri poteſt. Quos nobis in hac hiſtoria conſcribenda & materiam dediſſe, & viam indicaſſe, grata memoria profitemur.

LI-

[1] *Stollius* Hiſtoria Litteraria, *Struvius* Bibliotheca Philoſophica; *Morbofius* Polyhiſt. Litterar. *Fabricius* Catalog. Biblioth. ſuæ, *Reimmannus* Hiſt. Litter. Germ. *Buddeus* Hiſtor. Philoſ. *Ephemerides Litteratorum*, Lipſienſes, Lugduno-Batavenſes, Amſtelædamenſes, Pariſienſes, Trivultienſes, Italæ, *ceteræ*. *Horum tamen aliquos tum legent Philoſophi cum per eruditionem, & Eccleſiæ leges licebit. Quod tametſi non ſemel monuerimus, tamen tironibus atque in hiſtoria Litteraria parum exercitatis, id ipſum ſæpenumero repetere conſentaneum puto*.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO

DE UTILITATE PHILOSOPHIAE DISPUTATUR.

CAPUT I.

Oſtenditur intereſſe Reipublicæ Juventutem inſtitui diligenter.

IN omni bene conſtituta & morata republica Juventutis inſtitutio & magiſtratibus, & viris prudentibus curæ fuit. Cum enim quæ cum primo lacte ebibimus alte defigantur in animo, & vix aut ne vix quidem deleantur ab ideis vel populi uſu, vel meditatione comparatis; fit conſequens, ab inſtitutione Juventutis & gloriam, & perniciem reipublicæ omnem auſpicari debere. Quæ, ſi recta eſt, multum rempublicam juvare: ſin autem mala & inordinata, leges, ſocietates, religiones ipſas labefactari neceſſe eſt.

Atque ſi memoria repetimus veteres illas reſpublicas, quæ admirationi cultioribus gentibus fuere, ut Judæorum, Aegyptiorum, Perſarum, Lacedæmoniorum, Athenienſium, & Romanorum, maximum earum in educatione Juventutis ſtudium poſitum fuiſſe intelligemus.

Sin autem juniorum, & toto orbe notiſſimarum rerumpublicarum œconomiam conſideramus, ut Venetorum, Batavorum, Anglorum, ceterorumque; reperiemus, eas non niſi recte inſtituendis adoleſcentibus, qui vel magiſtratus gerere, vel exercitus ducere, vel commercium cum exteris gentibus augere & reſtituere deberent, ad illud opum & potentiæ faſtigium perveniſſe, ex quo venerunt ad hominum famam, & univerſi orbis admirationem.

Atque quin ulla externa perquiramus, domeſticis exemplis edocemur, quantum ad imperii felicitatem juvenum recta inſtitutio, & bonarum artium ſtudium conducat. Nam quo tempore majores noſtri rempublicam ſeverioribus legibus temperarunt, parenteſque filiis antiquæ virtutis, & doctrinæ exempla tradiderunt, eodem noſtri homines gloria incitati, tot tamque præclara moliti ſunt, quæ nullà cum gente comparari queant. Nam & viam a nemine tentatam ad Orientem invenerunt: & vaſtiſſima regna obtinuerunt: & profligarunt exercitus validiſſimos, regnique vires conſtabilierunt: manſueſecerunt efferas & barbaras nationes: & Catholicam doctrinam in gentes, quas ne fando quidem fuiſſe audiveramus, magno cum religionis noſtræ & commodo, & gloria inportarunt. Facile ut intelligamus, quantum ex recta educatione Juventutis unaquæque reſpublica capiat utilitatis.

Duabus autem, ut mihi videtur quidem, optima inſtitutio partibus definitur, mente, & voluntate: id eſt, in exercenda mente ut recte intelligat, & ratiocinetur; ac moderandis cupiditatibus ne hominem abripiant tranſverſum, ſita eſt erudiendæ Juventutis methodus veriſſima. Quarum altera ſi quis careat, peſſimus; altera vero ſi orbetur, inutilis civis erit.

Nam qui in perpolienda facultate intelligendi, & omni eruditionis ſupellectile ornanda totus eſt; de frenandis vero nimiis appetitionibus, iiſque rectæ rationi ſubji-

cien-

ciendis , ne cogitat quidem ; is incommodus ſibi , popularibus ſuis erit pernicioſus . Qui vero ſola animi moderatione contentus , intelligentiæ , & doctrinæ laudem vel tamquam ineptam contemnit , vel tamquam pernicioſam profligat , is inutilis , atque haud ſcio an etiam noxius patriæ civis alitur .

Nam cum Deus hominem finxerit ad ſocietatem ; humana autem ſocietas duobus contineatur , juſtitia , & beneficentia : quarum altera in hoc conſiſtit , ut ne cui noceatur : ut communi utilitati ſerviatur : altera , ut dando , accipiundo , concilientur inter ſe homines firma ſocietate ; oportet hominem civile vinculum mutuæ caritatis & ſocietatis non modo non diſſolvere , ſed confirmare . Cumque juſtitiæ leges , tum etiam beneficentiæ , ac morum præcepta a recta ratione proficiſcantur ; omnino ratio eſt excolenda , quæ veri , & boni leges agnoſcat : ſuam , aliorumque felicitatem procurare poſſit .

CAPUT II.

Rectam Juventutis inſtitutionem ex Philoſophia duci debere demonſtratur .

SIt igitur conſtitutum, rectæ educationis rationem , qua & noſtram , & aliorum felicitatem procurare debemus , ad hoc revocari , ut mentem animi acuamus , quo facilius in omni vitæ parte recte judicemus : & ut ad rationis præcepta actiones noſtras exigamus . Hæc autem nos *Philoſophiæ* nomine ſignificamus . Et quamquam hæc latius pateat , ad duas partes præſertim revocatur : [1] alte-

[1] *Cognitio & veri , & boni per argumentationem adquiſita vel in re Phyſica [hæc Mathematicam , & Medicinam*

teram quæ docet hominem inquirere verum : alteram quæ eum manuducit, ut bonum conſequatur. Cumque hæc duo ad felicitatem muniant viam, fit conſequens, rectam inſtitutionem, atque adeo felicitatem ex Philoſophia duci debere.

Nolite ergo errare, Adoleſcentes, exiſtimantes veram hominis felicitatem, aut in opibus, aut honoribus, aut voluptatibus conſiſtere. Quid enim homini prodeſt, vel pecuniæ, vel hominibus imperare, ſi ſervit ipſe errori, & nimiis appetitionibus, quibus quaſi vento tranſverſum abripitur & agitatur? Quis eum dixerit beatum, qui numquam veritatem conſequitur, qui perpetuo in errore verſatur, qui nec ſe continere novit, nec officia erga alios ſervare? Ego vero hunc non modo beatum non dixerim, ſed infeliciſſimum præter ceteros mortales eſſe cenſeo.

Quem ergo beatum nominamus, aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo, qui cum mentem iis præceptionibus imbuerit, quibus in unaquaque re & verum, & bonum percipiat; ad has leges vitæ diſciplinam conformat, & omnino tranquillum animum ſervat: nec modo ſe bonum virum, ſed bonum civem præſtat reipublicæ. Quæ duo cum Philoſophiæ præſidiis habeantur, conſequitur reipublicæ felicitatem bona Philoſophia contineri.

C A-

---

nam comprehendit] *vel Pneumatologia, vel Theologia Naturali, vel Jure, eſt* Philoſophia. *Verum cum Logica, & Ethica omnis Philoſophiæ fontes aperiant; & inſtrumenta, ut ita dicam, ſint, quibus notitia omnis Philoſophica adquiritur, potiori jure Philoſophia nominantur.*

CAPUT III.

Docet bonam Philoſophiam non modo in gravioribus diſciplinis, ſed etiam in humanioribus, & in omni vitæ parte dominari.

ERrant igitur qui cenſent, Logicam, & Ethicam anguſtis ſpatiis definiri: nam latius patent, quam indocti homines ſuſpicari poſſunt. Principio Logicæ in omnibus ſcientiis præcipuus uſus eſt. Cum enim diſciplinæ omnes hunc finem habeant, veritatem inveſtigare; planę conficitur, artem quæ docet, quo pacto veritatem inveſtigabimus, omnino eſſe accommodatam ad omnem diſciplinam accipiendam.

Percurramus ſingulas diſciplinarum claſſes, & finem, quem ſibi ponunt, conſideremus, facile deprehendemus, eas ſine Logicæ præſidio comparari non poſſe. Et quamquam de iis primo libro prætereuntes aliquid monuerimus, hoc loco copioſius ſunt inluſtranda, idque alia ratione: quo facilius ſingularum naturam, & uſum cognoſcere poſſitis.

Ac primum Phyſica ſe offert: cujus munus eſt, Corporis cum generatim, tum ſingulatim proprietates explorare: deinde Medicina, quæ humani corporis fabricationem, ægritudines, & viam ſanitatem recuperandi quam ſagaciſſime odoratur. At quis hic non videt, quam acutum & ſubactum ingenium neceſſarium ſit, ut veras, non fictas, rerum cauſſas internoſcamus? Sane qui hac facultate carent, ii quidem unum pro alio frequenter accipiunt. Teſtes locupletiſſimi ſunt Veteres phyſici, & medici Galenici, qui etiamſi eadem phænomena vidiſſent, quæ nos, tamen quod eadem recte non explorarunt, ad cauſſas fictas confugerunt.

E. g.

E. g. Duæ tabulæ ex marmore levigato tam tenaciter adhærent, ut non niſi incredibili vi altera ab altera ſeparari queat: quod ſi alterutram confricando inpellis, facillime movetur. Peripatetici dixere, cauſſam eſſe *repugnantiam vacui*. Recentiores vero, qui ſine ullo præjudicio cauſſas, & adjuncta examinarunt, facile cognoverunt, unicam cauſſam eſſe *pondus aeris*.

Unde ergo habuere Recentiores, rem ſine ullo præjudicio explorari debere: item oportere cauſſas omnes, & adjuncta ſagacius odorari, excutere; niſi a Logica, quæ hujuſmodi præcepta late perſequitur? Itaque certum eſt, acutum & celere judicium Logicæ præceptis, eorumque adſidua exercitatione obtineri.

Conſequitur Pneumatologia, quæ & Dei, & Mentium exiſtentiam, ac proprietates perſcrutatur. Hic etiam Logica dominatur. Niſi enim in judicando ſimus exercitati, quo modo firmas ab infirmis ratiocinationes ſeparare poterimus? quo pacto internoſcere, quales ſint utriuſque naturæ germanæ proprietates? Quod ſi mente reputamus, quanta quamque erudita volumina de hac materia doctiſſimi Recentiores conſcripſerint; [1] quamque intricatæ in iis diſputationes ſe offerant, contra Atheos, Polytheos, Deiſtas & Naturaliſtas; ſine labore intelligemus, non niſi hominem a præceptis Logicæ paratum, eumque valde exercitatum, de hac materia apte & ſapienter judicare poſſe.

Jam Theologiæ munus eſt oſtendere, Sacros codices divini ſpiritus adflatu fuiſſe conſcriptos: idque eodem ſenſu, quo eccleſia Catholica accipiendos eſſe docet. Turbant hic multa Hæretici, ac alienum ſenſum Scripturæ verbis adtribuunt. Quo ergo modo germanos libros ab apocryphis, quo modo ſenſum verum a fictitio ſejungemus, niſi leges

[1] *Regis, Treviſani, Fenelon, Magalotti, ceteri.*

leges probabiliter judicandi, atque interpretandi regulas cognitas habeamus? Quis autem nobis has leges ſuppeditat, niſi Logica diſciplina? Et de *theoreticis* diſciplinis hucuſque.

Philoſophiæ practicæ ſi naturam exploramus, plane deprehendemus, eam tribus partibus abſolvi. Harum altera vitia voluntatis examinat, & quo pacto emendari poſſint, oſtendit: [1] nempe adſecutione Summi boni, quatenus argumentatione naturæ cognoſci poteſt: quæ hominis ſumma felicitas eſt: ſeu bonum quærit, *quatenus mentem, & voluntatem emendat*. [2] Hæc peculiare ſibi *Ethicæ* no-

---

[1] „ *Philoſophia nos primum ad Dei cultum, deinde* „ *ad jus hominum, tum ad modeſtiam, magnitudinemque* „ *animi erudivit*. Cicero Tuſcul. I.

[2] *Cognitio Summi boni, quatenus naturæ ratione comparatur, perficit illa quidem & emendat mentem, & voluntatem hominis, dum nos inpellit, ut adfectus noſtros regamus, virtutes morales adquiramus, & tranquillitatem eam animi conſequamur, quæ nos vere facit beatos, & ad ſupernam felicitatem quodammodo perducit. Verum ea non ſufficit homini, qui ad ſummam felicitatem contendit. Propterea quod cum homo in hac vita vitiis undique obruatur, in tam frequenti occaſione peccandi; Deus autem homini non conjungatur, niſi juſtitiæ ejus omnino ſatisfiat; conſequitur; fortiora præſidia eſſe neceſſaria, ſi cum pravis adfectibus ſtrenue bellum committere conamur. Vires unde tales habeamus ratio non docet. Itaque aliud lumen ſit oportet, quod nos ad felicitatem perducat, ſcilicet divinus ſermo ſeu revelatio, quæ ea, in quibus ratio, cæcutit, oſtendat, & doceat, quo modo divinæ juſtitiæ & voluntati ſatisfaciendum ſit, & ex quo fonte auxilia ad id neceſſaria conſequi poſſimus.*

Hæc eſt Divina ſcriptura utriuſque fœderis, quæ nobis

nomen fecit. Altera ex ipſa rationali natura leges juſti, & honeſti deducit, quæ in omni vitæ parte ea, quæ facere debemus, demonſtrent. Itaque & ipſa bonum quærit, non quatenus animi flagitia emendat, ſed quatenus *juſtum, honeſtum, decorum* eſt. Hæc pars de officiis hominum, & de legibus, quibus ea reguntur, præcipit; & vocatur *Juriſprudentia Naturalis*.

Tertia Practicæ philoſophiæ pars prudentiæ regulas in univerſum exponit, quæ externam hominis felicitatem in omni vitæ parte demonſtrent. Ex quibus & prudentia Civilis, & Eccleſiaſtica, ceteræque prudentiæ partes ſua principia deſumunt. Hæc *Prudentiæ Generalis* nomine diſtinguitur: nec niſi hac ætate ſyſtematico modo tradi cœpit. [1] Quoniam vero prudentia vel maxime nota ſit ex

---

bis ea tradit, de creatione rerum ex nihilo, de origine generis humani, de primi hominis integritate, & lapſus pœna, de eſſentia Dei, hujuſque voluntate nos beandi, de extrema inſtauratione corporum, ac publico judicio, præmiis & pœnis poſt mortem, quæ humana ratio ignorat. Eadem docet, Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe Deo, ad quem ſi beneficio divino, & ex diſciplina Catholicæ eccleſiæ per fidem accedimus, meritorum ipſius participes ſumus, qui auxilia nobis præſtat, ut vitiis reſiſtamus, ut eidem obtemperemus, ut eum amemus, vt in virtutibus ſemper majores progreſſus habeamus: tum demum ſummam felicitatem conſequamur. Ex quo manifeſtum fit, religionem Naturalem *ad* Supernaturalem *ſenſim conducere: & ex utraque Philoſophum contra Naturaliſtarum; & Deiſtarum errores & inpia dogmata promere argumenta.*

[1] *Chriſt. Thomaſius* Primæ lineæ de Jureconſ. Prudentia Conſultatoria, & *J. Fr. Buddeus* Elem. Philoſ. Practicæ c. 2. *Prudentiæ leges expoſuerunt, & quo pacto ad ſingulos or-*

ex ratione, qua generales leges ad reipublicæ conformationem, vel eos, qui reipublicæ partem aliquam adtingunt, accommodantur; iccirco præcipua pars prudentiæ Generalis eſt *Civilis prudentia* ſeu *Politica*: quæ ſtatum reipublicæ, Regum, eorumque, qui publicam rem procurant, ex legibus prudentiæ moderatur. [1]

Quan-

---

ordines, præſertim ad reipublicæ Civilis adminiſtrationem accommodari poſſint, perſecuti ſunt.

[1] Politica *diſciplina quædam præcognita ponit, quædam vero tradit. Primo requirit notitiam legum Naturæ, quas* Juriſprudentia Naturalis *exponit. Deinde plenam notitiam originis, & conformationis rerumpublicarum, quæ pars eſt* Juriſprudentiæ Naturalis. [*Recentiores quidam hanc partem ſeorſum diſputant hoc titulo,* Jus Publicum Univerſale: *ut Juſtus Boehmerus* Introductio in Jus Publicum Univerſale ex Juris Naturæ principiis deductum. *Halæ* 1710. 8. *Alii* Jus Publicum *cum* Prud. Civili *ſeu* Politica *conjungunt*] *Hæc prolegomena quædam in Politico ſunt. Peculiare autem habet* Politica, *quod quædam addit, & explicat, quo facilius Naturæ leges executioni mandentur. Ipſimet libri Pandectarum, & Codicis ex utriſque conſtant: nempe ex Naturæ præceptionibus, & formulis hoc conſilio conſtitutis, ut illæ leges in tuto eſſent & ſalvæ. Quare ſi a legibus Civilibus Naturæ præcepta ſejungimus, nihil niſi quædam formulæ reſtant, quæ omnino nullam vim habent.*

Itaque & Civiles leges Naturali opitulantur: & viciſſim cum illæ deficiunt, ex Naturæ præceptis judicandum eſt. Senſit id ſummus ille Romanæ reipublicæ Philoſophus, & Juriſconſultus, idque docuit tum alibi, tum in Rhetorica, hoc modo. „ Omnes leges, Judices, ad commodum reipublicæ re- „ ferre oportet, & eas ex utilitate, non ex ſcriptione, quæ in „ litteris eſt, interpretari ..... Neque enim ipſi [qui le-

„ ges

Quanta autem homines a præceptis Logicæ nullo modo parati futilia invenerunt ! quot falſas leges excogitarunt ! quot ineptas conſecutiones inde duxerunt non modo Gentiles , ſed ii , qui ſe Chriſtianos profitebantur ! quas & Romani pontifices notarunt , [1] & ipſi nobiliores Philoſophi oſtenderunt , decori & honeſti legibus repugnare . Itaque omnino eſt neceſſarium peracre & limatum judicium , ut cognoſcamus, quinam ſint fontes moralium rerum , ex iiſque germanas conſecutiones cogamus : nec decipiamur a quorumdam ſententiis, quæ nos abripiant tranſverſos .

Ex Morali philoſophia jus Civile proficiſci , nemo vel mediocriter doctus ignorat . [2] Non hic juris Civilis nomine ſignifico leges , quas ſingulæ reſpublicæ ad bonum ſubditarum ſibi gentium promulgant , & juris *Municipalis* nomi-

---

„ ges ſcripſerunt] *quod obeſſet , ſcribere volebant : & ſi* „ *ſcripſiſſent , cum eſſet intellectum , repudiatum iri legem* „ *intelligebant . Nemo enim leges legum cauſſa ſalvas eſſe* „ *vult , ſed reipublicæ : quod ex legibus omnes rempublicam optime putant adminiſtrari* . Cicero de Inventione . L. II. c. 38. *Quæ vero in Politico diſciplinæ requirantur , docet Conringius de* Prudentia Civili , *& de* Civili Philoſoph. *ubi auctores , qui de ſingulis partibus ſcripſerunt , recenſet . Confer. Naudæus* Bibliograph. Politica .

[1] *Conferantur Cardenas , Viva , Milante , Du-Bois , Ricci , Lumbier , Duarte d' Aragon , Sellari , ceteri , qui propoſitiones ab Alexandro VII. Innocentio XI. Alexandro VIII. Clemente XI. damnatas percenſent , & exponunt .*

[2] „ *Eſt enim primo de ratione legis humanæ , quod ſit* „ *derivata a lege Naturali* . B. Thomas, *Prim.Sec. q. 95. art. 4.*

nomine continentur : quæ , quamvis rectæ rationi plerumque ſint conſentaneæ , tamen , quod diverſarum gentium moribus ſint accommodatæ , longe abſunt a natura juris Civilis . Sed jus Romanum intelligo , quod legibus XII. Tabularum , & Pandectis , & Codice , & Novellis Juſtiniani , ab Anonymo quodam e Græco converſis , continetur .

Has autem leges e media Philoſophia ſumtas eſſe , neſcit nemo. De legibus XII. Tabularum auctor eſt Cicero , qui eas Philoſophorum libris anteponere non dubitat . [1] Pandectæ vero , & conſtitutiones Juſtiniani , cum Philoſophorum reſponſis , qui ex Stoicorum diſciplina philoſophabantur , [2] contextæ ſint , Moralem undique philoſophiam redolent . [3] Quæ nos luculenter probare poteramus , ſi id ageretur in præſentia : verum ne in re minime dubia vel argumenta , vel teſtimonia conglobemus ; & videamur lectori noſtro copiam eruditionis oſten-

 tare ,

---

[1] „ *Fremant omnes licet dicam quod ſentio: Bibliothe-* „ *cas mehercule omnium Philoſophorum , unus mihi videtur XII. Tabularum libellus , ſi quis legum fontes , & ca-* „ *pita viderit , & auctoritatis pondere , & utilitatis ubertate ſuperare* . Cicero *de Orator. L. I. cap.* 44.

[2] „ *Et quoniam, uti diximus , ad prudentiam Romanorum fuit adtributa philoſophia Græcorum ; plura* „ *dogmata verſantur in jure Civili , quæ Philoſophorum* „ *ſcholam , ac Stoicam præcipue redolent*. Gravina *de Ortu & Progreſſu Juris L. I. pag. m.* 33.

[3] „ *Quoniam nihil eſt aliud jus Civile , niſi naturalis* „ *ad Romanæ reipublicæ inſtitutionem relata , Romaniſque* „ *moribus & litteris explicata ratio* . . . . . Idem Gravina loco citato initio libri .

tare, lubenter ſuperſedemus iis, quæ a graviſſimis Juriſprudentibus copioſe ſunt diſputata. [1]

Quod ſi juriſprudentia Civilis ad Naturalis leges referri debet; [2] quis non videt, recte cogitandi artem, ſeu mentem hac arte excultam eidem percipiendæ penitus eſſe neceſſariam? Et eo magis profeſſoribus Juris eſt neceſſaria recte judicandi diſciplina, quod eorum conſilio, ac judicio ſalus aliorum, & fortunæ reguntur: quorum lapſus & patrimoniorum ruinam ſecum, & vitam etiam ducunt aliorum.

Non hic ego, Adoleſcentes, locutulejum, aut rabulam aliquem de foro advocabo, qui vobis originem juris Communis oſtendat: ſed excitabo hominem philoſophiæ Moralis, ac Juris peritia nobilem, totius elegantiæ, & eruditionis Græcæ, ac Latinæ theſaurum, Janum Vincentium Gravinam, qui *juſti*, & *injuſti* notitiam ex juriſprudentiæ Naturalis fontibus ducit: & plurimis verbis oſtendit, quantum recte judicandi ars Juriſconſulto adferat adjumenti. [3]

Con-

---

[1] *Idem Gravina loco citat. præſertim L. II. Heineccius*, de Jur. Naturæ, & Gentium, *Puſendorſius*, *Thomaſius*, *ceteri*.

[2] „ *Ergo eſt lex, juſtorum, injuſtorumque diſtinctio,* „ *ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem* „ *expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur;* „ *quæ ſupplicio inprobos adficiunt, defendunt ac tuentur* „ *bonos*. Cicero *de Legib. L. II. c. 5.*

[3] „ *Tria omnino ſunt Juris profeſſori neceſſaria, Latinæ* „ *linguæ peritia, ratiocinandi ars, & notitia temporum*. Idem Gravina Loco citato Præfat. *Eadem fuſius exponit alio loco:* „ *Quid enim eſt aliud jus Romanum, niſi ratio* „ *imperans, & armata ſapientia, ſententiæque Philoſopho-*

Conſequitur jus Pontificium : quod veterem, mediam, & novam Eccleſiæ externam diſciplinam exponit. Hæc vel pertinet ad *Sacerdotes*, ſeu viros divino miniſterio mancipatos : vel ad *Res Sacras*, ut ſunt Sacramenta, templa, ceteraque, quæ ad ea referuntur : [1] vel ad *Judicia*, ſeu modum quo Sacerdotum delicta juſto judicio vindicari, ceterique magiſtratus Eccleſiaſtici de ſingulis rebus judicare debeant. Itaque & *jus publicum Eccleſiaſticum* complectitur, & *prudentiam Eccleſiaſticam*, quæ leges Pontificum ad ſingulos caſus referre doceat.

Hæ vero leges naturæ ratione ſuadente latæ ſunt, & pro varia temporis,loci.gentiumque differentia,vel abolitæ, vel mutatæ.Non enim Romani pontifices, non eccleſia Univerſa aliquid niſi ratione & conſilio ſancivit, ad augendum Dei cultum. Itaque primum leges Naturæ, & Divinæ cognoſcendæ ſunt : deinde Eccleſiæ diſciplina omnis, ſeu jus publicum Eccleſiaſticum : poſtremo leges probabilitatis, & interpretationis in promtu habendæ ſunt: ut legum, quæ pro varia diſciplina, alio & alio tempore, & auctore ſunt latæ, germanus ſenſus eruatur. Adeoque lu-

„ *phorum in publica juſſa converſæ*? & prope finem : „*Sane* „ *qui Philologiam exiſtimet a Juriſprudentia poſſe divelli*, „ *idem petierit, ut navis communis cum ſocio dividatur*. Oratione III. de Juriſprudentia.

[1] Liturgia, *quæ ritus exponit, quibus Deum, & Sanctos colimus, pertinet ad* jus publicum Eccleſiaſticum : *propterea quia ab Eccleſiæ conſuetudine, & Pontificum conſtitutionibus proficiſcitur. Et de cultu Sanctorum copioſe diſputant Juriſprudentes : quibus merito ſuo anteponuntur Benedicti XIIII. P. M. ſcripta copioſa ea quidem, & interiori eruditione polita.*

lucem juriſprudentia Pontificia a logica Recentiori accipit, quæ in hoc occupatur, ut veri cum certi, tum probabilis inveſtigandi viam muniat & ſternat.

Jam theologia Moralis ſe offert, quæ in tres partes dividitur. Altera humanæ naturæ corruptionem, id eſt, peccatorum originem perſequitur: &, quæ inde naſcuntur, infirmitates animi exponit: viamque ſternit, qua ex tantis miſeriis emergamus,& in omni virtutum varietate magis magiſque proficiamus, Deoque conjuncti ſimus. Hæc *theologia Moralis* ſtricta ſignificatione appellatur. Altera divinas leges, quæ in Sacris codicibus exſtant, vel quaſi de manu in manum ad nos venerunt, enarrat: & officia, quæ inde fluunt, exponit: tum ad extremum, quibus præſidiis actiones noſtras ad prædictas leges exigere debeamus, demonſtrat. Hæc a Recentioribus vocatur *juriſprudentia Divina*. Tertia pars de *prudentia Chriſtiana* diſſerit: id eſt oſtendit, quo modo Chriſtianus homo, ille præſertim, qui docendi munus ſubit, actiones ſuas ad ſalutem tum ſuam, tum eorum, qui fidei ſuæ commiſſi ſunt, conſequendam componere debeat: quo facilius finem nobis propoſitum obtineat. [1]

Ex

---

[5] *Hæc eſt* Moralis theologiæ *notio quatenus* Morali philoſophiæ *ex altera parte reſpondet*. *Nam hæc religione naturali, ſeu legibus Naturæ tantum: illa vero ſuperna religione, ſeu lege Divina, & Pontificia continetur. Quoniam vero, qui legi Naturæ peccant, Deo peccant, qui voluntatem ſuam non modo* revelatione, *ſed etiam* ratione *hominibus patefecit; iccirco diſciplina morum late patet: atque* philoſophiam Moralem [*id eſt*, Ethicam *lata ſignificatione, prout tres partes complectitur*] *&* Moralem theologiam *comprehendit*.

Ex iis autem, quæ hucuſque diſputavimus, efficitur, etiam in theologia Morali bonam Philoſophiam regnare: nec Logicam modo, verum etiam Ethicam, & juriſprudentiam Naturalem ad eam requiri. Primum, quia niſi legi Naturæ obtemperemus, quæ Divinæ legi adamuſſim conſentit, innocentem vitam non agemus, nec in virtute proficiemus. Deinde, quod in ſingulis vitæ partibus quædam frequenter occurrunt, quæ non niſi ex Naturæ præceptis finiri poſſunt. Quo enim modo ſi de legibus, de pactis, de contractibus, de ultimis voluntatibus, de pœnis, ceteriſque rebus, quæ in Sacris libris non niſi obſcure traduntur, agatur, non cognitis juſtitiæ fontibus, iiſque recte perpenſis, apposite dicere poterit Moralis theologiæ conſultus? Poſtremo, quia niſi arte, conſilio, induſtria humanæ mentis vires, actiones, legeſque nobis inditas veſtigare non poſſumus. Cum igitur morum reſponſa, quibus officia reguntur, non modo ex Divinis legibus, verum etiam ex germanis Juſti, & Injuſti fontibus derivari debeant; plane conficitur artem ratiocinandi, legeſque interpretandi, morum doctori eſſe neceſſarias, ut veras Juſti, ac Honeſti leges internoſcat, & ex iis deducat germanas concluſiones.

Quid? in ipſis etiam diſciplinis, quæ ab humanitate nomen habent, quid nos ſine judicio exercitato boni cogitare poſſumus? Quod enim judicium de poemate aliquo, de oratione, de hiſtoria, de libro faciemus, niſi & acerrimo ingenio valeamus, & præceptis non ſolum Rhetoricæ, ſed Logicæ artis ſimus exculti? Quot enim ineptiæ, Deus bone, funduntur ab illis, qui ſine talibus adjumentis vel ea audent componere, vel de iis judicare præſumunt! Percurrantur vel ſola ſcripta, quæ hoc, & proximo ſæculo prodierunt, in quibus nobiliorum Grammaticorum, Rhetorum, Poetarum, Hiſto-

ricorum[1] vitia ac virtutes exponuntur; & intelligemus, quanta doctrinæ copia, quanta Logicæ, ac Criticæ artis ſupellex eſt neceſſaria, ad hæc commode adornanda, & percipienda.

Neque vero putetis, Adoleſcentes, rectam rationem, [2] quam Deus poſuit in animo, ſatis eſſe, ut hæc & certo, & nullo negotio præſtemus. Nam quemadmodum Homo facultate *numerandi*, *ſaltandi*, *canendi*, *perſuadendi*, natura gaudet; nec quiſquam dubitat, *Arithmeticam*, *Artem commode ſaltandi*, *Muſicam*, *Rhetoricam*, eſſe neceſſarias ut id faciamus; ita quamvis *logica Naturali* polleat, nullus niſi ineptus dubitabit, artem ipſam Logicam eſſe neceſſariam, ut & facile, & recte ratiocinetur.

Itaque, vel hoc nomine commendari debet Philoſophia, quod mentem tam acuit & polit, ut qua facultate homi-

[1] *De* Hiſtoricis *Langletus in* Meth. Hiſtor. *agit*, *& vitia, ac virtutes percenſet*. *Confer. Whear.* Relectiones Hiemales. 1700. *Voſſius de* Hiſtoricis, *Rapin* Reflexiones ſuper Hiſtoria. De Poetis *Bailletus* Judicium Eruditorum, *Voſſius*, *& Scaliger in* Poetica: *Rapinus de eodem*. *De* Rhetoribus, & Orator. *Gibertus* Judicia Eruditorum, *Rapinus* Reflexiones de Eloquentia, *Voſſius de* Rhetorica, *ceteri*. *His addi poſſunt* Ephemerides Pariſienſes, Lipſienſes, Lugduno-Batavenſes, Trivultienſes, Italæ, *ceteræ*, *in quibus de libris, qui prodeunt continenter, fertur judicium*. *Confer. poteſt Junckerus* Schediaſma Ephemeridum, *ubi hiſtor. Ephe meridum uſque ad annum* 1692.*deſcribit*: *&* *Morhof.* Polyhiſtore Litterar. *Popeblountius* Cenſura Celebriorum Auctorum, *ceteri*.

[2] *Recta ratio eſt*, facultas veritates alias ex aliis per neceſſariam concluſionem ducendi: *hæc vocatur*, logica Naturalis.

homines maxime belluis præſtant, eadem tam alii aliis anteponantur, ut alterius ordinis, & multo præſtantioris mentis eſſe videantur. Quis enim ſi Galilæi, Borellii, Carteſii, Gaſſendi, Malebranchii, Hoſpitalii, Poleni, ceterorumque cogitata, cum Hotentotis, Aethiopibus, Canadenſibus, aliiſque efferis nationibus conferat, putet ex ſimili facultate percipiendi utrorumque cogitationes manare?

Quid autem illud eſt ſingulare & excellens, quo homo ab homine differt, & eum ſupra humanam conditionem, ut ita dicam, evehit, niſi adſidua exercitatio, quæ & mentem aptam reddit, quæ ſingula recte percipiat; & ex iis aliqua derivet, quæ neceſſario nexu cum prima colliguntur? Nam quemadmodum gladius acutiſſimus, qui plures annos aeri objectus rubigine incruſtatur, ad aliquid commode cedendum non eſt idoneus; idem vero ſi probe expoliatur, omnia facillime dividit, & ad opera mirabilia efficienda aptus eſt; ita mens noſtra niſi recte judicando exerceatur, & optimis præceptis tamquam obruſſa expoliatur, ad aliquid percipiendum non erit apta. Sed de his hucuſque.

Reliquum eſt ut doceamus, Philoſophiam non modo ad litterarum diſciplinam eſſe neceſſariam, ſed etiam in uſu vitæ valere. Quæ quoniam ex iis, quæ copioſe diſſeruimus, perſpicue conſequuntur, ſupervacaneum eſt ea longo ſermone explicare.

Cum enim homines, ſi non ferino more, ſed eo modo, quo decet animal ratione præditum, agere volunt, actiones ſuas ex Naturæ lumine, ſeu philoſophiæ Moralis fontibus ducere debeant; hæc autem collectio non niſi per argumentationem habeatur; conficitur, Ethicam, & Logicam ad hominum actiones moderandas per quam utiles eſſe & congruentes.

Nam tametſi homines, ne ipſis quidem efferis gentibus exceptis, ſi mente recte utantur, domeſticis præſi-

diis bonum & honeſtum cognoſcere poſſint; adeoque & bene agere, & recte de re morali judicare; tamen cum in hac vita adfectibus pravis, & ineptis præjudiciis undique obruamur; [1] & pauci ſint, qui rationem recte exerceant, & lumina Naturæ conſulant meditando, ſine quibus leges honeſti non cognoſcuntur; [2] interdum vero difficultates occurrant in humana ſocietate, quæ etiam viros doctos fatigant; conſequitur, diſciplinam, quæ leges honeſti diſtincte tradit, mentemque acuit, ut ex iis perſpicuas concluſiones deducat; quibuſdam utilem, quibuſdam penitus eſſe neceſſariam.

Sive enim homo ſecum agat, doctrina Morum, & recta ratio eſt neceſſaria, ut ſe & bonum virum, & optimum civem eſſe oſtendat. Sive cum privatis agat hominibus, & ad utriuſque legis præcepta, pactiones ſuas & contractus conformare debet. Sive aliquam reipublicæ partem adtingat, & ita leges juſti, & injuſti in promtu habere debet; ita populorum mores, atque art em eos continendi exploratam habere; ita exercitato judicio uti; omnino ut populos juſto imperio regat, & tranquillam ac florentem faciat rempublicam. [3]

Pro-

---

[1] „ *Parvulos nobis dedit* [natura] *igniculos, quos* „ *celeriter malis moribus, opinionibuſque depravati ſic re-* „ *ſtinguimus, ut nuſquam Naturæ lumen appareat*. Cicero *Tuſcul. Quæſt. L.* III. *c.* I.

[2] „ *Deſideras dici, quomodo ad nos prima boni hone-* „ *ſtique notitia pervenerit. Hoc nos docere natura non po-* „ *tuit: ſemina nobis ſcientiæ dedit, ſcientiam non dedit* .... „ *Nobis videtur obſervatio collegiſſe, & rerum ſæpe fa-* „ *ctarum inter ſe collatio, per analogiam noſtro intellectu* „ *& bonum. & honeſtum judicante*. Seneca Epiſt. 120. p. 457. edit. Gronov. [3] *Conferantur quæ de Politica admonuimus ſupra in adnotatione quadam*.

Profecto ſi humanas actiones examinamus, & qua de cauſſa laude digna ſint, curioſius veſtigamus, reperiemus hanc eſſe, quod rectæ rationi ſint conſentaneæ. Quidquid enim homines boni cogitant, quidquid moliuntur, & agunt, a ratione proficiſcitur: [1] quæ & nos docet quid agere debeamus, & quo modo cogitemus, ne in uſu vitæ decipiamur. Quare etiam in humana ſocietate utraque diſciplina uſum habet: & ad utriuſque præcepta vitæ inſtitutum conformare debemus.

Caput IIII.

Demonſtrat bonam Philoſophiam non repugnare veræ Theologiæ, immo vero eſſe neceſſariam ad eam addiſcendam.

EX hucuſque diſputatis fit manifeſtum, lectiſſimam Philoſophiam Theologiæ addiſcendæ penitus eſſe neceſſariam. Quod ut facilius demonſtremus, quid ipſa Theologia ſit, fuſius, quam alibi fecimus, declaremus oportet.

Quidquid nos de Deo certo ſcimus, id *Theologiam* vocamus. Duplici autem via ad notitiam certam rerum divinarum pervenimus, argumentatione naturæ, & divina declaratione. Nimirum ſunt quædam, quæ conſtant per argumentationem naturæ conſentaneam: ut exſtare unum Deum, eſſe perfectiſſimum, habere procurationem mundi, & rerum humanarum, eſſe colendum, cetera. Hanc vocamus *theologiam Naturalem*. Quædam non niſi declaratione divina nota fiunt: ut Deum eſſe unam naturam & tres perſonas: creaſſe mundum ex nihilo hoc & il-

lo

[1] *Sermo eſt hoc loco de virtutibus moralibus tantum, & de ratione boni naturalis, non ſuperni.*

lo modo, ac tempore: condidiſſe angelos, & hominem hoc conſilio ut ad felicitatem contendant, eoſque etiam poſt Adami lapſum adjuvare: veniſſe in orbem terræ, mortemque ſponte obiiſſe confixum cruci ut hominem ſervaret: vivum rurſum adſcendiſſe in cœlum: conſtituiſſe rempublicam ſuam, ſeu eccleſiam: legibus temperaſſe, eamque perpetuo gubernare: venturum extrema die ut homines inſtauret, eoſque publico judicio pro meritis donet: poſt quæ mundi erit interitus, cetera. En *theologia Supernaturalis*.

Utraque autem pars ex bona Philoſophia inluſtratur & confirmatur. Et quod ad primam pertinet, perſpicuum eſt, Naturalem theologiam nihil aliud eſſe, quam Philoſophiam de rebus divinis diſputantem. Cum enim ejus ſcopus ſit, Atheos [1] Polytheos [2] Deiſtas[3] ceteroſque in-

---

[1] Athei *nomine hoc loco ſignificamus eos, qui vel Deum omnino tollunt: vel Dei nomen retinentes, ejuſdem proprietates rejiciunt, & adfirmant, Deum, vel intelligentia carere, vel neceſſitate agere: vel contendunt, argumenta, quæ Deum eſſe demonſtrant, non id efficere: vel aiunt, non poſſe certo ſciri an Deus ſit, ſed cum dubio eſſe dicendum: qui alio nomine vocantur* Sceptici.

[2] Polythei *ſunt, qui plures Deos admittunt, ut Idololatræ: vel duo principia ponunt, unum bonum, aliud malum: ut veteres Perſæ, & Aegyptii, ex Chriſtianis Marcionitæ, & Manichæi, ac recentiores non nulli.*

[1] Deiſtæ *ſunt, qui etſi dicunt ſimulate, Deum conditorem materiæ exiſtere, tamen procurationem mundi illi tollunt, eumque ab humanis rebus ſejungunt: contendentes, ex materia cum motu a Deo creata fortuito omnia effici. Alii adfirmant, Dei providentia res naturales adminiſtrari: contendunt tamen, actiones bonas, & malas non a natura*

inpios confutare, qui non auctoritate, ſed rationibus diſceptant; plane conficitur, Naturalem theologum iiſdem armis Religionis decreta eſſe defenſurum.

In hoc autem negotio duo Theologo curanda ſunt: alterum, ut cum hos inpios confutat, argumenta non ſumat ab Scripturæ, Patrumque ſententiis, quæ ipſi non admittunt: ſed religioni Naturali, & Supernæ fines conſtituat, alteramque ab altera ſeorſum tractet. Quod quia non nulli Philoſophi [1] non animadvertunt, nihil efficiunt adverſum Naturalis religionis hoſtes, qui divinum ſermonem contemnunt. Alterum, ut oſtendat, Naturalem religionem Divinæ opitulari, & viciſſim a Divina juvari: [2] adeoque utramque ab eodem Dei numine proficiſci,

tura hominis eſſe, nec a Deo regi juſtitia, & bonitate; ſed legibus humanis eſſe conſtitutas. Itaque & religionem naturalem, & revelationem omnem tollunt: tum rationis, & honeſtatis leges depravant & rejiciunt; atque humanas leges ſuo modo interpretantur. Alii Deo mundi, & hominis creationem, adminiſtrationemque concedunt: hoc agunt, mentem cum corpore perire: atque plurimis verbis perſuadere conantur, præmium, & pœnam diverſo modo accipi debere. Poſtremo alii & religionem naturalem profitentur, præmia, ac pœnas poſt mortem agnoſcunt: nihiloſecius hæc rationibus naturæ ſe habere contendunt: declaratione divina non item, quam aperte rejiciunt.

[1] *Conferatur Toſca*, Compend. Philoſ. Tom. V. de Metaphyſica Reali, *qui hoc peccat*.

[2] „ *Legem ergo deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus*. Paull. Roman. III. *In quem locum ait Chryſoſtomus*: „ *Verum illa quidem lex nimirum præſtare hoc non* „ *valuit, omnes enim peccaverunt: fides autem ei ſuperveniens id præſtitit: ſimul enim ut quis credidit, juſtifi-* „ *catus*

legis præcepta Gentilibus cognita fuiſſe rationis auxilio. [1]

Præterea ipſi ſcriptores Divini dum morum præcepta tradunt, non ea ordine digerunt & inluſtrant; ſed ita cum hominibus loquuntur, quaſi cum iis, qui horum notitiam habent. Adeoque quædam interdum adjungunt: quædam, quæ pravis moribus contaminata erant, emendant: tum demum cum opus eſt generalia præcepta ponunt, ex quibus plurimas concluſiones mente præditi homines colligere poſſint, eaſque ad res ſingulas ſapienter accommodent.

Ex quibus fit manifeſtum, Divinam legem non nova jubere: ſed ea, quæ natura nobis pandit, explicare tantum. Itaque altera ab altera inluſtrari debet: atque vel hoc nomine, quod præcepta Divina Naturæ legi ſunt conſentanea, adverſariis noſtris luculenter probare poſſumus, Chriſtianam religionem a Deo eſſe, & dignam eſſe quæ ceteris anteponatur.

Neque vero exiſtimetis, Adoleſcentes, hujuſmodi inpios, pervivaces, perduelles aut nullos exſtare, aut ſine judicio & eruditione confutari poſſe, ut non nulli contendunt. Utrumque enim non ita ſe habere teſtes non ſuſpecti auctores ſunt. Principio innumeros in Europa, præſertim in Anglia, eſſe Atheos, & Deiſtas, noſtra, & parentum memoria faſſi ſunt viri doctiſſimi, Hue-

---

„ *viſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gra-*
„ *tias egerunt*. Paullus *Romanos I. 19. ſeqq.*

[1] „ *Gentes quæ legem non habent* (ſcriptam) *natura-*
„ *liter* (id eſt ſine locutiône divina) *ea, quæ legis ſunt,*
„ *faciunt: ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex:*
„ *qui oſtendunt opus ejus ſcriptum in cordibus ſuis, teſti-*
„ *monium reddente illis conſcientia ipſorum.* Idem ibid. C. II. v. 14. ſeq.

Huetius, Magalottius, Fenelonus, ceteri, [1] qui eos dedita opera eruditiſſime refutarunt.

Quanto autem opere hujuſmodi infideles præſertim recentiores, in litteras incumbant; quanta animi contentione recentioribus ſtudiis dent operam; norunt qui eorum ſcripta legerunt, vel Litterariam hiſtoriam a limine ſalutarunt. Nimirum homines iſti inpii adjumenta poliendæ mentis, & inveſtigandæ veritatis temere & ſuperbe flectunt ad religionem Naturalem evertendam, extinguendaque humanæ rationis lumina. Quis enim ignorat quanta ſophiſmatum multitudine, quam inpudenti & adfectata eruditione, inpii illi homines, & non ſine venia memorandi, Hobbeſius, Spinoſa, Bælius, Burnetius, Collinſius, Beauſobrius, Wolſtonus, ceteri, vel religionem Naturalem, vel Chriſtianam adorti ſunt: quantaque moliti fuerint ut eam, ſi poſſent, tollerent e medio?

Quid autem proficies cum hominibus diſputando, qui non dico generales notiones, & vocabula incertæ ſignificationis, quæ nihil etiam apud Catholicos, qui veræ Philoſophiæ dant operam, efficiunt; ſed ipſa perſpicua rationis decreta interdum irrident, interdum revocant in dubium; niſi judicio ab optima Logica parato, multa & exquiſita doctrina exculto in pugnam deſcendas?

Non hic generalibus notionibus, non vocabulis inanibus, ſed firma & perſpicua ratione pugnandum eſt. Separanda ſunt vocabula, quæ nihil ſignificant, vel incertam habent ſignificationem: utendum vocabulis uſitatis, quæ accurate ſunt definienda: lectiſſimæ rationes adducendæ ſunt: eæque ordine collocandæ, ut facilius, in animum legentis inlabantur. Adverſariorum fallaciæ, quæ vel voce, vel re continentur, diligenter patefacien-

[1] *Fabricius* De Veritate Religionis Chriſtianæ cap. 22. *recenset eos, qui contra Deiſtas ſripſerunt.*

ciendæ: infirmandaque reliqua argumenta clariſſimis & minime dubiis argumentationibus. Nihil pro certo ponendum, quod firma ratione perſpicue non deducatur: nullæ hypotheſes, nullæ res libere cogitatæ ſunt recipiendæ: omnia argumentatione certiſſima efficienda ſunt. Quis autem non videt, ad hæc præſtanda quanta quamque ſelecta Philoſophia ſit neceſſaria?

At enim, falſa defendunt ipſi, rectæque rationi repugnantia. Utinam, Adoleſcentes, omnia, quæ ab hoſtibus Catholicæ religionis per fallaciam objiciuntur, ſine labore poſſent confutari! non enim tantam cum adverſariis noſtris dimicationem, tamque diuturnam ſuſciperemus: non has peſtes frequenter offenderemus, quæ & pacem eccleſiæ Catholicæ turbare non ceſſant; & graviſſimos Theologos armant ut eorum inpudentiam perfringant. Sunt autem multa, quæ nos falſa eſſe & certo ſcimus, & perſpicue deprehendimus, quæ tamen non niſi ab homine ſummo mentis acumine prædito, & exercitatione diſputandi contrito infirmari poſſunt: & quæ niſi pro merito refutentur, [poſſunt enim ea omnia funditus labefactari] maximum religioni noſtræ adferre poſſunt detrimentum. Quæ cum & viri clariſſimi diſertis verbis teſtati ſint, & diuturnus uſus illis, qui cum Infidelibus, & Hæreticis diſputando contendunt, oſtendat; ſupervacaneum eſt de iis ulterius verba facere. Et de *Naturali theologia* hactenus.

Venio ad Theologiæ partem, quæ ſuperna locutione continetur. Duo hic argumentis firmiſſimis conficere debemus: alterum eſt, Deum ea manifeſtaſſe viris divinis, quæ ipſi ſcriptis conſignarunt: alterum, eo ſenſu tradidiſſe, quo Romana eccleſia accipiendum eſſe docet. Quanta autem ex hoc duplici fonte diſputationum ſeges enaſcitur, quam acres, quamque diuturnæ!

Probemus vel unam partem nimirum, Moſen divino ſpi-

ſpiritu adflatum Pentateuchum ſcripſiſſe. Hic illico quædam argumenta ſe offerunt ex Hiſtoria deſumta, quæ primo adſpectu tales libros Moyſi abjudicare videntur. Quibus quo pacto occurremus, niſi & multijugi lectione, & limato judicio valeamus? Legatur vel unus liber clariſſimi Huetii de *Demonſtratione Evangelica*, & planum fiet, quanta Eccleſiaſticæ, & Profanæ hiſtoriæ, quanta ſolidioris Philoſophiæ notitia eſt neceſſaria, ut iis occurramus, qui codices vel Veteris, vel Novi fœderis divino ſpiritu conſcriptos fuiſſe negant.

Deinde qui divinum ſermonem rejiciunt, ii quidem Deiſtæ ſunt, qui non niſi rationibus naturæ ſacra dogmata adoriuntur. Iis igitur duplici modo eſt occurrendum: primum, ratiocinatione naturali, quæ oſtendat, ex religione Naturæ perſpicue ſequi, ſupernam locutionem & Divinam religionem homini eſſe neceſſariam: deinde, argumentis ab Hiſtoria ductis, quæ efficiant, Judæorum, & Chriſtianorum doctrinam Deum auctorem habere: Deiſtarumque objectationes ſolide diluat, & perſpicue. Quæ cum e media, & ſolidiori Philoſophia, interdum vero e phyſica Recentiori [1] argumenta ſumantur; conficitur, divinam auctoritatem utriuſque Teſtamenti, quæ omnis religionis & Theologiæ eſt fundamentum, Philoſophia lectiſſima adverſum hos inpios eſſe confirmandam.

Jam vero cum iis diſputemus, qui Sacros codices Divinos eſſe non negant; ſed qui, quo ſenſu Scripturæ verba accipienda ſint, examinant. Nonne in graviſſimam diſputationem, quæ nos ab Hæreticis ſejungit, incidimus? Negant Sociniani, Calviniani, Lutherani, Chriſtum Jeſum dogma ullum Apoſtolis verbo tradidiſſe, ſeu, ut alii vo-

---

[1] *Derham*, *in* Demonſtratione de Exiſtentia Dei, *pleraque omnia argumenta ex Recentiorum phyſicorum perſcrutatione ſumit, ut id efficiat.*

vocant, negant *Divinam traditionem*: & efficere contendunt, in omnibus Fidei diſputationibus ad Scripturæ verba eſſe recurrendum. Id præter ceteros Hæreticos recentiores urgent Rivetus de *Patrum auctoritate*, & Dallæus de *Vero Patrum uſu*, & Hottingerus de *Abuſu Patrum*: & tot machinis Veterum epiſcoporum auctoritatem labefactare conantur, ut nihil ſupra: contendentes, ſe non contemnere Patrum eruditionem, ſed ſolam ſcripturam Sacram pro Fidei regula habere. [1] Quis autem ad reſpondendum ſe comparet, qui præter vaſtiſſimam lectionem, arte Logica, & Critica ad plenum non ſit inſtructus? Quis veros libros a falſis, quis nævos ab erroribus, quis fallacias a firmis ratiocinationibus ſine Philoſophiæ ope ſeparare poterit?

Primum Hæretici argumenta ſua promunt ab Scriptura, & Ratione, & Hiſtoria: & minutatim percenſent nævos aliquos & veros, & falſos [2] noſtrorum Doctorum ab ipſis Apoſtolorum temporibus ad ſæculum uſque XV. Pugnantia primo adſpectu eorum loca, Conciliorumque ſi quæ occurrunt, adducunt: plurimam addunt

O fal-

---

[1] *Ex Hæreticis Joannes Clericus in* Epiſt. Criticis, præſertim Epiſt. IIII. *audacter PP. eruditionem minuit. Contra Georg. Calixtus in* Apparatu Theologico *p. 35. ſeqq. eorum eruditionem extollit.*

[2] *Hæretici plerique omnes accuſant Patres: Gundlingius* Obſerv. Tom. II. *diſputat de* Nævis Juſtini Martyris in ratiocinando. *Baſnagius de* Hæreſi Apollinaris *Epiphanium accuſat. Barbeyrachus* Moralem eorum exagitat. *Alii, ut Chemnitius, Calovius, & Claudius* Judicium de PP. Græcis, & Latinis, *pæne omnes reprehendunt: qui ab iis, quibus jus eſt, conſuli poſſunt. Illis tamen recentiores Catholici pro merito reſponderunt, eoſque penitus labefactarunt.*

fallaciam, ut eos ad perverſum ſenſum detorqueant: totam Eccleſiaſticam hiſtoriam excutiunt, ut efficiant, eos tales eſſe, quibus nulla fides habeatur, propterea quod per eorum manus, ut inquiunt, ad nos uſque pura Chriſti doctrina pervenire non potuit. Hæc & alia multa perduelles Hæretici. Iis autem ut reſiſtamus, totam hiſtoriam Eccleſiæ, Patrumque ſcripta examinanda eſſe, nullus non videt. Hæc vero omnino requirunt Criticam artem,& peracre judicium, ut verum ſenſum explorare poſſimus. Quæ cum Recentioris logicæ pars ſit, fit conſequens, ſine bona Logica, Theologica dogmata defendi non poſſe.

Cetera lubens prætereo, cum ex iis, quæ diximus, manifeſto inferatur, acerrimum ingenium, id eſt, mentem bona Logica, & Critica exercitatam, omnino eſſe neceſſariam ad res omnes ſacras pro merito earum accipiendas, ne aliud pro alio intelligentes decipiamur.

Atque hæc ego, Adoleſcentes, quæ de Hæreticis dico, non ſponte, ſed coactus dico, nec ſine ingenti animi dolore commemoro. Non enim illorum induſtriam, non eruditionem memoro interdum, ut vos ad eorum lectionem inliciam: quinimmo nihil magis commendo vobis, quam ut hujuſmodi homines, tamquam hoſtes religionis noſtræ, peſtes reipublicæ Chriſtianæ, toto animo fugiatis. Sed eo tantum conſilio facio ut intelligatis, quanto opere bonis ſtudiis vacare debeatis, ut veram & Catholicam religionem adverſus hos vel inpios, vel Hæreticos ſtrenue defendatis: quod ante me plurimi viri Catholici, iique doctiſſimi, monuerunt.

Neque vero illorum conſilium probo, qui contendunt, hæc diligenter & ſummo ſtudio Adoleſcentibus eſſe occultanda. Ego vero exiſtimo, nihil Theologo conſentaneum magis, nihil religioni aut Naturali, aut Catholicæ magis eſſe glorioſum, quam ut omnes intelligant, utramque tam firmam, tamque inconcuſſam eſſe; ut etiamſi a Philoſophis

phis ſummo ingenio, acerrimo judicio, ingenti eruditione præditis, non uno genere armorum, ſed & variis, & plurimis, & validiſſimis machinis ſit oppugnata; tamen inmobilis & invariata remanſerit. Ex quo omnibus notum fiat, eam non hominis opus eſſe, ſed Dei.

Itaque quamvis nos aliquorum Hæreticorum eruditionem interdum commemoremus, non eos legendos Adoleſcentibus proponimus: ſed viris ætate, & doctrina provectis, quibus Eccleſia legendi poteſtatem fecerit: quique vel eos dedita opera refutare, vel Dogmaticam & Polemicam theologiam e ſuperiori loco tradere adoriuntur: ubi Hæreticorum argumenta infirmare neceſſe eſt. Tironibus vero hæc dicenda exiſtimavimus, primum ut eis perſuaderemus, & oſtenderemus, quam male homines non nulli, ii præſertim, qui a vera & Catholica religione ſejuncti ſunt, ingenio & eruditione utantur, [tametſi iidem non in omnibus male utantur] quod facere & Hiſtorici, & Doctoris officium nos cogit. Deinde, ut eorum induſtriam incitaremus, quo facilius rei & Philoſophicæ, & Theologicæ naviter dent operam: & religionem vel Naturalem, vel a Deo traditam, & ab eccleſia Romana propoſitam, ab hoſtium impetu & incurſione defendant: nec ab adverſariorum calliditate & aſtutia inprudentes circumveniantur. Sed de his plus ſatis.

Caput V.

Oſtenditur bonam Philoſophiam non eſſe eam, quæ argutiis, & inanibus quæſtionibus, aut generalibus notionibus continetur.

Bene habet. Satis in ſuperioribus oſtendimus, bonam Philoſophiam eſſe eam, quæ mentem hominis aptam reddit, quæ in omni vitæ parte verum perſcrutetur:

eamque optimis præceptis imbuit, ut actiones ſuas naturæ rationi conſentaneas faciat. Nunc ſeparatim diſquirendum eſt, quibuſnam hæc Philoſophiæ notio accommodari poſſit. Quod profecto faciemus, ſi naturam & uſum præcipuarum partium prius examinabimus: idque diverſa ratione quam ſuperioribus capitibus fecimus. [1]

Et quidem cum finis Logicæ ſit verum inveſtigare, oportet Logicam eas præceptiones tradere, quæ ad verum inveniendum ſunt accommodatæ. Veritas autem in hoc ſita eſt, ut ego talem notionem habeam, quæ ſit conveniens rei ut in ſe eſt. e. g. Videam Petrum e longinquo, & judicem eſſe Petrum: vera eſt propoſitio, quia adfirmat quod eſt. Videam hominis picturam, judicem eſſe verum hominem: eſt falſa, quia non eſt conſentanea rei ut in ſe eſt. Eſt ergo veritas in *re* tamquam fundamento: in *mente* tamquam ſubjecto: in *verbis* tamquam in ſignis. Quare Logici eſt cognoſcere, quid ſit mens, quæ illius operationes, quæ ſigna, quo facilius intelligat, qua ratione veritatem inveſtigare queat.

Porro veritas vel eſt certa, vel probabilis. Veritas *certa* eſt, quæ indubio ſenſu, vel perſpicua & certa cognitione nititur. e. g. Cum video Petrum e regione ſtantem, certo ſcio, idque ſenſus ope, *Petrum exſiſtere*. Hæc cum longo uſu, & factis experimentis adquiritur, vocatur *Experientia*. Sin autem ex eo quod clare cognoſco, Petrum vivere & ſentire, colligo, *Petrum eſſe animans*; certo ſcio, idque ratiocinationis præſidio, *Petrum eſſe animans*. Hæc vocatur *Demonſtratio*.

Cum autem animi perceptio, vel ſenſus, vulgo *ſenſio*, per organa ſenſuum externorum adquiratur; organa autem

[1] *Hæc tironum gratia monemus, qui fortaſſe non animadvertent, qua de cauſſa eadem plurimis in locis tangamus.*

autem ſi male ſunt adfecta, ſi longe diſtant ab objecto, ſi objectum, uti par eſt, non conſideratur, aliud objectum, quam, quod eſt, oculis repræſentent; [1] munus erit Logici eas præceptiones tradere, quibus *perceptiones*, & *ſenſiones* recte comparari queant.

Demonſtratio autem *certa* [hæc ſola Demonſtratio vocatur] non habetur, niſi comparem evidens principium, & ex eo cognitiones alias perſpicuas colligam. Oportet ergo primo intelligam, quid ſit idea *clara* & *perſpicua*, & quo modo comparetur. Deinde, quid demonſtratio *directa*, & *indirecta*, cetera. Hæc de veritate *certa*: venio ad *probabilem*.

Veritas *probabilis* eſt, quæ non evidenti propoſitione, ſed hypotheſi innititur tamquam fundamento. Eſt autem hypotheſis propoſitio, quæ habetur vera, quia ex ea phænomena, quæ occurrunt, commode & veriſimiliter explicantur. e. g. Videam colorem lapidis ſcabri mutari, ſi polias ſuperficiem, & hujuſmodi phænomenon explicare coner. Sumo pro hypotheſi, *luminis radios ſi in ſuperficiem magis aut minus ſcabram incidant, diverſo modo oculos adficere*. Hinc commode expono, colores non in objecto corpore eſſe, ſed ex refractione varia radiorum lucis, quæ oculos adficiunt, proficiſci. En veritas *probabilis*.

Jam veritas probabilis vel habet pro fundamento & hypotheſi ſignificationem *verborum*, vel *teſtium* auctoritatem, vel rerum *eventum*, horumque ſigna, vel *phænomenorum* explicationem. Primo caſu, vocatur probabilitas *Hermeneutica* ſeu *Interpretativa*: ſecundo, *Hiſtorica*: tertio, *Moralis & Politica*: quarto, *Phyſica*. Niſi autem penitus cognoſcamus, quo modo verborum ſenſum, aut teſtium fidem, aut eventus, aut cauſſas phænomenorum ex-

 plo-

[1] *Conferantur, quæ diſputavimus* in Logica L. II. p. 1. c. 5. & 6. & L. IIII. p. 1. c. 4.

plorare poſſimus, omnino probabilem cognitionem non adipiſcemur. Oportet ergo Logicam tradere leges, quæ omnia perſpicue exponant, quo probabilem veritatem facilius inveſtigemus.

Veritatem miſelli homines inveſtigamus meditatione, lectione, diſputatione. Hic vero occurrunt præjudicia nimis multa *auctoritatis*, & *præcipitantiæ*, quæ caliginem quamdam veluti menti obducunt, ne veritatem perſpicue intelligat. Quæ noſſe neceſſarium eſt, ut ea ſtudioſe fugiamus.

Logici autem eſt, non modo ſibi, ſed etiam aliis philoſophari: id eſt, non modo verum inveſtigare, ſed inventum aliis tradere & explicare. Porro veritatem cum aliis communicamus *voce*, & *ſcripto*. At in his plurima obſervatu digna ſunt, quæ niſi facimus, vix eam viam inſiſtemus, quæ ad veritatis interiora perducit. Quare oportet in Logica talia præcepta tradi, quæ ad id efficiendum expedita & accommodata videantur.

Hæc in pauca conferendo, conſtat, debere Logicum cognoſcere, quid ſit humana mens, quæ illius operationes, qua ratione comparentur, & aliis innoteſcant, quod ſit ad eas conſequendas iter facilius. Deinde, veritatis cum certæ, tum probabilis naturam, & gradus, quibus ad eam pervenimus, cognitos habere; quæque obſtant removere. Poſtremo, habere exploratum, quæ ſit ratio viaque perſcrutandi verum, & inventum aliis tradendi. Quæ ex iis, quæ paullo ante explicavimus, perſpicue fluunt. Et de Philoſophia, quæ mentem expolit, hucuſque.

Nunc eam partem conſideremus, quæ voluntatis medicinam parat, viamque munit ad veram felicitatem. Homo enim naſcitur expers omnis felicitatis, immo plurimis miſeriis obnoxius, quæ eum retardant, ne ad felicitatem perveniat. Hæc autem mala vel a mente, vel a corpore proficiſcuntur, & pravos adfectus ac vitia gignunt,

gnunt, quæ nos a vero bono divertunt. Vitia autem & adfectus certas notas habent, ex quibus facile dignoſcuntur. Porro ſummum bonum unica eſt medicina, quæ infelicitatem hominis moralem delet, & nos vere facit beatos, ſi modo ad illud pervenire meditatione poſſimus. His fere Ethica continetur.

Ex hac inveſtigatione juriſprudentia *Naturalis* proficiſcitur, quæ diſputat de humanarum actionum fontibus, & omni varietate officiorum hominis, quantum naturæ ratione cognoſci poſſunt. Et quamquam hæc pars ab illis plerumque tractari ſoleat, qui Juriſprudentiæ dant operam; tamen ad Philoſophos pertinere dubitabit nemo, qui principia, ex quibus fluit, perpenderit.

His conſtitutis apertum fit, quo ordine & via Moralis diſciplina debeat explanari. Ac primum demonſtrandum eſt, quid ſit natura hominis moralis: quoque modo humanæ actiones ex animo, & corpore naſcantur. Deinde, quid ſint mores hominum, quid vitia, quibuſque notis ſecerni queant. Tum per ſingula currendo examinare oportet, quid illud ſit, cui nomen ſummi boni convenit: qui effectus: quibusque adjumentis ad illud accedere valeamus. Poſtremo, diſciplina de Officiis accuratiſſime tradi debet.

Hactenus qualis Philoſophia ſit, quæ cognitiones, & appetitiones humanas moderatur, demonſtravimus. Hinc facile exiſtimare poſſumus, an qui in contrariam ſententiam diſputant, id præſtent, quod nos bonæ Philoſophiæ munus eſſe oſtendimus. Nam ſi animadvertimus quædam in iis deſiderari, nulli dubium erit, emendari, & clariori ordine diſponi debere. Quare & Veteres, & Recentiores accurate ſunt conferendi, ut intelligamus, utri ea præcepta tradant, quæ ad finem, quem Philoſophia ſibi poſuit, idonea & neceſſaria ſunt.

Tres faciunt partes Philoſophiæ Ariſtotelici philoſo-

phi, Logicam, Metaphyſicam, Phyſicam. Ex iis autem, quæ longa oratione perſecuti ſumus, efficitur, Antiquiores logicos tametſi quædam belle ac ingenioſe excogitarint, tamen aliqua addidiſſe, quæ ad recte ratiocinandum accommodata non ſunt. Deinde deſiderantur in ea quædam, quæ ad Logicam, uti antea demonſtravimus, neceſſaria ſunt. Etenim totum illud de comparandis claris rerum ideis, de modo inveſtigandi verum tum certum, tum probabile, de gradibus probabilitatis, de arte Critica, de arte interpretandi auctores, de præjudiciis, quæ nos a vero rejiciunt, de modo veritatem cum aliis communicandi voce, diſputatione, ſcripto; in hiſce ſcriptis non occurrit. Quæ qui non callet, non is omnes Logicæ partes habet exploratas: nec eam facultatem comparabit, quæ neceſſaria eſt, ut in diſciplinis ſeverioribus, & negotiis aut forenſibus, aut domeſticis recte percipiamus, & argumentando colligamus.

Sequitur Metaphyſica, quæ pars Logicæ merito ſuo vocari debet, propterea quia & ipſa viam monſtrat, ad verum in ſingulis diſciplinis inveſtigandum. Nam vnaquæque diſciplina habet quædam cum ceteris communia, quæ qui non intelligit, difficulter de ſingulis diſputabit. Rem exemplo inluſtrabimus.

Omnia, de quibus docti homines diſputant, vel ſunt, vel eſſe poſſunt: iccirco omnia *entis* nomine continentur. Quidquid ergo enti generatim tribuitur, & ſingulis entibus tribui poteſt. Jam vero ea, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt, ſuas habent naturas ſeu eſſentias: durant magis, & minus: producunt aliquid, vel ab aliquo producuntur, cetera. Oportet ergo, antea quam de unaquaque ſingulatim diſſeramus, ut intelligamus, quid ens ſit, quæ illius proprietates, quid duratio, quid cauſſa, quid effectus, reliqua.

Accedit quod graviores diſciplinæ res ſingulas ſeorſum

ſum non perſequuntur , ſed de omnibus explicant generatim . Quare oportet mentem adſuefieri generalibus notionibus , quo facilius ea, quæ in diſciplinis traduntur, percipiat : atque , objectum ſingularum quale ſit , internoſcere queat .

Itaque Metaphyſica eſt quoddam procemium diſciplinarum omnium , in quo axiomata generalia & indubia traduntur , quæ omnibus ideis conveniunt : atque ex iis concluſiones colliguntur , quæ ad reliqua penitus , faciliuſque cognoſcenda neceſſaria eſſe videntur . Deinde nomina tradit , explanatque , quibus ea commodius explicare poſſimus : idque ſine ullo verborum ambitu , ſine ſubtili diſputatione , quæ ad verborum , & axiomatum intelligentiam idonea non ſunt . Quapropter hæc Philoſophiæ pars *Ontologia* & *Ontoſophia* , ſeu ſcientia de *ente* commode nominatur .

Antiquiores autem Metaphyſici plura illi quidem docte , ſubtiliter , & graviter diſputant : quædam tamen adjungunt , quæ haud ſcio an in inſtitutione puerili locum habeant . Saltim magnam ingenii vim , & incredibile acumen , & haud mediocrem exercitationem poſtulant : quæ in pueris , & qui hiſce myſteriis non ſunt initiati , fruſtra requiras .

Ac primum conſentaneum eſſet & loco , & inſtitutioni , non ea miſcere , quæ ex diverſis fontibus fluunt : ſed quæ ad theologiam Supernam , quæ ad Phyſicam , quæ ad Logicam pertinent , accurate diſtinguere , & ſuis in locis diſputare : ne puerorum mentes & copia , & varietate obruantur . Deinde,& illud eſſet accommodatum ad intellectum puerorum , temperare ab inveſtigatione rerum *poſſibilium* , quæ vix a nobis intelligi , nedum plane explicari, poſſunt . Deinde,neceſſe eſſet definitiones nominum , & axiomata perſpicua adferre ; quo facilius tirones argumentum , de quo agitur , perciperent , ex eoque commode

diſpu-

diſputarent. Ad extremum oporteret reſecare magnam illam rationum, quæ e contrario opponuntur, multitudinem, quæ negotium obſcurant multum. Quæ qui facerent, bene illi conſulerent tironum commoditati.

Sed ad Phyſicam veniamus: cujus finis eſt, naturas & proprietates rerum omnium, quas Deus condidit, inveſtigare. Cum autem nos rerum naturas non niſi ex effectis cognoſcamus, oportet primum ſingulos effectus plane cognitos & exploratos habere: quod eſt hiſtoriam naturæ cognoſcere. Deinde ea, quæ cum omnibus corporibus communia ſunt, noſſe. Tum ex principiis certis, id eſt, ex clara notione proprietatum materiæ, & ex ratis ac conſtantibus legibus motus, phænomenorum cauſſas explorare. Quod ſi phænomena occurrant, quæ ex principiis perſpicuis inluſtrari non poſſunt, ex hypotheſi ſunt inluſtranda: quæ talis eſſe debet, ut omnes rei veriſimilis characteres præferat, & omnibus effectis exacte reſpondeat.

At qui ex veteri diſciplina philoſophantur, diverſa ratione id faciunt. Nam primum generalibus notionibus plerumque detinentur. Tum quædam *poſſibilia* examinant, quæ ad explorandas proprietates materiæ idonea non ſunt. Præterea aliqua adjungunt ex ſuperna Theologia depromta, quæ tirones vix percipiunt, & quæ ipſi acute & copioſe ediſſerunt. Hæc in Phyſica generatim. Particulatim vero qui Phyſicam perſequuntur, eadem ratione philoſophantur. Numquam vero ſingulorum viventium generationem, atque phænomena omnia Phyſica, quæ in hoc orbe terræ occurrunt, ſingulatim explorant, & perſequuntur minutatim. Quare eorum Phyſica diſputatio vix aut nullo modo differt a Metaphyſica.

Hæc ex librorum ad libros comparatione multo facilius, quam diſerta aliqua oratione; cognoſcuntur, & demonſtrantur. Conferamus itaque, ſi placet, Antiquiorum

rum philoſophorum, de quibus hoc loco eſt ſermo, lucubrationes cum commentariis academiarum Regiarum, ut Florentinæ, Londinenſis, Pariſienſis, Leopoldinæ, Berolinenſis, Bononienſis, Petropolitanæ, ceterarumque, in quibus perſcrutationes Phyſicæ accuratiſſime inſtitutæ ſe offerunt. Conferamus cum ſcriptis Recentiorum, qui Naturæ contemplationi ſe totos dederunt, & vel *plantarum* hiſtoriam & naturam perſcrutati ſunt, ut Malpighius, Grevvius, Vaillantius, Tournefortius, Haleſius, Triumphetus, Bradleyus, Michelius, ceteri: vel *animalium* proprietates, ut Willugbius, Jonſtonus, Valliſnerius, Reaumurtius, Ruyſchius, Borellus: vel *mineralium*, ut Haleyus: vel minutiſſima quæque *viventia*, & id genus alia inſenſibilia microſcopio detexerunt, ut Leeuvvenoekius, Hookius, Bonanius, Hartſoekerus, Valliſnerius: vel *aeris pondus*, ac incredibilem demonſtrarunt vim, ut Boylæus, Mariotte, Sturmius, Guerikius: vel *luminis* proprietates, ut Nevvtonus, Grimaldius, Hugenſius, Caſtellus: vel *mutationes mirabiles* Chemiæ præſidio patefecerunt, ut Boerhaavenius, Lemeryus, ceteri nimis multi. Conferamus itidem cum iis, qui inſtrumenta & machinationes, quibus ad naturæ interiora pervenimus, deſcribunt, & exponunt, ut Deſaugulierſius, Nolletus, Perraultius, Gallonius, reliqui. Sane ſi horum, & ſimilium lucubrationes adtente meditamur, nullo negotio intelligemus, Veteres in Phyſica particulatim paucos progreſſus habuiſſe.

Nam ſi verum eſt, quod profecto verum eſt, Recentiores phyſicos multa & præclara Naturæ myſteria patefeciſſe: item ſi verum eſt, non niſi plurimis, & exquiſitis inſtrumentis, quæ alio & alio tempore inventa fuere & perpolita; idque non ab uno homine, ſed a variis, & differentibus in locis; tum multo labore ac ſudore, longi temporis decurſu, incredibili impenſa, innumeris captis experi-

perimentis, ad eam cognitionem perveniſſe ; nullus dubitabit, eos, qui hanc viam non inſiſtunt, ad Naturæ interiora vix eſſe perventuros.

Venio ad alteram Phyſicæ diſciplinæ partem, *Pneumatologiam*. Hic primo conſtituendum eſt, quid illud ſit de quo hoc loco eſt diſputandum. Nos autem de animo nihil ſcimus præter hæc : eſſe rem, quæ non eſt corpus, ſed ſpiritus ; indiviſibilem, & inmortalem : cognoſcere hoc & illo modo : omnino libere velle, & nolle : movere corpus humanum, & ab eo viciſſim adfici. Hæc & ratione naturæ, & teſtimonio divino conſtant, de quo hoc loco non diſputamus. Verum cum animus in ſenſus non incurrat, non niſi ex effectis proprietates hujuſmodi probare poſſumus. Quare & ſingula explorare debemus, & inluſtrare : &, quæ ex adverſo opponuntur, infirmare.

At Veteres philoſophi etiamſi quædam ex illis, quæ memoravimus, diſputent ſub titulo *de Anima* ; tamen in lucubrationibus illis, quæ ſunt in manibus, ea breviſſime tangunt, & toti ſunt in eo ut quædam generalia perſequantur de *anima in communi*, de *intellectionibus*, & *notitiis*, uti vocant, de rebus ſpiritalibus, quæ a Deo fieri poſſunt : ubi plurima ad abſtruſiorem Theologiam ſpectantia fuſe exponunt : adeo ut difficulter, quid ratione, quid auctoritate habeatur ; quid ſermone divino conſtet, quid ex doctorum fluat opinionibus, a tirone ſecerni queat.

Quod ſi hæc ſuis in locis diſtincte diſputarentur, utilitate non carerent : at hoc loco, ubi rationibus naturæ ſolum eſt diſceptandum, ex uſu non ſunt. Finge te cum quibuſdam inpiis contendere, quorum nimis multos hac ætate exſtare ſupra demonſtravimus : certe non niſi ex perſpicuis rationibus eos pro merito confringes, eorumque ſyſtemata penitus infirmabis. Legite, Adoleſcentes, non modo Catholicos juniores, qui religionem Naturalem

ab

ab hac inpiorum claſſe, noſtra & parentum memoria ſtrenue defenderunt; ſed etiam antiquiores, graviſſimos Scholaſticos, qui aliquot ante ſæculis in eodem argumento verſati ſunt, præſertim beatiſſimum Thomam, [1] & reperietis, eum, ut theologiam Naturalem exponeret, Gentiumque deliria confutaret, non ex Dialecticis argutiis, aut ex Philoſophorum paradoxis opinionibus; ſed ex perſpicuis rationibus naturæ doctiſſime diſputaſſe. Ex quo efficitur, in illa Pneumatologiam tradendi methodo, quam non nulli ſequuntur, plurima deſiderari, quæ facile novo ordine, pauciſque adjectis emendari poſſunt, & ſuppleri. [2]

Su-

---

[1] *Libris* Contra Gentes.

[2] *Ariſtoteles in libris* Metaphyſicorum *propoſuit ſibi, de Deo, & Intelligentiis agere: tamen non niſi breviter id effecit, & in terminorum explicatione, ac principiis curam omnem conſumſit. Arabes vero, quod ad hæc animum non adverterent, miſſa tractatione de Deo, in conſiderando* ente *generatim toti fuere: quod Ariſtoteli in mentem non venerat. Conferatur Jacob. Thomaſ.* Hiſt. Metaph. §. *26. 38. Etiam Scholaſticorum metaphyſica fere tota* entis *eſt diſputatio: tametſi alia de* ſpiritu *adjungant. Itaque* Pneumatologiam *partem* Metaphyſicæ *ſeu* Ontologiæ *eſſe dixerunt: rari eam ſeparatim diſputarunt. Hos inter primum locum habet Theophilus Raynaudus in* Theologia Naturali Lugduni edita *1622. 4. Verum & ipſe eo ordine ſcribit, qui doctioribus non probatur. Nam primum* Ontologiam *cum* Pneumatologia *initio libri conjungit. Deinde non neceſſariis diſputationibus ſæpiſſime detinetur. Tum addit quædam, quæ non niſi declaratione divina cognoſci poſſunt. Ad hæc ex præjudicata ſententia aliquando diſputat: e. g. in* prologo *Ariſtotelis theologiam Naturalem valde ex-*

tol-

Supereſt ut de Practicà philoſophia dicamus. Hanc plurimi in ſcholis relinquunt intactam, & ad theologos Morales, uti vocant, pertinere exiſtimant: Juriſprudentiam vero Naturalem ad cauſſarum patronos. Qui vero ex Ariſtotelis ſententia de Ethica ſcripſerunt, ii quidem in virtutibus, & vitiis exponendis operam ſuam conſumunt: reliquas partes plerumque non adtingunt. [1] Verum ſi rem,

---

tollit: quo plane oſtendit, ſeſe Philoſophi germanum ſyſtema non habere cognitum. Hæc & alia, quæ congerit, in theologia Naturali locum non habent.

Fuere quidem Scholaſtici non nulli præſertim antiquiores, ut Scotiſtæ, qui in ſuis ſcriptis quædam egregie diſputarunt, quæ ad Pneumatologiam *inluſtrandam accommodata ſunt, & quæ Recentiores nobiles quidam ſtudioſe collegerunt. Nam certum eſt, Scholaſticos nimis multos ingenio & acumine valuiſſe, & plurima ingenioſe conſcripſiſſe, quæ merito ſuo laudantur. Sed in eorum lucubrationibus* Pneumatologiæ *corpus omnibus ſuis partibus abſolutum non invenitur: propterea quia ad eam pro dignitate inluſtrandam animum non adjunxerunt: nam ſi qui alii, ad id efficiendum erant idonei, ſi libero judicio uterentur.*

[1] *Ariſtoteles Libris X.* Ethicorum ad Nicomachum, *quos expoſuerunt Victorius, Giſanius, Muretus, viri Politici tantum [non pii] & ad honores contendentis, virtutes exponit. Hæ enim in vita civili & aulica uſum habent. De pietate vero mentionem non facit, quippe quæ ad eum finem conſequendum Politicis Græcis non neceſſaria videbatur. Hæ itaque virtutes non præſidia ad ſummum bonum conſequendum, ſed partes ſummi boni Ariſtoteli ſunt: quod bonum earum complexione continetur. Quare qui ex his libris doctrinam morum, ut a doctrina civili ſejunctam, du-*

rem, uti par eſt, examinamus, ſine labore intelligemus, tum Ethicam, tum juriſprudentiam Naturalem ad Philoſophos ſpectare. Primum, id nos docent Veteres illi, qui lumine Fidei perfuſi non fuere, Xenophon, Aeſchines, Cebes, Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, M. Aurelius, Epictetus, Arrianus, Theophraſtus, ceteri de pago Philoſophi, qui & de re Morali copioſe diſſeruerunt, & ex rationis præceptis duxerunt voluntatis medicinam. [1] Deinde, ex rationibus naturæ præcepta, quibus Ethica, & jus Naturæ continetur, ſumuntur. Quare Philoſophi eſt utramque diligenter explanare, ut inde promant tirones germana rationis decreta, quæ & ad mores recte formandos, & ceteras diſciplinas percipiendas, neceſſaria ſunt.

CAPUT VI.

Planum ſit bonam Philoſophiam eſſe eam, quam Recentiores philoſophi colunt.

ERgo Peripatetici philoſophi, tametſi ingenioſe ac ſubtiliter diſputarent; tamen cum in iis argumentis plerumque verſarentur, quæ ad finem, quem Philoſophia ſibi poſuit, non ducunt, dubium non eſt, haud commode in non nullis eſſe philoſophatos. Neque enim juvat, quam copioſa, quam ſubtilis, quamque intricata ſit Philoſophia: ſed quam clara, quam firma, quamque ad inveſtigationem veri expedita & accommodata. Nam que-

ducendam putaverunt, plane oſtenderunt, Philoſophi mentem ſibi exploratam non fuiſſe.

[1] „ *Eſt profecto animi medicina Philoſophia: cujus* „ *auxilium, non ut in corporis morbis, petendum eſt foris.* Cicero *Tuſcul. L. III. c.* 3.

quemadmodum, qui ab Ulyſſipone ad Indiam facturus eſt iter, ut exercitum ducat, & illi provinciæ præſit; inepte ageret, ſi domum ampliſſimam Ulyſſipone dedita opera ædificaret, hortos amœniſſimos coleret, ſereret arbores in quincuncem, & id genus aliis detineretur, quæ utilitate, & delectatione non carent: de paranda vero nave ab omni re inſtructa, de copiis, de hiſtoria politica, & naturali regionis, ad quam tendit, nihil omnino cogitaret: ita qui ad veritatis gynecæum, ut ita dicam, contendit, agit incommode, ſi ſubtilibus, ſed inutilibus diſputationibus occupatur: de iis vero, quæ ad perſcrutationem veritatis penitus ſunt neceſſaria, ne cogitat quidem.

Id cum penitus intelligerent Recentiores philoſophi, hoc unum curarunt, ut non quid Ariſtoteles, quid Carteſius, quid Gaſſendus, quid ceteri Philoſophi dixerint; ſed quod recta ratio oſtendit, ad inveſtigandum verum eſſe neceſſarium, ſequerentur. Hac de cauſſa Carteſius, qui in primis Eclecticam philoſophiam excoluit, deſiderat in Philoſopho, ut præjudicia omnia, tum ea, quæ vocant auctoritatis, tum præcipitantiæ, ſemoveat, ſi modo veritatem explorare contendit, & Philoſophiæ laude cupit eſſe perfectus. Et quamquam ipſe Carteſius, ut erat condendæ ſectæ ſtudio inflammatus, leges, quas condidit, non ſemper ad uſum revocarit; dubium non eſt, illius monitionibus Philoſophos excitatos fuiſſe, ut ſapientius philoſopharentur. Quæ cum ſuperiori libro fuſe demonſtraverimus, hic repetenda non ſunt.

Ab eo tempore quantum philoſophandi ratio fuerit mutata, quantumque lucis ex ea ad ceteras diſciplinas pervenerit, ii ſolum non intelligunt, qui numquam Litterariam hiſtoriam volutarunt. Quod ſi conſideramus, quid cauſſæ fuerit, cur a medio ſæculo XVII. tantos in litteris progreſſus fecerint homines eruditi, quantos bis mil-

mille ante annis non fecerant, facile intelligemus cauſſam eſſe, propterea quod cum ſine præjudicio rerum cauſſas inveſtigaſſent, & conſtituiſſent fines uniuſcujuſque diſciplinæ, facillime inutilibus amputatis diſciplinas omnes cum humaniores, tum graviores, præſertim Philoſophiam, quæ in omni diſciplina dominatur, perpoliverunt & amplificarunt.

Hinc qui Gaſſendi, Claubergii, Thomaſii, ceterorumque artem cogitandi cum Veteri logica confert, multum intereſſe animadvertit. In hac enim inutilia multa, & intricata occurrunt, & ſine ullo ordine diſputata; ut poſtea quam hujuſmodi libris volvendis annum coſumſimus, nihilo magis, quam antea, expediti ſimus, ad reliquas diſciplinas percipiendas. Illi vero res ad inquiſitionem veritatis idoneas ordine, ac perſpicue ediſſerunt: nec in Philoſophia ſolum, ſed etiam in aliis diſciplinis recte ratiocinandi tradunt præcepta.

Tacendum non eſt, primos, qui in polienda Logica laborarunt, vel Carteſianos, vel Gaſſendianos, ut Regium, Claubergium, Sylvanum Regiſium, Auctorem Artis Cogitandi, Malebranchium, Hamelium, ceteros, tametſi plurima utilia tradiderint, atque doctorum ſuorum emendarint lucubrationes, quædam tamen reliquiſſe, quæ omnino emendationem deſiderabant: partim, quod placitis illis, quæ in ſcholis regnabant, ſe conformare neceſſarium exiſtimaſſent: partim quod præjudicatas in Phyſica opiniones omnino non depoſuerant.

Id ipſum de Phyſica, & Metaphyſica judicamus, quæ, tametſi a Junioribus philoſophis, poſt Carteſium, & Gaſſendum, mirifice fuerit inluſtrata, tamen non fuit pro merito expolita, niſi poſtea quam iidem hypotheſes omnes a Philoſophia eliminarunt: & propoſuerunt ſibi, ex principiis certis, & omnino perſpicuis ratiocinari.

Hac ergo ætate, qua Eclectica philoſophia in bono

 lumi-

lumine poſita eſt, omnia diverſo modo ſe habent. Nihil jam auctorum nominibus, nihil præjudicatis opinionibus tribuitur: omnia ſine partium ſtudio expenduntur. Quæ ad finem, quem diſciplinæ habent, conducunt, anteponuntur reliquis: cetera prætermittuntur. Si qua penitus involuta occurrunt, in medio relinquuntur: ne lectoribus inponamus ambitu, & inſolentia verborum, quæ plerumque certam ſignificationem non habent.

Et hoc nomine Recentior philoſophia a reliquis diſcriminatur. Nam Veteres nihil ſuis oculis videbant, nihil domeſtico judicio odorabantur: ſed ex præceptorum ſuorum placitis omnia finiebant. Quæ vero illi non tradiderant, non erat in uſu veſtigare. Iccirco quamvis per tot ſæcula tanta animi contentione diſputaſſent, parum profecerunt: nec aliquod lumen humanis diſciplinis adtulerunt; quæ poſt tot ac tantas diſputationes inperfectæ & inpolitæ reperiebantur.

Carteſiani autem, & Gaſſendiani etiamſi Eclecticam philoſophiam præ ſe ferrent, & in multis vel a Carteſio, vel a Gaſſendo diſſentirent; tamen utriuſque placita ſequebantur plerumque, ſententiaſque interpretabantur: multa itidem ex antiquioribus admiſcebant. Cumque rerum omnium cauſſas perſcrutari vellent, ne iis quidem exceptis, quæ a mortalibus nequeunt explorari definirique; ad eas hypotheſes confugerunt, quæ & libere confictæ ſunt, & phænomenis omnibus exacte non reſpondent.

At Recentior philoſophia omnino ſe ab hypotheſibus liberavit: ſingulaque non ex Veterum opinionibus, ſed ex rationis præſcripto definit: quod ipſum eſt philoſophari. Principio hoc curat, ut rationis, & divinæ declarationis fines cognoſcat: illa namque ad Philoſophiam, hæc ad Theologiam pertinet. Non quod ea, quæ divino ſermone conſtant, pugnent cum iis, quæ ratione

tione continentur: utraque enim a Deo eſt, qui veritatem ſingulis hominibus, vel humana ratione, vel divina locutione declaravit; Deus autem ſibi ipſi conſtat omnino: Sed quod non bene quis ea, quæ rationibus naturæ confirmari debent, præſertim contra Infideles, qui teſtimonia divina rejiciunt, cum iis miſceat, quæ divina declaratione innoteſcunt. Si qua tamen ſunt, quæ Deus hominibus perſpicue declaravit, & vel ad Phyſicam, vel ad aliam diſciplinam pertinent, hæc amplexatur reverenter: reliqua nihil moratur.

Deinde omnia ex perſpicuis, & firmiſſimis deducit principiis. Si qua vero ſe offerunt, quæ hoc modo inluſtrari non poſſunt, ex hypotheſi inluſtrat, & exponit: eamque non certam, ſed veriſimilem eſſe declarat. Quæ vero ſolide explicari non poſſunt, aut quorum major eſt labor, quam utilitas, prætermittit omnino.

Itaque Recentiores philoſophi non inſolentibus verbis, non obſcuris, aut ambitioſis epithetis; ſed domeſticis & propriis vocabulis res nominant, & *ſcapham* vocant *ſcapham*. Nec etiam hypotheſes, quaſi eſſent certæ perſpicuæque probationes; aut res a natura involutas, tamquam res perſpicuas, obtrudunt. Sed dum ea explicare non poſſunt, ignorantiam profiteri non dubitant: nec recuſant mutare ſententiam ſi probabilior hypotheſis ſe offerat.

Quis autem, quæſo, in hac philoſophandi via non veræ Philoſophiæ characteres animadvertit? Quid hic niſi rationi conſentaneum, niſi ad verum in ſingulis diſciplinis inveniendum per quam utile & expeditum occurrit? Habetur honos divinæ locutioni, habetur humanæ rationi: quæ amico fœdere conſentire videntur. Ita tamen habetur, ut utriuſque limites conſtituantur: nec in rebus Philoſophicis ex divina auctoritate argumentemur, niſi in iis, quæ ſine ulla dubitatione a Deo dicta eſſe cogno-

ſcimus: quæ & pauca ſunt, & ex humana ratione inluſtrari poſſunt. Ratio autem diligenter excolitur, ut veritatem, quam quærit, facile & ſecure perſcrutetur.

Quod ſi ea præter ceteras addiſcenda eſt diſciplina, quæ mentem optimis præceptionibus adornat, & omnino aptam reddit, quæ non modo in ſingulis diſciplinis, ſed etiam in omni vitæ parte recte ratiocinetur; dubium non eſt, Philoſophiam ad recentiſſimam obſervationem exactam, & vere hoc nomine dignam eſſe, & ceteris, quæ a quibuſdam excoluntur, multis nominibus eſſe anteponendam.

CAPUT VII.

Non omnia, quæ Recentiores philoſophi excogitarunt, bonæ Philoſophiæ nomine contineri.

JAm ſi omnia, quæ Recentiores de Philoſophia tradiderunt, veræ Philoſophiæ characteres pre ſe ferrent, beati eſſemus in magna illa librorum copia, qui hoc, & ſuperiori ſæculo conditi ſunt. Sed humanarum rerum ea eſt condicio, ut non niſi per quoſdam gradus ab infimo ſtatu ad aliquam præſtantiam & excellentiam perveniant. Inſigne documentum noſtræ miſeriæ, e qua non niſi pedetentim, & multo cum labore ac ſudore poſſumus emergere. Ut illa ipſa animi medicina Philoſophia veluti nobis exprobet primi parentis lapſum, noſque ad Dei opem in omni vitæ parte inplorandam, cohortetur, & flectat.

Hæc ſi accurate nobiſcum reputaverimus, mirari deſinemus, cur tametſi ſæculo XVII. tot viri acuti ingenii, & ſummæ induſtriæ in Philoſophia operam ſuam omnem conſumſerint; adtamen non niſi fine ejuſdem ſæculi, &, ut verius dicam, hoc XVIII. eam viam homines inſiſtant, quæ ad Philoſophiæ myſteria reſeranda

manu-

manuducit: cum nihil eodem tempore & natum, & perfectum in rebus humanis eſſe videatur.

Hac de cauſſa homines non nulli, qui res merito ſuo non expendunt, tam graviter de Recentioribus philoſophis ſentiunt, ut nihil ſupra. Nam cum nec ætatem auctorum, nec eorum philoſophandi viam, nec viciſſitudines diſciplinarum penitus cognoſcant; plurima & longe diverſa miſcent: & vel omnia laudant, vel inprudenter reprehendunt.

Profecto ſi Carteſii logicam cum Arte Cogitandi conferimus, multum intereſt. Ille brevis & exſuccus, &, ſi paucos canonas demis, inutilis: hic copioſior, & bonis præceptis refertus. Quod ſi hunc cum Mariotte, ceteriſque comparamus, quanta, Deus bone! quamque inſignis differentia! quot nos in ultimis offendimus, quæ in Carteſio fruſtra perquireremus? Age conferamus iterum hos cum Thomaſio, Wolfio, Rudigero, Baumeiſtero, Heineccio, Syrbio: & hic magnam differentiam internoſcemus. Quo enim recentiores ſunt auctores, eo meliora & utiliora excogitarunt, multaque addiderunt de præjudiciis, de re certa, de probabili, de modo veritatem cum meditatione, tum uſu & experientia inveſtigandi, & aliis tradendi: quæ a ſuperioribus vel nullo modo diſputata, vel per viam tacta, & obſcure tradita ſunt: & quæ omnino ad veritatem inveſtigandam ſunt neceſſaria. Nec id ſolum, ſed etiam clariori ac expeditiori via id præſtiterunt.

Quid? in iis etiam Logicorum libris, qui jure laudantur, omniane ad finem, quem Logica ſibi poſuit, utilia & accommodata? Utinam, Adoleſcentes, ita ſe res haberet: non enim in tanta librorum multitudine, tantum ſeligendi laborem experiremur. Sed cum de his primo Logicæ libro diſputaverimus, hoc loco prætereunda ſunt. Et hæc de Philoſophia dico: nam quædam Catho-

licæ religioni non conſentanea in non nullis ſe offerunt, quæ ſtudioſe explorare debemus, atque cavere, ne nos aliquo errore pernicioſo commaculent. Sed nos de Philoſophia eaque ſana diſputamus.

Venio ad Phyſicam diſciplinam: quæ vicino ſæculo tanto opere exculta fuit a viris doctis, ut explicari vix poſſit. Verum & hic eadem ſors, quæ in Logica, dominata eſt. Nam qui primi Experimentalem philoſophiam excoluerunt; id eſt, ex certa experientia ratiocinati ſunt, tametſi graviſſimi Mathematici eſſent, interdum male ratiocinantur; propterea quod ad hypotheſin recurrunt, & ponunt pro certis, quæ certa nullo modo ſunt. Hujuſmodi fuere Borellus, Bellinus, Bernoulius, Keillius, alii.

Illi vero, qui ſyſtemata condiderunt, quæ phænomena omnia explicarent; ut Carteſius, Gaſſendus, Malebranchius, ceteri, qui ab his nomen habuerunt; cum ex hypotheſi falſa plerumque ratiocinentur, quamvis explorata phænomena explicent, verum tamen plerumque male philoſophantur. [1]

Aliam philoſophandi viam tenuit Newtonus, quæ ex principiis perſpicuis & omnino firmis, cujuſmodi ſunt Mathematica, res Phyſicas inluſtrat. Quid autem diſſimilius, quam Carteſianus & Newtonianus? Ille ex falſa hypotheſi fere ſemper ratiocinatur: & omnia, ea etiam, quæ mente percipi non poſſunt, confidenter exponit. Hic

[1] *Exemplo ſint hæ hypotheſes: Materia univerſa eſt homogenea, omnis autem varietas formarum ex adfectionibus particularum componentium naſcitur. Partium autem figura, magnitudo, ſitus, motus, eſt talis vel talis. Datur aliquod fluidum occultum, incredibili præditum facultate, occulto motu concitatum, quod poros facillime penetret, & mirabilia efficiat. Et hujuſmodi hypotheſes aliæ.*

Hic ea tantum pro certis adfirmat, quæ experimentis eaptis certa & firma eſſe videntur: atque ex legibus motus per argumentationem perſpicuam explicari póſſunt: cetera ad quæſtiones refert, quorum veritas explorari, & probabili argumentatione expediri poſſit.

Quid autem Leibnizius? quid Wolfius? quid Rudigerus? quid ceteri Germani recentiores, eamdemne cum Nevvtono omnes philoſophandi viam tenent? minime: at & ipſi tametſi multa utilia adjungant, tamen ad hypoteſin non omnino firmam interdum confugiunt. Itaque non omnia, quæ ipſi pro certo adfirmant, ex bonæ Philoſophiæ fontibus manare exiſtimabimus.

Quid? illi qui phænomena omnia, quæ in hac rerum univerſitate ſe offerunt, ex principiis *mechanicis* ducunt; & illi qui principium aliquod *activum* Deo ſubjectum ponunt; & illi qui principia mechanica, ſi ſola in auxilium vocentur, ad Atheiſmum recta ducere defendunt; tum etiam illi, qui Veteres, & Recentiores philoſophos in concordiam vocare adorti ſunt; ceterique, de quibus primo libro commemoravimus, nonne in contrarias opiniones feruntur? nonne plurima adferunt, quæ & ſine ulla ratione excogitata ſunt, & ne a viris quidem oculatis aperte intelligi poſſunt? At enim docti erant: fateor: at interdum ad ſcopum collineant, interdum non item, ſed in rebus graviſſimis cæcutiunt, & delirant.

Sed jam Metaphyſica, ſeu Prima philoſophia, ſeu Ontologia, ſeu Ontoſophia [idem enim ſignificant] eſt conſideranda. In qua quot mutationes ſuperiori ſæculo factæ fuerint, ex hiſtoria Litteraria fit notum. [1] Quidam, poſt Ramum, Metaphyſicam omnem rejecerunt,

 ut

[1] *Confer. Jacobus Thomaſius*, Hiſt. Metaphyſicæ: *in* Erotematibus Metaphyſic. & *Joan. Chriſt. Langius* Diſſert. de Doctrina Metaphyſica.

ut D. Hofmanus, Ameſius, Zeidlerus, ceteri. Alii Metaphyſicam eſſe Lexicon eruditum tantum exiſtimarunt: quod hoc nomine pervolvi debeat, ut philoſophantium ſermonem intelligamus: cujuſmodi fuere Jac. Thomaſius, & J. Fr. Buddeus. [1] Non nulli, ut Verulaminus, partim ad Phyſicam retulerunt, partim ſeorſum explicarunt. Alii pleraque ad Logicam revocarunt, ut Malebranchius, Auctor Artis Cogitandi, Crouſazius. Plerique cum doctrina de Spiritibus eam conjunxerunt: ut Carteſius, Morus, Hamelius, Purchotius, Rudigerus, Syrbius, ceteri. En plures philoſophandi modi prorſus differentes. Quid autem, quæſo ſimilitudinis habet Metaphyſica Carteſii, aut Claubergii, aut Hamelii, aut Purchotii, aut Toſcæ; cum Ontologia Vvolfii, aut Hollmanni, aut Syrbii? parum profecto.

Age vero conſideremus ipſam Pneumatologiam, ſeu ſcientiam de Spiritibus: quot enim hic, Deus inmortalis! quamque differentes ratiocinandi viæ ſe offerunt! Alia ratione philoſophantur Carteſius, & Carteſiani omnes, ac Semicarteſiani, ut Malebranchius, Hamelius, Regiſius, Treviſanius: alia longe diverſa Morus, Cudvvorthus, reliqui: alia Leibnizius, Wolfius, Syrbius, ceterique. Quid? etiam contrarias opiniones aliquando defendunt, ut eorum ſcripta excutienti planum erit.

In ipſa etiam theologia Naturali, in qua & Catholici, & Proteſtantes omnes ſeu Hæretici eumdem ſcopum habent, nimirum Dei exiſtentiam, & proprietates firmiſſimis argumentationibus demonſtrare, & cum Atheorum, tum Polytheorum inpudentiam perfringere; aliæ & aliæ longe diſſimiles ratiocinandi viæ ſe offerunt, quibus ad eamdem veritatem perveniunt: quarum aliæ bonæ, aliæ pra-

[1] *Ille* Hiſtor. Metaphyſ. §§. XVI. ſeqq. *Hic in* Element. Philoſ. Inſtrum. P. I II.

pravæ ſunt. Carteſius, & adſeclæ ex idea innata Dei demonſtrationem duxerunt. Alii nimis multi, ut Gaſſendus, Huetius, Brillonius, ceteri a Carteſio, quod ad modum probandi, receſſerunt. Ipſimet, qui in exſiſtentia Dei demonſtranda curas omnes poſuerunt, ut Fenelonus, Treviſanius, reliqui, aliam & aliam rationem ſequuntur. Nonne illi Eclecticam philoſophiam perpoliverunt? fateor: at non eadem preſſerunt veſtigia, interdum vero non omnia diſtincte internoverunt: quod humanæ condicioni ac infirmitati tribuendum eſt. Cetera, quæ addi poſſent, prætermitto.

Hæc, ut alia non eſſent, conficiunt evidenter, philoſophos Recentiores plurima & præclara excogitaſſe, quibus Philoſophia majori luce perfunderetur: interdum vero quædam addidiſſe, quæ vix probabilia ſunt: præterea plurima manifeſto falſa & pernicioſa per inprudentiam, aut malitiam admiſiſſe. Quare præſtantiſſima eorum inventa pondus iis, quæ inconſulte & temere dicta ſunt, addere non poſſunt: & viciſſim ſi qua ab illis non commode cogitata, aut obſcure & haud recte tradita ſunt, nihil hæc detrahunt ceteris utiliſſimis inventis, quæ in publicam utilitatem ediderunt. Quamobrem ſingulæ res pro merito ſunt æſtimandæ: & ad eccleſiæ Catholicæ leges ſtudioſe expendendæ: ex iiſque Philoſophus ea debet excerpere, quæ ad verum inveſtigandum, & ſingulas diſciplinas perpoliendas, præſertim vero ad Catholicam religionem inluſtrandam & defendendam, idonea ſunt. Quo nihil debet eſſe antiquius vero Philoſopho. In ceteris vero duo præſertim effugiat, gratiam, & ſimultatem: quæ duæ res etiam viros doctiſſimos in errores grandiuſculos frequenter inpellunt.

LIB-

LIBER TERTIUS

IN QUO

DE CELEBRIORIBUS PHILOSOPHIS FERTUR JUDICIUM.

CAPUT PRIMUM.

De Platone, Ariſtotele, Epicuro.

QUemadmodum ſi omnia , quæ de nobilioribus Philoſophis memoriæ prodita ſunt a Veteribus , & Recentioribus hiſtoricis , referre vellemus , copioſa hiſtoria eſſet conſcribenda , quæ nos a fine , quem nobis initio conſtituimus , longiſſime duceret ; ita niſi de iis aliqua in præſentia dicamus , qui Philoſophiæ laude præter ceteros floruerunt , aliquid tractationi noſtræ defuturum arbitramur , nec nos officio erudiendi juventutem pro merito defungi . Quare , quæ de hoc argumento clariſſimi homines fuſius ſcripſerunt , in anguſtum reducentes , ea in præſentia libabimus , quæ ſatis ſint ut intelligatis , Adoleſcentes , quales ii fuerint , qui nobis vel rudimenta Philoſophiæ tradiderunt , vel eam perpoliverunt , & emendarunt : quo facilius de auctoribus ipſis judicium faciatis , & iis cum operæ pretio ſciatis uti : nec facile deci-

decipiamini ab eorum falſis judiciis, qui cum hanc hiſtoriæ Litterariæ partem ne a limine quidem ſalutarint, veluti ex tripode omnia finiunt: auctores, qui ipſis placent, laudant: alios inſipienter vituperant. Cum autem e Veteribus tres fuerint, qui etiam hac ætate in honore ſunt, de iis primo dicemus.

Primus igitur ſe offert *Plato* Athenienſis: de quo primo libro brevem ſcripſimus hiſtoriam: quare hoc loco de philoſophandi ratione dicemus. Quanto in honore fuerit Plato Veteribus; quanta de eo mentiti fuerint Gentiles non nulli, vix oratione complecti poſſumus. Nimirum hic mos veterum Græcorum præſertim fuit, ut eos, qui ingenio, & eruditione præter ceteros claruerant, etiamſi interdum dum viverent morderent, mortuos tamen extollerent in cælum. Id Pythagoræ, id Socrati, id Platoni, id Ariſtoteli uſuvenit: ut alios minorum gentium prætereamus. Quæ in memoriam revocare neceſſe eſt, quo de iis accuratius dijudicemus.

Hoc judicio ducti diſcipuli, vel qui a diſcipulis talia acceperant, nihil non cogitarunt, quod præceptori ſuo non libenter tribuerent. Hinc veteres Judæi, Joſephus, Ariſtobolus; & Chriſtiani doctores aliqui, ut Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Alexandrinus, Euſebius, Theodoretus, Ambroſius, ceteri, cum ſibi perſuaderent, ſeſe in Platone non nulla Judæorum, & Chriſtianorum decretis conſentanea offendere, exiſtimarunt, Platonem in Aegypto a Judæis quædam hauſiſſe. Cui ſententiæ Recentiores aliqui doctiſſimi ſubſcripſerunt: [1] tametſi iis parum favente Hiſtoria, & Chronologia, ut alii demonſtrarunt.

[1] *De* Laudibus Platonis *librum ſcripſit Speuſippus*: *illius elogia colligit Popeblountius* Cenſura Celebrior. Auctor. in Platone.

runt. [1] Hinc etiam ceteræ, quæ illi a Recentioribus quibuſdam tribuuntur, laudationes derivantur: ut divinum hominem nuncupent, Philoſophorum maximum, & hujuſmodi ampliſſima elogia, quæ in tanta laudum profuſione hominem res pro merito æſtimantem fortaſſe non movebunt. [2]

Quod ſi ad Platonem ſine præjudicio accedimus, deprehendemus, multa eum, & præclara ſcripſiſſe: ad tamen longe diſtare ab iis laudibus, quæ plena manu eidem tribuuntur. Et quod ad inventionis laudem pertinet, ex Veterum teſtimoniis conficitur, Platonem ex aliorum libris ſua omnia ſcripta ſumſiſſe & compoſuiſſe: nihil ipſum de ſuo excogitaſſe. Nam Dialecticam ab Euclide Megarico ſumſit: cui junxit formam Dialogiſticam, quam a Socrate acceperat. Ab Hermogene, & Cratylo, Eleaticis philoſophis, ſumſit Naturalem philoſophiam: [3] cui alia addidit, quæ Pythagorei tradebant. Ab eodem Pythagora Metaphyſicam. [4] Moralis vero, & Civilis diſciplinæ initia promſit a Socrate: immo etiam a Protagora, & Sophrone Syracuſano. [5] Quid? illa ipſa forma per dialogos philoſophandi, quam ipſe perpoliviſſe dicitur, [6] ab aliis accepit: nam præter Socratem, Zeno Elea-

[1] *Huetius* Demonſtr. Evang. P. III. c. 2. *Baltus*, Defenſio PP. qui Platon. accuſ. L. III. c. 22. *Lamius* de recta Chriſtianorum in eo quod myſter. Divinæ Trinit. adtinet, ſententia. 1733.

[2] *Lenfantius* Bibliotheq. German. Tom. II. art. 5.

[3] *Plato in* Cratylo Tom. I. p. 401. [4] *Appuleius* de Dogmate Platonis. p.m. 284. [5] *Eſt in hac ſententia Ariſtoxenes apud Laertium L. III. ſ.* 37. *& ſ.* 18.

[6] *Veteres quædam in ejus dialogis reprehendiſſe, narrat Paſchius*, de Variis modis tradendi Moralia. c. 1. §. 9.

Eleates, & Alexemenus Tejus ante eum ſcripſerant dialogos. [1]

Duo ei ſummo conſenſu tribuuntur: 1. Quod Grammaticæ naturam & uſum primus expenderit. [2] 2. Quod Geometriam ab aliis acceptam primus apud Græcos induxerit, hujuſque ope cubi duplicationem invenerit. [3] Falſum autem eſt, Platonem methodum analyticam, ſeu revocandi controverſias ad ſua principia, inveniſſe: id enim ante eum cognitum erat. [4] Adeoque ingenii, & inventionis laude extolli Plato non poteſt.

Venio ad philoſophandi rationem. Omnia per dialogos diſſeruit Plato: quorum, qui germani ſunt, exſtant XXXV. quibus addi ſolent ejuſdem XIII. Epiſtolæ. [5] Id eo conſilio fecit Plato, ut mentem ſuam lectoribus occultaret ad odium fugiendum. Nam cum Anaxagoræ, & Socratis exemplo [hi duo, quod mentem ſuam de Diis aperuiſſent, ab Athenienſibus religionis nomine damnati fuerant] didiciſſet, plenum periculi eſſe, ſententiam ſuam declarare; ipſe autem novam de Divinis opinionem ex Italia, & Aegypto adſportaret; quam in tanta Athenienſium ſuperſtitione in vulgus efferre tutum non erat; dedita opera colloquentes in contrarias partes diſputantes inducit: ut tot tamque differentibus ſententiis lector occupatus, quid ipſe ſentiat, ignoret: nec niſi ab iis, quos arcanorum ſenſuum conſcios volebat, poſſet intelligi.

Inpellebat etiam hominem ad obſcuram diſputandi rationem arcana philoſophandi methodus, quam a præceptoribus didicerat. Nam cum Heracliti, qui præter ceteros

[1] *Laert. ibid. ſ.* 24. 48. [2] *Laert. ibid. ſ.* 25.

[3] *Plutarch. de* Socratis Genio.

[4] *Bruckerus* in Platone p. m. 642.

[5] *De Platonis dialogorum numero diſputat Joannes Albertus Fabricius* Biblioth. Græcæ Volum. II. p. 28.

ros Philoſophos obſcure loquebatur ; & Pythagoreorum , ac Aegyptiorum , qui ſymbolis omnia occultabant ; principiis eſſet innutritus , eoſque deperiret ; facile vel nullo inpellente in eamdem Philoſophiam incidit . [1] Cumque eſſet gloriæ magnopere appetens , & nullo negotio intelligeret , hanc differendi viam obſcuram & intricatam , valde idoneam eſſe ut laude reconditæ doctrinæ prædicaretur ; nihil prius habuit , quam ut hac methodo dialogos ſuos adornaret . Ab hoc autem fonte cetera incommoda orta ſunt , ut poſtea demonſtrabimus .

Hinc dialogos ita texit , ut numquam propriam ſententiam declaret , [2] ſed committat invicem colloquentes : veriſimilitudinem modo huic parti , modo illi adtribuit : in inductionibus vero tam multus eſt , ut , quid ipſe ſibi velit , lector non adſequatur . Deinde definitiones nuſquam tradit : diviſiones autem tam minute perſequitur , ut obſcuritatem , quam vitare cupiebat , pariat rurſum : adeoque nequeat intelligi . Hoc amplius : Fabulas interdum Aegyptiorum more excogitat , & arcanam Philoſophiam his latebris occultat .

Quo autem tutius & facilius lateret , in ſubſidium adſcivit dictionem Poeticam , & translatam , quæ obſcuritatem argumento etiam claro inducit . Deinde ſignificatum vocum mutat pro lubitu,& ex ambiguo loquitur . [3] Præ-

[1] *Confer. Menagius* ad Laertii L. VIII. c. 15.

[2] „ *In Platonis ſcriptis nihil adfirmatur , & in* „ *utramque partem multa diſſeruntur : de omnibus quæritur , nihil certi dicitur* . Cicero *Acad. QQ. L. I. n.* 46.

[3] „ *Nominibus utitur variis , ut ne illius opera in-* „ *peritis & rudibus conſpicua ſint . . . . diverſis utitur ſæ-* „ *pe ſignificationibus , iiſdem nominibus : immo contrarias* „ *ſæpe voces adhibet , ad idem ſignificandum* . Laertius L. III. ſ. 63. 64.

Præterea quemadmodum Pythagoras omnia ad numeros revocabat, ita Plato res Phyſicas ad Mathematicas & generales rationes, proportiones, & figuras Geometricas reducit: adeo ut ob nimiam *abſtractionem* vix aut nullo modo intelligi poſſit.

Præterea cum in ſchola Pythagorea didiciſſet, vocibus vagis & incertæ ſignificationis uti, & in ſubtiliſſimis *abſtractionibus* verſari; hanc autem ad Deum philoſophandi viam adhiberet; talia excogitavit, & ſcripſit, de principiis divinis, de emanationibus intelligibilium, de ideis ſeu formis ſenſibilium, & intellectualium, & hujuſmodi ſexcentis, quæ non alii modo, ſed ne ipſe quidem intellexit. Cumque ea pro exquiſita ſapientia venditet, [1] non nullis enthuſiaſta eſſe videtur. [2]

Ad hæc cum ſectæ condendæ deſiderio adficeretur, quæ Socraticam gloria vel ſuperaret, vel æquaret; ipſe autem non ea eſſet ingenii ubertate, & judicii præſtantia, quæ neceſſaria erat ad novum ſyſtema condendum; talia ex diverſis Philoſophorum placitis ſibi repugnantibus excerpſit, quæ nullo modo conſentire poſſunt, [3] nec intelligi: in quo *ſyncretiſmum* ſuum præſertim in Phyſica, & Metaphyſica prætulit. Et ut paucis comprehendam, Platonica philoſophandi ratio talis eſt: de omnibus in utramque partem diſputare: firma, & infirma utriuſque par-

---

[1] „ *Curioſius neglecta ſobria Socratis philoſophia,* „ *de Diis quærendo, gloriam de multis intempeſtivis, ac* „ *vanis rebus adfectavit: & Aegypti, ac Pythagoræ* „ τερατολογίαις *ac prodigioſæ ſapientiæ amore captus, ad ri-* „ *dicula ſuperciliofus ſapientiæ profeſſor delapſus fuit.* Auctor Epiſtolæ ad Aeſchinem apud Xenophontem.

[2] *Confer. Hanſchius* de Enthuſiaſmo Platonico.

[3] *Confer. Joann. Bapt. Criſpus* de Platone caute legendo.

partis argumenta adducere : adeo ut lector non ea lectione eruditus, ſed dubius evadat. [1]

Hæc ſunt quæ in Platone ſtatim legenti ſe offerunt: ex quibus homo ingenii peracris, & vetuſtatis præjudicio non occupatus, quid de ejus Philoſophia judicare debeat, cognoſcet.

Principio perſpicuum eſt, non bonum Philoſophum eſſe Platonem, qui eo conſilio ſcripſit, ut ne ab aliis intelligeretur. In quo, mea quidem ſententia, nimis ille eſt ineptus: qui maluerit veniam deprecari, quam culpa vacare: quod facilius conſequeretur, ſi nihil ſcriberet. Cur enim operam conſumes in eo Philoſopho legendo, qui omnino intelligi nequit?

Deinde alio nomine condemnari debet, quod iis vocibus, iis notionibus, iis ſententiis uſus fuerit, quæ inextricabilem obſcuritatem præ ſe ferunt: adeo ut oleum & operam in eo volutando conſumere neceſſe ſit. Quod non recentioribus modo, ſed ipſis veteribus Platonis amatoribus exploratum fuiſſe animadverto. Cicero [2] rem obſcuriſſimam Platonis numeris comparat. Sextus Empiricus [3] Platonem intelligi non poſſe præ ſe fert. Idem efficitur ex tot interpretum diſcrepantia, qui in contrarias partes Platonem ſuum trahere conantur.

Atque iſtam quidem interpretes [4] obſcuritatem ma-

---

[1] *Confer. Cl. Huetius* Cogit. Miſcell. *ſeu* Huetianis, *p. m.* 218. [2] Epiſt. ad Atticum L. VII. ep. 13.

[3] Adverſ. Mathem. L. I. c. 13. ſ. 301.

[4] *Platonis interpretes Græcos ſi cum ipſo Platone conferimus, planum fiet, eos non, quid Plato dixerit; ſed quid ipſi exiſtiment veritati eſſe conſentaneum, poſuiſſe. Latini vero, ut Ficinus, illius amore capti, nihil tam abſonum offendunt, quod allegoria ad rectum ſenſum non trahatur.*

maximo Platonis acumini tribuunt: nos vero cum Recentioribus doctiſſimis tarditati mentis tribuimus. Quis enim non rideret Philoſophum, qui in hac Europæ luce ea ſcriberet, quæ poſt longum examen percipi animo, & explicari non poſſent? Cur ergo id Platoni laudi ducamus, quod in philoſopho Recentiori vitio tribueretur? Itaque quamquam præclariſſima multa cogitaſſet Plato, vel hoc nomine male ratiocinatus eſt, quod ea ſcribat, quæ plane adſequi nemo poſſit. Quid? ſi talia tamque repugnantia ſcribit, quæ ne ipſe quidem adſecutus eſt? Profecto ita ſe res habet: & ſi ea, quæ de Diis, de anima mundi, & his ſimilibus ſcripſit, ſine ullo partium ſtudio examinamus, hujuſmodi ſunt, quæ non niſi a deliro homine, & enthuſiaſta proficiſci poſſent. At intellexit Plato. Itane vero? qui igitur fieri potuit ut ipſe intelligeret, nos vero non intelligamus? Id ſane non fit veriſimile.

Præterea corpus doctrinæ non compegit, ſed hinc inde ſparſa omnia expoſuit in dialogis, ſine ullo ordine atque nexu. Iccirco qui ex ejus dialogis ſyſtema aliquod doctrinæ componere conati ſunt, ut Appulejus [1] & Alcinous, [2] plane oſtenderunt, quam inutiliter tempus ipſi, & operam collocaverint. At id in Philoſopho vitium eſt vel maximum, qui & aperte loqui debet, &

---

batur. Serranus vero & Platonem depravat, & allegorice exponit, quæ non intelligit. Vide Fleuryum Diſſ. de Platone, in Meth. Stud.

[1] *Libris tribus de* Dogmate Platonis, *quorum in primo de Philoſophia Naturali, in ſecundo de Morali, in tertio de Rationali agit.*

[2] *In* Delineatione doctrinæ Platonis, *apud Stanlejum* in Hiſt. Phil.

ſententias veriſimiles ordine atque via lectoribus explicare.

Ad hæc pauca bona tot inter incommode dicta ſcripta reliquit. Principio in Logica quædam non inepte de definitione, diviſione, ratiocinatione, & fallaciis ſcripſit: hæc tamen tam multis aliis obſcuris & perperam cogitatis, de judicio veritatis, de intellectionibus, de præexſiſtentia animarum, de reminiſcentia, de innatis notionibus, ſunt admixta, ut ſeparari vix queant.

In theologia Naturali, quæ illius Philoſophiæ ſcopus eſt, vix aliquid, quod ſit ex uſu, ſcripſit. Nam creationem ex nihilo negavit. Deum, & Materiam, duo principia æterna, quorum alterum ab altero non dependeat, exſtare dixit. Naturam Dei tam obſcure adumbravit, ut veriſimilius videatur, Deum feciſſe corporeum. De ideis æternis a Deo ſeparatis, de anima mundi, de trinitate quadam, de Diis, dæmonibus, miras fabulas cogitavit, & ſcripſit.

In Phyſica de ortu mundi ita loquitur, vix ut percipi poſſit. Ubi de anno magno, de Diis animantium conditoribus, magnas nugas ſcribit: nihil boni præterea. De anima vero incredibilia cogitat: eamque ex materia componit, & ex Deo ducit per quoſdam gradus emanationis. Ex materia originem deducit mali moralis. Plurima de animis per ſidera ſparſis fabulatur. De fabricatione hominis pauca quædam bona plurimis falſis adjuncta conſcripſit. Hæc Phyſica.

Mathematicas diſciplinas extollit: non quatenus Phyſicæ doctrinæ opitulantur, ſed quatenus animum ad notiones abſtractas, & rerum eſſentias contemplandas parant, & excitant: quod eſt ignorare uſum Mathematicarum. Sapientius loquitur de Ethica, & Politica: in quibus tamen plurima de republica illa ſua ſcribit falſa, nugatoria, & quæ vix in puero ferri poſſent.

Hæc

Hæc philoſophiæ Platonis adumbratio eſt. [1] Ex his autem fit notum, Platonem etiam in ſingulis ſententiis, ut diſputandi rationem & methodum in præſentia omittam, ea dixiſſe, quæ ferri non poſſunt: quæque nec lumen ullum adferunt bonæ Philoſophiæ, nec ullius uſus ſunt. Quidquid dicant Platonis amatores, Picus, Ficinus, immo interdum Cudvvorthus: qui cum animadverterent a Veteribus Platonem magnopere laudari, exiſtimarunt, ſub illis verborum involucris incredibilem eruditionem latere.

II. Alter philoſophorum Veterum coryphæus eſt *Ariſtoteles* Stagirites, Platonis auditor, qui & a Veteribus fuit laudatus, & a Recentioribus, præſertim a ſæculo Chriſti XII. uſque ad XVI. præ ceteris Philoſophis in honore habitus. Gloriam hic Platonis quodammodo obſcuraſſe videtur, adeo ad eum interpretandum certatim plura ſæcula concurrerunt. Neque vero hic nos in illius vita deſcribenda tempus conſumemus, cum id & a viris doctis fuerit factum,[2] & a propoſito noſtro ſit alienum: ſed de philoſophandi ratione dicemus.

Jam primo libro docuimus, Ariſtotelem ſcripſiſſe de Rethorica, Poetica, Logica, Phyſica, Metaphyſica, Ethica, Politica. Ac de Rhetorica quidem, & Poetica in præſentia non diſputamus: ſufficit monere, in utraque magnum ingenium, ingentem eruditionem, & peracre judicium oſtendiſſe. Quod ſi in reliquis diſciplinis eodem

[1] *Qui plura cupit de Platone, legat, præter auctores adductos, Stanlejum* Hiſt. Philoſ. Tom. I. p. m. 670. ſeqq.

[2] *Præter ceteros illius vitam ſcripſit Andreas Schottus Jeſuita* Vita Ariſtotelis, ac Demoſthenis: Aug. 1603. 4. *Patricius in* Diſcuſſionibus Peripateticis Tom. I.

eodem modo ſe haberet, parum fortaſſe in iis deſideraremus. De quatuor igitur ultimis ſermo eſt potiſſimum.

Magno ingenio pollebat Ariſtoteles, & acumine incredibili: quibus cum adjungeret vaſtiſſimam lectionem, & maximam diligentiam, erat enim helluo librorum; doctiſſimus brevi tempore evaſit. Cumque doctrinam ſuam etiam ad aulæ ritum conformaret, omnino erat aptus qui res magnas aggrederetur, & politiſſima atque ex omni parte utilia ſcripta nobis relinqueret. Effecerit, an non, non ex Peripateticorum judicio, qui plerumque hæc non expendunt; ſed ex præceptoris ſcriptis dijudicandum eſt.

Ergo Ariſtoteles, non ſecus ac Plato, deſiderio ductus novam ſectam condendi, quæ ab ſe nomen haberet, in hoc ſcopo cogitationes ſuas omnes defixit. Cumque nollet ipſe mentem ſuám declarare, ne aliorum indignationem ſuſcitaret, de induſtria ſuas opiniones occultavit. Hæc illi cum Platone communia ſunt vitia. Unum ei peculiare: quod non poeticam dictionem, & inſolita vocabula adhibeat, ſed maxime purum & planum ſermonem. Tamen in tanta dicendi elegantia obſcuriſſimus eſt. Cauſſæ hæ ſunt.

1. Philoſophorum opiniones ita exponit, non indicatis fontibus, ex quibus hauſit, ut an de ſua, an vero de aliorum ſententia loquatur, conſtitui non poſſit. 2. Metaphyſicis, & abſtractis notionibus omnes Philoſophiæ partes referſit, præſertim Naturalem, & Moralem. Adeoque res ſatis claras tali diſputandi ratione obſcurat. 3. Interdum vero, quod non habeat claram ideam rerum, quæ ipſis notionibus reſpondent; utitur notionibus vagis, quæ rem faciunt obſcuriorem. 4. Probationes plerumque brevitatis cauſſa non adhibet, vel alio loco ponit, quam deberet. 5. Quædam ex Mathematica ad Naturalem diſciplinam adducit, quæ non niſi ab homine talibus ſtudiis contrito intelligi poſſunt. 6. Exempla vel plane non

non adfert, vel obſcura adfert, ut mentem ſuam aperiat. 7. Occurrunt etiam plura ſibi repugnantia, quæ caliginem ſcriptis offundunt. 8. Definitiones nominum plerumque non adhibet: cumque res diverſas eadem voce ſæpe deſignet, ſæpe differentibus vocabulis eandem rem nominet, obſcurus fiat neceſſe eſt. 9. His accedit ſtricta dictio, & breves propoſitiones, & abruptus ſermo, & peculiaris ſyntaxis vocum a communi longe diverſa: quæ hujuſmodi ſunt, ut nec lectorem commode legere ſinant, nec plane adſequi mentem ſcribentis. Hæc ab ipſo Ariſtotele incommoda profecta ſunt.

Alia autem eaque graviſſima ab aliorum vel inperitia, vel negligentia ſunt orta, de quibus primo libro commemoravimus. Nam cum vermibus, & humore autographa fuerint corroſa, & inperitæ manus multa ex ingenio & conjectura ſuppleverint, atque librarii indocti pleraque peſſime exſcripſerint; tum etiam librorum ordo, & nexus ſyſtematis fuerit perturbatus & mutatus; ſperandum non eſt fore ut intelligamus, qualis fuerit Ariſtotelis germana ſententia.

Ad hæc cum de pleriſque, quæ exſtant, ſcriptis dubitatum fuerit, eſſent Ariſtotelis, an ſecus; nemo ſapiens adfirmaverit, ſibi eſſe exploratum, quid ſit Ariſtotelicum, quid aliorum. Ut mittam interpretes, qui Philoſophum in contrarias partes trahunt, & cogitata ſua pro Ariſtotelis ſententiis interdum proponunt.

Quod ſi partes Philoſophiæ ſingulas minutatim conſideramus, facile dignoſcemus, quam multis, quamque inſignibus nævis inquinentur. Et de Logica proximo libro jam diximus. Agnovit ille quidem, finem Logicæ eſſe *veriſimile* ſeu probabile, & *verum* ſeu certum inveſtigare, uti demonſtravimus. Id tamen, quod advertit, non præſtitit. Nam de veritate probabili conſequenda nihil dixit. De certa ſeu demonſtrativa tam obſcure locu-

tus fuit, ut qui veram demonſtrandi viam ignorare velit, nihil aliud, quam *Analyticorum Poſteriorum* libros, legere debeat. Quod illi dubium non erit, qui prædictos libros cum iis, quæ nos ex Recentiorum diſciplina in Logica tradidimus, comparaverit.

In Phyſica vero cum novum ſyſtema differens ab aliis componere vellet; ipſi vero non ſuccurrerent meliora; novitatem non in rebus, ſed in verbis poſuit incertis, & omni ſenſu vacuis; quibus replevit Philoſophiam. Itaque aliorum Philoſophorum ſententias ita plerumque exponit, ut penitus depravet, quo facilius queat reprehendere. Eas vero antepoſuit, quæ non modo inveriſimiles, ſed ne intelligibiles quidem ſunt. Quod ex libris VIII. *Phyſicorum*, & de *Anima*, & contra *Zenonem, Xenophanem, Gorgiam*, perſpicue deducitur.

Hinc illa ſua *materia*, & *forma* fluxere: quæ vocabula, etſi aliquid novum præ ſe ferre videantur, tamen nihil reapſe ponunt, ſed ſunt vocabula abſtracta, quæ ſingulis opinionibus, Anaxagoræ, Eleaticorum, Leucippi, Thaletis, Empedoclis, Pythagoreorum, Platonis applicari poſſunt. Reapſe autem eamdem ipſe materiam cum Pythagora, & Platone admittit. [1] Eodem modo cetera, quæ ad Phyſicam pertinent, generalibus verbis, & notionibus exponuntur, quæ nihil explicant: ubi falſa plurima manifeſto inculcat. [2]

Metaphyſicæ autem hanc metam poſuit, naturam rerum ſpiritualium præſertim Dei explanare: ad quod efficiendum per multa de ente generatim, & aliis ideis generalibus prius diſputat. Hic vero ſi uſquam alibi tam obſcure loquitur, ut ipſi interpretes in graviſſimis argumentis, ut illud eſt de Dæmoniis, ceteris, quid ipſe ſibi velit,

---

[1] *Confer. Morhof.* Polyhiſt. Tom. II. L. 2. p. 1. c. 12.
[2] *Confer. Joann. Launojus* de Varia Fort. Ariſt. c. 1.

lit, conſtituere non audeant. [1] Nam Veterum opiniones ita exponit, & confutat, ut an de ſua, an de aliorum ſententia loquatur, definiri certo non poſſit.

Longum eſſet errores omnes, & inpia dogmata, quæ vel in Phyſica, vel Metaphyſica admiſit, enumerare. [2]. Nam & materiam primam fecit æternam, & divinis proprietatibus fruentem, & creationem ex nihilo negavit. Deinde talem nobis Dei imaginem adumbrat, quæ naturam Dei plane evertat. Nam ponit ille quidem Deum primum motorem inmobilem: ſed adfixum primæ ſphæræ, & ſuæ contemplationi unice intentum, ſine ulla cura reliquarum ſphærarum, inprovidum, & inutilem Deum. Inferiores ſphæras ab intelligentiis moveri putat neceſſario, quæ cum primo motore conjunguntur neceſſaria quadam emanatione & influxu: nullos eſſe dæmonas præterea. Itaque nec Deus, ex illius ſententia, mundum condidit: nec illius procurationem habet: nec ſphæram ſuam libere movet: nec ulla hominibus beneficia dare poteſt, nec mala punire: nec gratia, nec ira moveri: adeoque nulla eſt cauſſa cur ab hominibus coli debeat. Ad hæc intelligentiam, quæ ultimæ ſphæræ præficiatur, unam mentem eſſe per omnes homines pertinentem, qui dicatur intellectus agens, adfirmat. Intellectum vero patientem, quæ peculiaris hominis ſit forma, putat eſſe mortalem. Quæ hujuſmodi ſunt, ut Ariſtotelem ab Atheiſmi flagigio, uti quibuſdam videtur, liberare vix poſſint. [3]

 Quare

[1] *Confer. Coquæus* ad Aug. de Civ. Dei L. II. c. 4. *Moshemius* ad Cudworthi Syſt. Intellect. c. 4. *Conringius*, Conringiana p. 127.

[2] *Confer. Launojus l. cit. & Patricius in* Diſcuſs. Perip. *qui errores illius percenſent.*

[3] *Confer. Walchius* de Atheiſmo Ariſtotelis in Parerg. Academ. p. 298. & *Reimmannus* Hiſt. Atheiſmi S. II. c. 27.

Quare vel ex Peripateticorum ſententia [1] qui in hanc partem nihi odio, nihil amori tribuiſſe veriſimile eſt, efficiunt viri docti, nullum aliud ſyſtema Phyſicum occurrere, quod religioni a Deo traditæ magis adverſetur, quam illud eſt Ariſtotelis: quod iidem Philoſophi plurimis argumentis conficiunt. [2]

Eadem flagitia in Ethica ſe offerunt. Nam tametſi in libris ad *Nicomachum*, & *Magnorum moralium*, & *Virtutum*, quædam non inepta dixerit, multo plura tamen noxia in iis occurrunt. Nam cum fontes honeſti ignoraret, & facultates animi humani penitus non cognoſceret; omnia Metaphyſicis notionibus & falſis expedivit, & præclaram Ethicæ diſciplinam deturpavit. Cumque in aula regia educatus eſſet, eam viam ſtravit, quæ hominem ad Politicam felicitatem conducat, & doceat omnia ad Principis mores adtemperare. De formando vero honeſto & probo viro, aut rara, aut nulla præcepta tradidit. In *Politicis* vero, & *Oeconomicis* multa utilia ſcripſit: ſed quæ magis Græcorum moribus, quam noſtris, accommodata videantur.

Concludamus igitur, Ariſtotelis philoſophiam aliquo in pretio haberi poſſe, ſed multo minori, quam plerique interpretes perſuadere conantur. Quædam utilia reliquit de Logica. De Phyſica bene ſcripſit, dum hiſtoriam animalium

---

[1] *Hermannus Conringius loco citato: Confer. Launojus, & Patricius locis citatis.*

[2] *Poſſevinus, etiamſi nullum non lapidem moveat, ut Ariſtotelem contra Cani ratiocinationes defendat; tamen plane fatetur, ab Ariſtotele ſpoliari Deum libertate in agendo, facultate creandi ex nihilo, & providentia. Tum ait, dixiſſe eum, materiam eſſe æternam.* Bibliotheca Selecta L. XII. Tr. 3. c. 6.

malium perſequitur. De Metaphyſica nihil. Ex Ethica vero parum, quod uſum habeat, excerpi poteſt. [1]

Tertius eſt *Epicurus* Athenienſis, de quo hoc loco dicturi ſumus: & primo quidem de vitæ diſciplina, deinde de Philoſophia: nam altera ab altera inluſtratur. Jam primo libro [2] in Epicuri hiſtoria poſuimus, quod cum nollet ipſe Stoicorum, Platonicorum, Pythagoreorum, Ariſtotelicorum infirmis hypotheſibus, & canoris nugis Sophiſtarum tempus conſumere; clariorem philoſophandi viam quæſiverit, partim ex Jonicorum, partim ex Democriti, ac Metrodori ſcriptis; ut Græcos ab tali morbo liberaret, & indicaret viam, quæ ad aliquam duceret felicitatem.

Ita-

[1] „ *Errant & peccant, qui cum Ariſtotelem prælegendum ſibi ſumunt, ea præfantur, quibus teneri adoleſcentium animi majorem de Ariſtotele exiſtimationem, quam de ipſa Chriſtiana & vera philoſophia, concipiunt .... potius illud eſt præfandum, quod ipſemet* [Ariſtoteles] *tantus demonſtrationum flagitator dixit in Prima philoſophia, aciem mentis noſtræ ad manifeſtiſſima naturæ, non ſecus quam noctuæ oculum ad ſolis lumen, caligare. Deinde demonſtrandum* [*id quod etiam tritum eſt apud omnes Ariſtotelicos*] *nullam eſſe in Ariſtotelis libris ſcientificam demonſtrationem, quæ perfectiſſima ſit, & omnibus numeris abſoluta: itaque non eſſe ejus doctrinam inconcuſſam.* Poſſevinus Jeſuita, Bibliotheca Selecta L. XII. c. 9. *Idem c.* 10. *exemplis conficit, Ariſtotelem in quibuſdam erraſſe: & c.* 12. *ait, Ariſtot. ſi in ſuam ætatem, ſæculum nempe* XVI., *incideret, alia ratione fore ſcripturum. Quid dicturus eſſet doctus ille Jeſuita, ſi philoſophandi rationem, quæ hac ætate eſt in uſu, animo percepiſſet!*

[2] *Cap.* 4.

Itaque ſcholam ipſe ſuam aliorum ſcholis oppoſuit: præſertim Zenonis diſciplinæ, quæ eodem tempore primas ferebat. [1] Cumque Zeno ſubtriſtis eſſet, & difficilis naturæ, & invidus, & qui humano generi perſona gravitatis, ac exquiſitæ Philoſophiæ nomine inponere cupiebat: contra vero Epicurus hilaris, humanus, & qui plane amabat philoſophari, atque fructum aliquem ex Philoſophia capere cupiebat; tanto in eum odio exarſit Zeno, ceterique Stoici, ut eum inhumane prorſus conciderint: illius verba in deteriorem ſenſum detorſerint: plurimam fallaciam addiderint, ut homini incredibilem invidiam conflarent. Quibus cum viciſſim Epicurus fortiter reſiſteret, Sophiſtarumque fallacias detegeret, ineptiaſque & perſonam virtutis, quibus vitia nimis multa tegebant, omnium oculis exponeret; inplacabile diſſidium inter utroſque exarſit, magno cum nominis Epicuri damno.

Hinc Diotimus Stoicus L. epiſtolas laſcivas, quaſi ab Epicuro conſcriptas, edidit: cui junxit alias a Chryſippo exaratas, quæ Epicuri nomine ferebantur. [2] Et quamquam Zeno Sidonius Diotimum in jus vocaſſet, & calumniæ conviciſſet, iſteque pœnas fraudis capite dediſſet; [3] tamen calumnia propagata eſt, & per omnem Græciam, & Italiam, & univerſum pæne orbem diffuſa, ab iis præſertim Philoſophis, quorum intererat Epicuri famam & gloriam minuere. Guloſus, libidinoſus, inpius, palam prædicatus fuit. Quibus ex fontibus cum hauſiſſent Veteres, mirandum non eſt, hanc perſuaſionem invete-

[1] *Syſtema Epicuri directe repugnare ſyſtemati Zenonis, ei, qui alium cum alio conferat, erit apertum: quod ſecundum Gaſſendum, & alios monet Bruckerus* de Secta Epicurea. p. 1253.

[2] *Laert. L.X. ſ.* 3.

[3] *Athenæus L.* XIII. *p.* 611.

veteraviſſe uſque ad renatas litteras: qua ætate viri in hiſtoria Veteri valde exercitati Epicurum ab hac labe liberarunt. [1]

Id certum ex Veteribus eſt, ne ipſis quidem exceptis, qui parum eidem favebant; Epicurum ſobrie & temperanter vixiſſe, polenta, & aqua contentum. [2] Natura ſua ab amore feminarum abhorruiſſe, qua de cauſſa cælibem vitam egit, quo quietius vacaret Philoſophiæ: id quod diſcipuli illius docuerunt. [3] Præterea continuiſſe ſe ab omni amore inpuro: [4] immo ne potuiſſe quidem aliter, ob infirmitatem valitudinis. [5] Tum Deos poſuiſſe, quorum natura ob præſtantiam ſuam coli debeat. [6] Poſtremo ſcripſiſſe libros de *ſanctitate*, & *pietate* adverſus Deos. [7]

At negavit creationem, & procurationem mundi. Fateor: ſed hæc illi cum Ariſtotele communia ſunt, qui pejora dixit: nec unus debuit Epicurus ea de cauſſa ad invidiam adduci. Addo quod cum Anaxagoram, Socratem, Ariſtotelem, Theodorum, Diagoram, Athenienſes viri ſuperſtitioſi, inpietatis poſtulaſſent, & damnaſſent; nuſquam legimus in Epicurum aliquid molitos fuiſſe: tametſi Epicurus ab Stoicis ſæpiſſime accuſatus, quod Deorum numen tolleret, coactus fuerit ſemel & iterum apologiam ſuam contexere.

Quod

[1] *Bonciarius*, *Andreas Arnaldus*, *Gaſſendus*.

[2] *Confer. graviſſimus Stoicus Seneca* Epiſt: 21. & 18. *Laert. L. X. ſ.* 11.

[3] *Laert. ibid. ſ.* 119. *& ibi Caſaubon. Theodoret.* Serm. XIIII. [4] *Chryſippus apud Stobæum*.

[5] *Exſtitit liber a Metrodoro ſcriptus* de Infirmitate Epicuri. *Conf. Laert. L. X. ſ.* 24.

[6] *Seneca de* Benef. L. IIII. c. 19. [7] *Cicero & ipſe infenſus Epicuro*, de Natur. Deor. L. I. c. 41.

Quod vero feminas non pudicas inter auditores habuerit, id quidem exemplo Socratis, & Platonis, ceterorumque Græcorum fecit: ad quorum ſcholas frequenter hæ mulieres accedebant, ut litteris vacarent: [1] quin ea de cauſſa Philoſophi illi graviſſimi in aliquam reprehenſionem inciderent. Quæ, ut reliqua non adeſſent, evidenter conficiunt, ea, quæ de Epicuro atrocia prædicantur, calumnias eſſe Stoicorum, & Academicorum, ac Sophiſtarum, quorum intererat Epicurum opprimere, ne ipſi regnum, quod uſurpaverant, amitterent.

Venio ad Philoſophiam. Agnovit Epicurus, Philoſophiam eſſe rectæ rationis uſum, qui vitam beatam pariat. Hinc Ethicam præcipuam Philoſophiæ partem fecit. Deinde Phyſicam, propteraquod ea talia principia ſuppeditat, ex quibus Ethica inluſtrari poteſt. Quo vero utramque facilius conſequamur, aliqua præparatio neceſſaria eſt; quam ipſe vocat *Canonicam*, ſeu Logicam.

Primus itaque e *Syſtematicis* philoſophis Epicurus eum ſermonem adhibuit, qui ab omnibus poſſet intelligi: Quod eo conſilio fecit, ut adoleſcentes morbo illo, Academicis, & Stoicis hereditario, curaret, utendi vocibus, quæ nihil ſignificant. Hinc in Logica adornanda ea præcepta tradit, de criterio veritatis, & uſu vocum; quæ non ſolum ad finem, quem ſibi poſuit, idonea erant; ſed etiam noſtra ætate, ſi pauca demas, aut mutes de anticipationibus, ceteriſque, a præſtantiſſimis Philoſophis recepta ſunt: propterea quia & ſummo judicio excogitata, & ad verum inveſtigandum utilia, & accommodata judicantur. Qua quidem laude Epicurus Græcos philoſophos ſuperare videtur.

Hiſce canonibus paratus, ad Phyſicam animum adjunxit: atque depoſito omni præjudicio & anticipatione, ex

[1] *Confer. Menagius*, in Hiſt. Mulier. Philoſoph.

ex iis, quæ ſenſibus comparantur, ſyſtema ſuum compoſuit. Itaque putavit, omnia, quæ in mundo ſunt, ex atomis diverſæ figuræ conſtare: quæ cum per inmenſum inane moverentur, concurſu fortuito colligatæ ſunt hac & illa ratione, ex quibus hæ rerum ſpecies & figuræ naſcuntur. Vidit enim Epicurus, ſine inani motum nullum fieri poſſe, adeoque inane ſyſtemati ſuo adjunxit.

Plurima quidem falſa, pernicioſa, & quæ ne ſine horrore quidem audiri poſſunt, adſeveravit Epicurus: e. g. Cum negat aliquid ex nihilo fieri, adeoque materiam ponit æternam. Cum tollit Dei providentiam a mundo, & omnia concurſu fortuito facta eſſe ait. Cum Deos in ſpatiis intermundanis concludit, eoſque privat adtributis divinitatis. Cum mentem facit corpoream: nihil enim præter atomos, & inane admiſit: & hujuſmodi alia, quæ in ſyſtemate cum Phyſico, tum Theologico occurrunt flagitia, quæ viam ſternunt plauſtralem ad inpietatem. Hæc tamen illi partim cum aliis Philoſophis communia ſunt, qui alio & alio modo eadem deliria & inpia dogmata obtruſerunt: partim mutari poſſunt & emendari, quin omnis Phyſica pereat. Id certum eſt, Recentiores doctiſſimos [1] rejectis Epicuri flagitiis, corpuſculare ſyſtema ſecundum religionis noſtræ canones amplexatos eſſe: hujuſque Phyſicam, & Logicam, mutatis iis, quæ omnino mutari debent, poſt inſtauratas diſciplinas doctiſſimis Philoſophis placuiſſe. Quod in Epicuri laude ponendum eſt:

In Ethica vero Epicurus felicitatem hominis ponit voluptatem. Sed Philoſophi graviſſimi, veterumque ſectarum callentiſſimi oſtenderunt, [2] *voluptatem* Epicuro ni-

[1] *Præter ceteros Gaſſendus* in Syntagmate Phil. Epicur. *& ſæpe alibi*.

[2] *Idem Gaſſendus, cui addi poteſt Anonymus auctor* Mo-

nihil aliud eſſe, quam expertem eſſe perturbationis & doloris: id eſt, ſummam indolentiam corporis, & animi. [1] Non vero illam voluptatem, quæ in quadam titillatione ſenſuum [qualem ponebant Cyrenaici] præſertim venerea conſiſtit. Quod per ſummam injuriam Epicuro adfictum fuiſſe, contendunt iidem: idque tum ſyſtemati Epicuri, tum vitæ diſciplinæ repugnat.

Quod ſi hanc perſonam tollis ab ethica Epicuri, cetera plana erunt: tum ſine labore intelliges, Epicurum in Ethica plurima falſa, & omnino noxia conſcripſiſſe, quæ juri Naturæ, ac religioni noſtræ ſunt repugnantia, & quæ a viro Catholico ſtudioſe vitari debent, & profligari: quædam tamen addidiſſe, quæ commode cogitata videntur: tum multo clarius ſcripſiſſe, quam vel Plato, vel Ariſtoteles fecere. Itaque ſi Ethicam, & errores alios excipiamus, dicendum videtur, ex Gentilibus plus Epicurum profuiſſe Philoſophiæ, quam ceteros.

CAPUT II.

De inluſtrioribus Eccleſiæ Patribus, qui uſque ad VI. ſæculum floruerunt.

VEteres Epiſcopos, & Doctores, qui Philoſophiæ fama claruerunt, in duas veluti claſſes dividi debere, quarum altera eos comprehendat, qui ante ſectam Eclecticam; altera eos, qui poſt eam conditam

---

Morale d'Epicure avec des Reflexions. Pariſ. 1685. *Alios numerat Heumannus in* Act. Philoſoph. Vol. II. p. 645. ſeqq.

[1] *Laert. L.* X. *ſ.* 131.

tam [1] ſcripſerunt, monuere ante nos viri doctiſſimi. Et merito quidem: nam ex Eclecticæ ſectæ origine, quid nos de illorum Philoſophia judicare debeamus, manifeſtum fit.

Cum enim Veteres doctores, non illi modo, qui ab Ethnica religione ad Chriſtianam confugerant; ſed etiam illi, qui a prima ætate Chriſtianorum doctrina erant imbuti; ad ſcholas Gentilium confluerent, ut eorum ſyſtemata penitus cognoſcerent, & facilius refutare poſſent; plurimi autem Chriſtiani Gentilem philoſophiam docerent; fit conſequens, ex Ethnica philoſophia lumen eorum ſententiis adferri debere: nec de illorum ſcriptis niſi ad ſyſtema reſpiciendo, quod acceperant, oportere judicare. Quod qui non faciunt, quin album cum atro miſceant, & Patribus alienas ſententias adtribuant, fieri non poteſt.

Et hæc regula ſatis eſſe videbatur, ut de Patrum philoſophandi via judicium ferremus, ſi modo exploratum haberemus, qua ætate ſcripſerunt, & ex quo fonte hauſerunt placita ſua. Cum enim ſanctiſſimi homines ſibi perſuaderent, Græcos philoſophos, præſertim Platonem, ab Hebræis pleraque ſumſiſſe; ſi qua in illis occurrebant, quæ noſtris conſentanea viderentur, ad Chriſtiana dogmata reducebant, & Chriſtiano modo explicabant: tum demum Philoſophorum phraſibus, & dicendi via pleraque exponebant.

Hinc qui I. & II. a Chriſto ſæculo libros condiderunt, quo tempore Platonica philoſophia in plurimis mutata Alexandriæ vigebat, & cum Orientali, & Aegyptiaca pedetentim cœperat conjungi; ex illorum ſyſtemate plerumque philoſophantur: ex eoque plurima ad diſputan-

---

[1] *Libro I. c. 9. diximus, exortam fuiſſe Eclecticam ſectam initio ſæculi III.*

tandum in re Chriſtiana contra Gentiles deſumunt. Juſtinus Martyr [1] & Theophilus Antiochenus [2] & Athenagoras [3] Platonis philoſophandi viam interdum adhibent. Tatianus Orientalem philoſophiam prodit. [4] Eodem modo ceteri Philoſophiæ laude ea ætate præſtantes, qui ſi minus ſyſtema [Platonis ſyſtema iidem rejecerant, uti demonſtravimus] at ſententias Platonis aliquando declarandi myſterii alicujus gratia uſurpant. [5] Nihil ſecius confirmandi gratia unum & alterum producemus.

I. *Irenæus* epiſcopus Lugdunenſis, vir Sacris litteris, & philoſophia Græca perfecte eruditus, cum zelo Chriſtianæ doctrinæ defendendæ inflammatus eſſet, Hæreticorum opiniones infirmavit, quas ex Orientalis, & Aegyptiacæ, ac Platonicæ philoſophiæ placitis cum doctrina Chriſtianorum copulatis ſceleſtiſſimi Hæretici derivabant. Laudatur ea de cauſſa [6] quod plane errores expoſuerit: fonteſque, unde fluerent, indicaverit, quo facilius eos labefactaret. At quædam Platonica uſurpavit, in explicando myſterio Trinitatis, de angelis corporeis, de animo humano, cetera, ut expeditius occurreret adverſariis: [7] quæ in tanto viro ob conſuetudinem ætatis,

[1] Apolog. II. pro Chriſt. p. 50. 51.

[2] *Confer. ejus L. II. §.* 14. *&* *Petavium de* Trinit. L. I. c. 3. *§. 6.* [3] *Confer. ipſa* Apologia Athenagoræ.

[4] *Confer. Petav. loco citato. §. 5.*

[5] *Epiphan.* Hæreſ. 31. c. 33. *Hieron.* Epiſt. 83.

[6] *Maſſuet.* Diſſert. III. ad Irenæum, art. 9.

[7] „ *Ac mihi videntur illi, cum adverſus Gentiles* „ *doctos, & Philoſophiæ deditos pro Chriſtiana fide diſceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis perſuaderent, minus accurate, ac ſubtiliter illius intima & ar-*

tis, & ſcriptorum ſcopum excuſari poſſint. Quod ipſum fecit Cl. Maſſuetius, qui de Irenæi ſcriptis luculenter diſputavit. [1]

II. Jam *Clemens Alexandrinus* memorandus eſt: homo & Græca, & Barbara philoſophia mirifice excultus, quique ingenio, & eruditione reliquos ſui ſæculi antecelluit. Ex ſingulis ſectis excerpſiſſe Clementem plurima, quæ ad Chriſtiana decreta applicaret, ex ejus verbis perſpicuum eſt; illud etiam addentis, hac via ſperare ſe, ut Catechumeni ad religionem noſtram facilius ducerentur. [2] Verum hac methodo virum doctiſſimum quod ad modum explicandi interdum lapſum fuiſſe, & Veteres [3]

R & Re-

„ *& arcana commiſiſſe libris iſtis, quos emanare in vulgus* „ *cuperent: atque ad Platonis decreta, eamque, quam il-* „ *li combiberant, Theologiæ formulam, Chriſtianum iſtud* „ *conformaſſe myſterium*. Petavius *Dogm. Theol. Tom. II. Præf. c. 3. §. 3. Conf. Huetius* Origen. L. II. c. 2. q. 1. §. 14.

[1] „ *Omnium fere, quæ paullo incurioſius ab Sanctis* „ *illis Patribus de hoc myſterio interdum jacta ſunt, cauſ-* „ *ſa illa primaria videtur eſſe, quam dixi, quod cum Gen-* „ *tiles philoſophos alienos a Chriſtiana profeſſione concilia-* „ *re vellent, & probabilem iis cauſſam fidei noſtræ red-* „ *dere, ſalva dogmatis ipſius, ut loqui ſoleo, ſubſtantia;* „ *pleraque illorum more, inſtitutoque declararunt*. Petavius Præf. ibid. §. 6.

[2] „ *Varia ac multiplex doctrina & varie probat id,* „ *quod adducitur, & Catechumenis admirationem adfe-* „ *rens, ea, quæ ſunt præcipua, dogmata, ad eorum, qui* „ *audiunt, perſuaſionem, & ad veritatem conſtituit*: Stromat. L. I. p. 279.

[3] *Euſebius Cæſarienſis apud Fabricium* Biblioth. Græcæ Vol. V. p. 112. *Photius* Cod. CVIIII. p. 154.

& Recentiores oculati animadverterunt .[1] Ut illud erat de materia ex Deo genita: de idearum doctrina, quam Plato, ut ipſi videtur, accepit a Moſe: de λόγῳ logo imagine Patris, ut homo eſt imago verbi: de angelis propter incontinentiam ex cælo pulſis, cetera: quæ plane conficiunt, ex Academicis, & Stoicis placitis Clementem quædam myſteria Catechumenorum gratia adornaſſe & expoſuiſſe. [2]

Et de Patribus, qui ante ſectam Eclecticam floruerunt, hucuſque. Hi enim, uti diximus, ex Eclectica diſciplina [hæc Alexandriæ jam nata erat, eaque Patres ſapientius, quam ceteri, utebantur] id eſt, ex Philoſophorum ſententiis, præſertim Platonicorum, Stoicorum, & Orientalium, aliqua Chriſti placita inluſtrare & confirmare conati ſunt.

Laudantur quidem doctiſſimi, ac ſanctiſſimi homines ob religionis Chriſtianæ propagandæ ſtudium, ob labores hac de cauſſa ſuſceptos, ob librorum copiam, qui undique & eruditionem vaſtiſſimam, & ſanctimoniam redolent. At, quod pace beatiſſimorum virorum dictum ſit, in aliquibus argumentis non eam Philoſophiæ peritiam oſtenderunt, quam ipſi, ſi vellent, oſtendere poterant, propterea quod in Philoſophia ad plenum erant eruditi. Nam primum ex Gentilium placitis diſputantes, eoſdem ad religionem Chriſtianam dextere detorquebant. Quæ etſi per opportune & ſapienter erant excogitata, tamen firmior eſſet ratiocinatio, ſi ex noſtris principiis duceretur,

---

[1] *Huetius* Origenian. L. II. c. 1. q. 4.

[2] „ *Clemens Alexandrinus* . . . *Chriſtianum dogma* „ *de Verbo Dei, ac Filio, Platonis ad mentem accommo-* „ *dare ſtatuit, ſine erroris plerumque ſuſpicione*. Petavius *de Trinit. L. I. c. 4. §. 1. Conferri poſſunt Caveus* Hiſt. Litter. & *Baltus* Defenſ. Patrum, *qui eum defendunt.*

tur, ut alii Patres fecerunt. [1] Deinde ea, quæ non niſi divina locutione conſtant, ad Platonis ſententias interdum revocare non dubitabant: e. g. cum trinitatem Platonicam ex noſtris principiis inluſtrabant, quo facilius inlicerent Gentiles. Quæ diſputandi ratio fines humanæ rationis, & divini ſermonis accurate non ſejungit.

Hæc non nulli: nam alii dextere, & accurate cum Gentilibus diſceptando contenderunt, eorumque errores ſolide & nervoſe labefactarunt. Sunt tamen ſanctiſſimi illi ac eruditiſſimi homines excuſandi multis de cauſſis: [2] primum, quod bona fide egerunt: deinde, quod id cum pretio factitarunt: poſtremo, quod de religione Chriſtiana præclare meriti ſunt. Quare vel hac de cauſſa eorum memoriam ſancte colere, & ſummis laudibus efferre debemus.

Venio ad eos, qui ineunte III. ſæculo, id eſt, poſt conditam ab Ammonio Eclecticam ſectam ſcripſere. De quibus, quid nos judicare debeamus, tum ex iis, quæ paullo ante, tum quæ primo libro diſputavimus, [3] colligitur. Tamen ne ſine ullo exemplo decedamus, aliquem adducemus celebriorem.

III. Eorum, qui hoc ſæculo Philoſophiæ eruditione cla-

---

[1] „ *Minus ſæpe rectam uſurparunt Eccleſiæ patres* „ *differendi methodum: ex pluribus etiam, quibus uti* „ *poterant, argumentis minus valida, minuſve apta quan-* „ *doque adhibuerunt. Quid tum? nimirum omnium hac in* „ *re mortalium ſortem ſubiere, qui falluntur nonnum-* „ *quam.... Ipſa quoque SS. PP. critice non omni mendo* „ *caret: immo pleriſque Veteribus parum omnino perſpe-* „ *cta fuit hæc ſcientia*. Bonaventura Argonenſis Chartuſianus *de Optima Legend. Patr. Methodo. P. I. c. 7. p. m. 44.*

[2] *Vide Petavium in præfat. & L. I. locis citatis.*

[3] *Cap.* VII.

clari habiti ſunt, præter ceteros memoratur *Origenes Adamantius*, Clementis Alexandrini primum, deinde Ammonii Saccæ Apoſtatæ diſcipulus: vir ſollerti ingenio, ſumma eloquentia, & multa ac recondita doctrina inſtructus: qui tanta eruditionis fama docuit Alexandriæ, quanta nullus e Græcis doctoribus alius: adeo ut ad eum non modo Chriſtiani, ſed etiam Hæretici, & Gentiles, & feminæ eruditæ quædam audiendum concurrebant. [1] Cumque a Clemente didiciſſet diſciplinam dogmata Philoſophorum aliqua ad uſus Catholicos revocandi; ab Ammonio vero rationem hauſiſſet non modo ſæculares doctrinas, verum etiam religioſa dogmata conjungendi, quam *ſyncretiſmum* vocant; eamdem tanta animi contentione perſecutus eſt, quantam verbis declarare vix poſſumus.

Profecto cum eſſet Origenes innutritus Aegyptiaca philoſophia, quæ & majorum traditiones, & Deorum ſuorum hiſtorias ad notiones Philoſophicas reducebat, omniaque allegorico modo interpretabatur; primus videtur eſſe, qui publice eamdem docendi viam in ſcholas Chriſtianorum invexerit, atque ſacra Chriſtianorum dogmata ad Platonicæ philoſophiæ, quæ Alexandriæ obtinebat, placita revocaverit. Ex quo fonte longa errorum ſeries manavit, quibus Origenis ſcripta, ceteroquin eruditiſſima, inquinantur. Quæ cum Recentiores [2] copioſe perſecuti ſint, prætereunda hoc tempore videntur.

IIII. Alter eſt *Euſebius Pamphili*, epiſcopus Cæſa-

---

[1] *Euſeb.* Hiſt. Ecleſ. L. VI. c.2. & 12. & 20.

[2] *Ex Catholicis Huetius* Origen. L. II. c. 11. q. 13. *Carolus de la Rue* Præf. Tom. I. Oper. Origenis. *Ex Hæreticis hoc etiam pertractant Clercius* Hiſt. Eccleſiaſt. Prol. Sect. I. c. 5. §. 8. & *Buddeus* Parerg. Hiſt. Theolog.

ſarienſis, vir peracris judicii, & ſelecta eruditione excultus. Hic cum religionem Chriſtianam ſtrenue defendere conaretur, duplex opus edidit, *Præparationem*, & *Demonſtrationem Evangelicam*: in quibus Gentilium philoſophorum, & theologorum abſurda, & repugnantias collegit, ut Philoſophorum audaciam confringeret, & præpararet animos ad fidei Chriſtianæ lumina recipienda: quod cum pretio effecit.

Itaque Euſebius, ut & ceteri doctores Chriſtiani ſæculo III. & IIII. omnia Philoſophiæ ſyſtemata rejecit, & Eclectico modo philoſophatus eſt. At cum ex communi opinione exiſtimaret, veritates omnes per traditionem, & λόγον *logon* ad Philoſophos perveniſſe, & per ſectas omnes ſparſas eſſe; Platonemque de Deo, rebuſque divinis quædam dixiſſe, quæ noſtræ religioni ſunt conſentanea; ex his fontibus infirma quædam ducit argumenta ad Gentiles conficiendos. Deinde cum non adverteret, quantum intereſt inter Platonicum ſyſtema, & Platonicorum Alexandrinorum, qui eumdem Platonem depravaverant; quantumque inter eos, & Chriſtianorum doctrinam interſit; plurima & diverſa miſcet, & Græcorum ſyſtemata confundit: eiſque talia tribuit, de quibus numquam cogitarunt. Quæ ipſi cum ceteris, qui Alexandrinorum placitis erant eruditi, ut *Didymus Alexandrinus*, *Chalcidius*, *Aeneas Gazæus*, *Zacharias Scholaſticus*, *Joannes Philoponus*, reliqui, qui V. & VI. ſæculo in Orientali eccleſia claruerunt, communia ſunt.

V. *Syneſius* vero Cyrenæus, Ptolemaidis epiſcopus, & is quidem eloquentiſſimus, & doctiſſimus, inito ſæculo V. eadem ratione philoſophatus eſt: niſi quod Platonico-Alexandrinum ſyſtema majori conatu defendit, & in ſuis *epiſtolis*, & *hymnis* expreſſit. Ex quo ſyſtemate, quod dicitur *emanativum*, conſpicui errores fluxerunt, ut *periodica* reverſio rerum omnium ad primum fontem:

negata corporum *reſurrectio* : cetera , quæ viri docti [1] non alia ratione defendunt , niſi dum adfirmant , *Syneſium* cum eſt factus Epiſcopus , errores prædictos deteſtatum eſſe : Id certum eſt, Syneſium aperte faſſum, [2] Platonica placita cum Chriſtianis dogmatibus convenire non poſſe : adeo vir oculatus Ethnicorum errores penitus cognoverat . Verum hic , & *Pſeudo Dionyſius Areopagita* ab Eclectica Patrum philoſophandi via ad Eclecticam , quæ in uſu erat apud Gentiles, haud obſcure digreſſi ſunt . [3]

VI. Sed etiam Chriſtiani doctores in Occidente ſæculo IIII. Sæculari philoſophiæ operam dederunt , quo facilius Gentilium errores profligarent , eoſque ad Chriſtianam religionem pertraherent . Numerantur in his *Arnobius* Afer , ex Philoſopho Chriſtianus , qui edita Apologia contra *Gentiles* , magnum ſibi nomen fecit in Eccleſia .

Sed virum doctiſſimum magis à Rhetorica arte , quam a Philoſophia , eſſe paratum , ei , qui ejus ſcripta legit , manifeſtum eſt . Primum omnium Philoſophiæ ſyſtemata non admittit , idque recte , ſed quædam ex Platone ſumit interdum . Deinde cum humanæ mentis imbecillitatem & tarditatem defendere velit , ut Gentilium inpudentiam confringat , ita rationem deprimit , ut ad Scepticorum caſtra tranſire videatur . [4] Præterea artem diſſerendi non uno tantum loco contemnere videtur . [5] Poſtremo ita diſputat , ut Oratorem , non Philoſophum , te audire exiſtimes ; qui Ethnicorum ſuperſti-

[1] *Photius* .

[2] *Confer. Syneſii* Epiſt. 105. p. 247. ad fratrem Theophilum .

[3] *Confer Petavium* de Trinit. L. I. c. 1. *§.6.*

[4] *Confer. illius L. I. c. 27.*

[5] *Conſule cap.* XXXVIIII.

ſtitionem Rhetorum phaleris, non perſpicuis & firmiſſimis rationibus, labefactare interdum conatur.

VII. Huic addimus diſcipulum *L. Cælium Lactantium Firmianum*, Rhetorem præſtantiſſimum, qui eam Latini ſermonis copiam & elegantiam, eamque eruditionem ad noſtra dogmata adtulit, ut merito ſuo Chriſtianus Cicero nominetur. Edidit Libros *de Ira Dei*, *Inſtitutionum Divinarum*, *de Opificio Dei*, cetera: in quibus quot errores & repugnantias Græcæ ſectæ in Philoſophia, & Naturali theologia admiſerint, dilucide exponit: & argumentis Philoſophicis conquiſitis Gentilium adoritur deliria.

Nullum philoſophiæ Græcæ ſyſtema amplexatur Lactantius: ſed cum ex diſciplina doctorum III. & IIII. ſæculi ſibi perſuaderet, Chriſtianas veritates per ſingulas ſectas ſparſas eſſe; omnia exploravit, eaque excerpſit, quæ accommodata videbantur ad religionem Chriſtianam confirmandam, & defendendam.

Verum cum vir doctiſſimus præjudiciorum expers non eſſet, quædam interdum addit, quæ nec Philoſophum decent, nec Chriſtianum. Nam primum ex libris ſuppoſiticiis argumenta ſua non uno loco deducit. [1] Deinde contendit, hominem ſine divina locutione nullum verum comparare poſſe. [2] Præterea ex hypotheſibus falſis ſumit non nulla argumenta. [3] Ad hæc ſe Phyſicæ diſciplinæ valde peritum non eſſe ſingulis paginis oſtendit. [4] Poſtremo Oratorio ſermone, ubi argumenta perſpicua erant neceſſaria, utitur frequenter. Præte-

[1] *Confer.* L. I. Inſt. Divin. c. 6.

[2] Inſt. Divin. init. pag. 4. & L. III. c. 2. 3. 16.

[3] *Confer.* Inſt. L. I. c. 5.

[4] *Confer. Joan. Juſtus Rav* Diatriba de Philoſoph. Lactantii. *Confer.* Journal des Savans 1734. Maii art. 4.

reo errores de animarum præexſiſtentia, de futuro mille annorum regno, de angelis, cetera, quæ viri docti copioſe perſequuntur.

VIII. Sed præter ceteros *B. Auguſtinus* epiſcopus Hipponenſis, IIII. ſæculo exeunte, & ſub initium V. maxima ingenii ubertate, & eruditionis copia ad philoſophandum acceſſit. Plurima vir beatiſſimus ſcripſit, quæ in argumento Theologico verſantur: ſed etiam quædam reliquit, in quibus Philoſophica ejus eruditio elucet: ut ſunt libri *Contra Academicos*, *de Inmortalitate Animæ*, *de Quantitate Animæ*, *de Duabus Animis*, cetera, ſed præſertim libri *de Civitate Dei*.

Auguſtinus primum Peripateticæ logicæ operam dedit, quam poſtea abjecit, propterea quod cognovit, ex *Categoriis* falſas ſe de Deo notiones accepiſſe. [1] Deinde Manichæorum placitis de duobus principiis Bono, & Malo imbutus eſt: [2] quæ ex Orientali philoſophia orta erant. Quorum deliria cum animadverteret, de veritate inquirenda deſperavit, & ad Academiam Mediam, & Scepticorum caſtra ſe contulit. [3] Sed lectis Platonicorum libris ex ſchola Plotiniana, ad Academiam Veterem tranſivit, quod ſibi perſuaſerit, videre ſe in Platonicorum ſcriptis multa doctrinæ Chriſti conſentanea, quæ eum ad incorpoream veritatem, & inviſibilia explorānda allicerent & incitarent. [4] Itaque ex Platonico-Alexandrinorum ſcriptis, quantum per Chriſtianam religionem

[1] *Aug.* Contra Academic. L. IIII. c. 16.

[2] Ibidem L. III. c. 6.

[3] „ *Sæpe mihi videbatur, non poſſe inveniri verum,* „ *magnique fluctus cogitationum mearum in Academicorum* „ *ſuffragium ferebantur*. Auguſt. *de Utilitate Credendi* c. 8. [4] *Aug.* Confeſſ. L. VII. c. 9. & 20.

ligionem licebat, perpetuo philoſophatus eſt. [1] Perſuaſerat enim ſibi vir eruditiſſimus, Platonicos Recentiores non ſolum in Logica [2] & Phyſica [3] & Ethica [4] ceteris præſtitiſſe; ſed etiam in theologia Naturali longe reliquos Philoſophos ſuperaſſe, [5] & Chriſtianæ fidei magis conſentanee locutos eſſe. [6] Ex quo conjectat, eos non modo ab Judæis pleraque accepiſſe, [7] verum etiam a divina providentia per λόγον *logon* internum. [8]

Quamquam vero Auguſtinus Platonicos tantum laudaverit, tamen numquam eorum ſyſtema, & doctrinarum nexum admiſit: quinimmo non ſemel hypocriſin, idololatriam, ſtultitiam, & hujuſmodi vitia iis exprobavit: & in

---

[1] „ *Nam ſi primo ſanctis tuis litteris informatus eſſem,* „ *& in earum familiaritate obdulciſſes mihi, & poſt in il-* „ *la volumina* [Platonicorum] *incidiſſem; fortaſſe aut* „ *abripuiſſent me a fundamento pietatis; aut ſi in adfectu,* „ *quem ſalubrem imbiberam, perſtitiſſem, putarem etiam* „ *ex illis libris eum poſſe concipi, ſi eos ſolos quiſquam di-* „ *diciſſet*. Aug. L. c. c. 20. *Confer. idem* Contra Academ. L. III. c. 38. & Retract. L. I. c. 5. *in quibus declarat, ex qua diſciplina ratiocinatur, nimirum ex* Platonico-Plotiniana.

[2] De Civitate Dei L. VIII. c. 7.

[3] *Ibidem c. 6.*

[4] *Ibidem c. 8.*

[5] *Ibidem c.* 1. *&* 4.

[6] „ *Quod de Deo ſummo & vero iſta ſenſerint: quod* „ *& rerum creatarum ſit effector, & lumen cognoſcenda-* „ *rum, & bonum agendarum: quod ab illo nobis ſit prin-* „ *cipium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ*. ibid. c. 9. [7] *Ibid. c.* 10.

[8] *Confer.* de Civit. D. L. II. c. 40.

[1] & in plurimis turpiter erraſſe eos oſtendit. Immo vero, quo erat judicio, & animi moderatione, diſertis verbis fatetur, ſe ſibi interdum diſplicuiſſe, quod homines inpios impenſius laudarit: [2]

Itaque Auguſtini philoſophia erat Eclectica, ſeu Platonico-Alexandrina; quantum per Chriſtianorum dogmata fieri poterat: nam plurimos errores defendiſſe Alexandrinos, nemini dubium eſt. Deinde ex Platonis diſciplina Logicam ſcripſit, quæ hodie deſideratur; uti primo libro demonſtravimus. Tum Veteri philoſophia prudentiſſime uſus eſt, præſertim in libris de *Civitate Dei*, ad Chriſtianam doctrinam defendendam, & inluſtrandam.

At cum nihil in hoc mundo omnibus ſuis partibus perfectum reperiri poſſit, aliqua vir eruditiſſimus in Philoſophia admiſit contra artis Ratiocinandi præcepta. Hæc ex triplici fonte, ut viris oculatis videtur, proficiſcuntur. 1. Quod per omnes ſectas vagatus, in Academica conquievit, uberrimo fonte contentionum, & abſtractarum idearum, quæ judicandi aciem interdum retundunt. 2. Quod ingenti eruditione, qua erat ornatus, mentem animi obruerit potius, quam acuerit: quod viris multi jugæ lectionis non ſemel uſu venit. 3. Quod ex communi ſententia ætatis extulerit utilitatem & uſum Pla-

---

[1] *Confer. Baltus Jeſuita* Defenſ. PP. qui de Platoniſmo accuſantur, *Gallice. L. IIII. p.* 488. *ſeqq. qui loca Auguſtini adfert.*

[2] „ *Laudem ipſam*, inquit, *qua Platonem, & Platonicos ſive Academicos philoſophos tantum extulerit, quantum inpios homines non oportuerit, non inmerito ſibi diſplicuiſſe, præſertim contra quorum errores magnos defendenda ſit Chriſtiana doctrina*. Aug. *Retractat. L. I. c.* 1.

Platonicæ diſciplinæ. Quæ quidem hujuſmodi ſunt, ut quin hominem, quantumvis peracris judicii, tranſverſum abripiant, fieri non poſſit. Sed hæc, mea quidem ſententia, quantus vir fuerit Auguſtinus, oſtendunt: & potius in Auguſtini laude, quam vituperatione, ponenda ſunt. Qui quidem etiamſi non nullis præjudiciis teneretur, tamen ſi quis alius ingenioſe, apte, ſapientiſſime ratiocinatus eſt: cujuſque tot exſtant, tamque ſingularia in litteras, & in Eccleſiam merita, ut inter magnos viros, quos eccleſia Catholica peperit, merito referendus ſit.

VIIII. Auguſtino adjungimus *Anicium Manlium Torquatum Severinum Boethium* Romanum, qui inito VI. ſæculo ingenii, & eruditionis præſtantia claruit. Dedit is operam Eclecticæ philoſophiæ ſub Proclo, qui maxima cum laude Athenis docebat. Ex quo illud ſuum ſtudium hauſit, Platonis, & Stoicorum ſententias cum Ariſtotelicis conjungendi: quod præſertim libro de *Conſolatione Philoſophiæ* præſtitit: in quo diverſarum ſectarum dogmata collegit, & veluti obtorto collo ad aliorum ſenſus pertraxit. [1]

Scripſit Boethius de *Unitate & Uno*, de *Muſica*, de *Arithmetica*, reliqua. Quædam Dialectica ex Ariſtotele, & Porphyrio Latina fecit: quædam vero a Mario Victorino converſa commentariis inluſtravit. Et quamquam Ariſtotelis amore adficeretur, tamen non eum ex Alexandri Aphrodiſienſis diſciplina [hæc ſtricte & preſſo pede Ariſtotelem ſequebatur] ſed ex Eclecticorum mente, qui eum depravaverant, interpretatus eſt, & cum Platone omnino in concordiam revocare eſt conatus. Ex quo conficitur, male Boethium ab aliquibus inter germanos Peripateticos numerari: cum ex præceptoribus, quos audi-

[1] *Confer.* Lib. III. & IIII. de Conſolat.

divit; & ex libris, quos ſcripſit; & ex ipſa philoſophandi ratione, quam præ ſe tulit, perſpicuum ſit, eum ad Eclecticos jure referri debere. [1] Adeoque quid de Boethii philoſophia judicare oporteat, lector oculatus nullo monente intelliget.

Et hi ſunt Doctores, qui uſque ad VI. ſæculum a Philoſophia nobiles habentur. Nam paullo poſt Philoſophiæ ſtudium extinctum eſt, ut jam ante demonſtravimus. [2] De horum vero Philoſophia cum eo loco dixerimus, in præſentia, ut brevitati conſulamus, omitto iterum dicere.

Caput III.

De Arabibus, & Scholaſticis celebrioribus.

GRæcos, & Latinos doctores philoſophi Arabes excipiunt, uti ſuo loco diximus. [3] Hæc gens tam multis abundat ſcriptoribus, qui Philoſophiæ, & Medicinæ, & Mathematicæ, pro more illius ævi, vacarunt, ut eos vel enumerare velle infinitum eſſet. Legatur ex Arabibus Leo Africanus, [4] ex Recenticribus vero Hottingerus, [5] qui ex ipſis Arabum monumentis catalogum clarorum hominum texit, qui apud Arabes ſeu Saracenos ſingulis Philoſophiæ partibus operam dederunt: nec id ſolum, ſed etiam Geometriæ, & Aſtronomiæ, & Aſtrologiæ, & aliis partibus non invita Minerva vacarunt. [6]

Lau-

[1] *Vide Holſtenium* Vita Porphyrii c. 1. p. 10.

[2] *L. I. c.* 11. [3] *L. I. c.* 11.

[4] De Viris Inluſtribus Arabum.

[5] Bibliotheca Orientalis, *præſertim c.* 2. *Confer. etiam Herbelotius* Bibliotheca Orientalis.

[6] *Confer. Voſſius* de Scient. Mathem. c. 35.

Laudantur inter alios *Alkendi Thabet Ebn Korra*, *Avicenna*, *Eſſachalli*, *Al Gazel*, *Thophail*, &, qui primus nominari debuit, *Aben Rois*, ſeu *Averroes*, qui & priorum gloriam ſuperavit, & ſectam de ſuo nomine reliquit: ex qua plurimi viri nobiles apud Saracenos exſtitere. De horum vero ſcriptis ſingulatim judicium ferre longum eſſet, & ſupervacaneum: primum, quod de philoſophia Saracenica, quæ neceſſaria erant, jam primo libro docuimus; deinde, quod eadem ſine ulla neceſſitate plurimis in locis repeteremus. Nam cum plerique omnes Saraceni Philoſophiæ ex ſententia Ariſtotelis, Medicinæ vero ex Galeni, interdum vero Hippocratis; atque etiam Mathematicæ operam dederint; quibus addebant plerique jus Canonicum, & Theologiam ſuam; qui unum noverit, omnes noverit. Iccirco de Averroeſio tantum dicemus.

Maximo ingenio præditum fuiſſe Averroeſium nemo dubitabit, qui librorum, quos ſcripſit, catalogum legerit: [1] cui cum acceſſerit incredibilis diſcendi ardor, & adſidua exercitatio, mirum non eſt eum in Rhetorica, Muſica, Logica, Phyſica, Ethica, Politica, Aſtronomica, Juriſprudentia, magnos progreſſus feciſſe: adeo ut Philoſophiæ nomine etiam apud Chriſtianos in pretio fuerit. Erant præterea in eo virtutes plurimæ: candor, modeſtia, patientia, humanitas, liberalitas, animi magnitudo, ſtudium in viros doctos, pietas in patriam, ceteræque virtutes Philoſopho dignæ: quæ demonſtrant, eum Philoſophiam non mera contemplatione finiviſſe, ſed ad uſum vitæ revocaſſe: nec ulli philoſopho Græco conceſſiſſe virtute.

Sunt tamen quæ in eo haud abſque ratione vituperari

[1] *Enumerat eos Nicolaus Anton.* Biblioth. Hiſp. Tom. II. p. 240.

ri poſſint. 1. Quod Ariſtoteli tanto furore operam dederit, ut ejus ſententias, quaſi divina oracula, ſumma veneratione admiſerit, prædicaverit, & Ariſtotelem errare non poſſe audacter contenderit. [1] 2. Quod linguæ & Græcæ, & Latinæ, & Philoſophicæ hiſtoriæ expers, verſionibus malis innixus, iiſque non ex Græco, ſed ex Syriaco factis, ad Ariſtotelem interpretandum animum adjunxerit: adeo ut Ariſtotelis mentem aliquando non ſit adſecutus. 3. Quod plurima, quæ Ariſtoteli ne per ſomnium quidem venerunt in mentem, tamquam Ariſtotelica venditarit lectori. 4. Quod philoſophorum Veterum ſententias, quas commemorat Ariſtoteles, turpiter depravaverit, miſcuerit: ut cum Anaxagoram, Democritum, Empedoclem entia Mathematica pro principiis naturalibus poſuiſſe putat: cum Empedoclem, & Democritum primos Phyſicos fuiſſe adfirmat: cum Pythagoreos ab Italicis ſecernit, & Anaxagoram jungit Italicis: cum Herculeorum ſectam quamdam fingit: cum numeros, & formas miſcet: & hujuſmodi ſexcenta. [2]

5. Præ-

[1] „ *Laudemus Deum, qui ſeparavit hunc virum* „ [Ariſtotelem] *ab aliis in perfectione, appropriavitque ei ultimam dignitatem humanam, quam non omnis* „ *homo poteſt in quacumque ætate attingere*. Averroes *L. I. de Gener. Anim.* Et alibi: „ *Ariſtotelis doctrina eſt* „ *ſumma veritas, quoniam ejus intellectus fuit finis intel-* „ *lectus humani: quare bene dicitur de illo, quod ipſe fuit* „ *creatus, & datus nobis a divina providentia, ut non* „ *ignoremus, poſſibilia ſciri*. Idem in *Deſtructorio L. I. diſſ.* 3.

[2] „ *At quam confidenter audet pronuntiare, hoc aut* „ *illud ab eis* [philoſophis Græcis] *dici; &, quod in-* „ *pudentius eſt, non dici: quum ſolos viderit Alexandrum,*

The-

5. Præterea Ariſtotelis errores omnes Metaphyſico-Theologicos, de æternitate Mundi, de intellectu univerſali, qui pars eſſentialis hominis non ſit; de anima hominis mortali, & hujuſmodi alia, vel ipſi Islamiticæ legi pugnantia, ſua fecit. 6. Totque commentis Ariſtotelem oneravit, ut ſi non primus, in primis fuerit qui ineptiſſimis commentariis, quæ poſt viguere, cauſſam dederunt. Itaque tantum abeſt ut Ariſtotelem recte interpretatus ſit, ut, quæ ad eum explanandum neceſſaria erant, ne fama acceperit quidem.

Quare merito miraremur, Averroeſium tanto in pretio apud aliquos fuiſſe, ut hoc dicere non dubitarint, eum ſolum *Interpretis* nomen mereri, & hoc magnifico titulo eum mactarint; niſi certo ſciremus, hujuſmodi laudatores melioris commatis non eſſe. Ex hoc autem Arabum coryphæo, quid de reliquis ſperandum ſit, judicatote.

De Scholaſticis.

Averroeſium, ut tempore, ita etiam doctrina proxime ſequuntur Scholaſtici, qui ſæculo XI. nati tandem

„ *Themiſtium, & Nicolaum Damaſcenum: & hos, ut apparet, verſos in Arabicum perverſiſſime, ac corruptiſſime. Ariſtotelem vero quomodo legit? non in ſua origine purum & integrum, non in lacunam Latinam derivatum, non enim potuit linguarum expers; ſed de Latino* [Syriaco] *in Arabicum tranſvaſatum. In qua confuſione ex Græcis bonis facta ſunt Latina non bona, ut ille dicit: ex Latinis vero malis Arabica peſſima*. Ludovic. Vives *de Cauſſis Corrupt. Art. L. V. p.* 167. *Ubi errores Averroeſii numerat & exagitat: quem legere erit pretium operæ.*

dem XIII. ſectam aliquam condiderunt, ut antea diximus: [1] ubi etiam tres Scholaſticæ ætates definivimus, & in ſingulis nominavimus Scholaſticos inluſtriores. Et quamquam ex ætate, qua ſcripſerunt, de eorum philoſophandi via judicare quis poſſit; tamen quædam ſunt perſtringenda, ut tirones de libris recte exiſtimare diſcant.

Ex iis vero, qui prima Scholaſticæ ætate clari habiti ſunt, jure meritoque nominandus eſt *B. Anſelmus Benedictinus*, Lantfranci auditor, Cantuarienſis epiſcopus, qui obiit anno CIↃCVIIII. Is plurima ſcripſit, quæ partim ad theologiam Naturalem, partim ad Revelatam pertinent, de qua alio loco. Præcipua ſcripta ſunt, *Monologium* ſeu ſoliloquium, & *Proslogium* ſeu allocutio: in quibus naturæ rationibus de Deo, & proprietatibus divinis diſputat: & utitur argumento deſumto ab idea entis, quo nihil majus excogitari poſſit, ut efficiat, *Deum eſſe*: quo poſtea Carteſius delectatus eſt. Eadem ratione diſputat contra *Inſipientem*, & libro *Cur Deus homo*, in quo adverſum Infideles Chriſtianam religionem defendit. Præterea ſcripſit Dialogum de *Grammatico*, ubi Dialecticas aliquas, & Metaphyſicas quæſtiones inſtituit, & diſſolvit.

In quatuor primis libris quanto acumine eſſet præditus, quam accurate res meditaretur, quanta Dialecticæ peritia valeret, plane oſtendit Anſelmus. Unum illud recentioribus doctoribus non omnino probatur, quod Dialecticis quæſtionibus nimium indulget: talibuſque notionibus argumentationes ſuas, ceteroquin perſpicuas, reddit obſcuriores. Verum hæc facile doctiſſimo homini condonari poterunt; ſi mente reputaverimus, eum XI. ſæculo ſcripſiſſe, e. g. contra *Inſipientem*, & *Roſcelinum*, qui Dia-

[1] *Libro I. c. 12. fine.*

Dialecticas tricas ex Stoicorum diſciplina ſumtas in compitis crepabant: ut alia ratione beatiſſimus vir ſcribere non potuerit.

Alter Scholaſticæ philoſophiæ conditor eſt *Petrus Abælardus* Gallus, qui ſub initium XII. ſæculi floruit. Adeo is acumine & memoria valuit, tamque in Dialectica inſignis exſtitit, ut præceptoris ſui gloriam obſcuraret, & cum Pariſiis, & alibi doceret, innumeri ad eum audiendum confluebant auditores acumine inlecti, & ſubtilitate diſputationum. Quos inter doctiſſimi, ut iis temporibus, Philoſophi numerantur, Petrus Pictavienſis, Petrus Lombardus, Joannes Sarisberienſis, Yvo Cardinalis, ceteri: qui a Dialectica, & Metaphyſica admodum prædicantur.

Ipſe autem cupiditate incenſus oſtentandi acumen & ingenium, omnes ad aciem evocabat: [1] tota enim illius ævi Philoſophia erat contentio, & acumen. Dum ſe intra Dialecticæ ſuæ cancellos continuit, laudem habuit Abælardus: at vero cum Dialecticas argutias & tricas ad dogmata Fidei applicavit, in graviſſimos errores lapſus eſt, ut plerique omnes, qui ea ætate Dialectica intemperantius uſi ſunt: de quibus alio loco commemoravimus.

[1] „ *Quoniam Dialecticarum rationum armaturam omnibus Philoſophiæ documentis prætuli, his armis alia commutavi, tropæis bellorum conflictus prætuli diſputationum. Proinde diverſas diſputando perambulans provincias, ubicumque bujus artis vigere ſtudium audiebam, Peripateticorum æmulator factus ſum. Perveni tamdem Pariſios, ubi jam maxime diſciplina hæc florere conſueverat, ad Guilelmum ſcilicet Campellenſem, præceptorem meum, in hoc tum magiſtro re & fama præcipuum.* Abælardus *Hiſt. Calamitat. ſuar. c.* 3.

mus. [1] Quare vel ab hoc præceptore, quid de ceterorum Philoſophia, qui ſæculo XII. nobiles prædicabantur, judicare oporteat, conjicere poteſtis. Duos excipio, Guilelmum de Conchis, & Joannem Sarisberienſem, qui & multo ceteris politius locuti ſunt; & in Morali, ac Naturali philoſophia operam poſuere; & non nihil etiam de Orientalibus linguis delibarunt. Verbo dicam, ſupra ætatis ſuæ homines ſapuerunt.

III. Medium circiter XIII. ſæculum clarus eſt habitus *Albertus Magnus* Germanus, qui diem ſuum obiit anno CIↃCCLXXX, cum annum ageret LXXXVII. [2] Is incredibili fecunditate ingenii, & multa lectione excultus, & ſcriptioni præter modum deditus, cum Ariſtotelem interpretandum ſibi ſumeret, ingentia in eum volumina ſcripſit; in quibus non modo Ariſtotelis libros Dialecticos, & Metaphyſicos, ſed etiam Ethicos, & Phyſicos exponit. Erat enim Albertus naturæ inveſtigationi maxime deditus: cumque Mathematicas artes, raro exemplo, cognoſceret; plurima & præclara de Metallorum natura, de Chemia, & ſimilibus ſcripſit, quæ fruſtra apud alios ejuſdem ætatis quæſiveris: ſi Michaelem Scotum, & Rogerum Baconum ab hac claſſe ſejungamus, qui non nihil temporis his ſtudiis dederunt. Ferunt, Albertum aliquot ante obitum annis omnia eſſe oblitum; ſed fabula eſt.

Quid vero de Philoſophica inveſtigatione Alberti judicandum ſit, vel ipſa voluminum multitudo, & moles declarat. [3] In Dialecticis quidem de more ſuæ ætatis ſub-

---

[1] *De iis mentionem fecimus. L. I. c.* 12.

[2] *Tritbemius in* Annalib. Hirſaugienſibus Tom. I. p. 610.

[3] *Exſtant Alberti opera omnia XXI. Tom. fol. edita Lugduni 1651. cura Petri Jammy.*

ſubtiliter diſputat: & diſtinctiones, abſtractiones, & hujuſmodi alia plerumque adhibet. Cumque eas ad Theologica dogmata explicanda applicaverit, vel ipſis æqualibus diſplicuit. [1] Ariſtotelem haud recte interpretatus eſt: erat enim Græce indoctus, ac hiſtoriæ Philoſophicæ inperitus; ſine quibus adjumentis fruſtra ad Ariſtotelem inluſtrandum accedas. Præterea nullo ordine nullo criterio ſcribit: ut omittam obſcuram, & inconcinnam dictionem: quæ erant illius ævi flagitia. Quod vero Ariſtotelem Pariſiis, poſtea quam P. M. ejus lectione Pariſienſibus interdixerat, explicavit, facile excuſari poteſt, ſi reputaverimus, Pontificis interdictum eo tempore, ob contrariam conſuetudinem, abrogatum fuiſſe: qua de cauſſa iterum, & tertio eodem ſæculo renovatum fuit. Eo magis, quod Albertus de hoc argumento plura Coloniæ lucubravit, ubi Pontificium interdictum non obtinebat.

IIII. Præceptoris famam longe ſuperavit eodem ſæculo *B. Thomas Aquinas*, vir ingenio, induſtria, eruditione, pietate magnus: qui vitam cum morte mutavit quinquagenarius anno CIↃCCLXXIIII. Hic cum ab Alberto M. Coloniæ Peripateticæ philoſophiæ guſtum accepiſſet, eumque Pariſiis confirmaſſet, tamdem Bononiæ, Piſis, Romæ Ariſtotelem eſt interpretatus, in eumque commentarios conſcripſit.

Varia de hac diſputandi ratione Aquinatis ſunt doctorum hominum judicia; quæ nos copioſe perſequi noluimus hoc loco: aliqua tamen tangemus, ut Hiſtorici munere fungamur. [2] Vitio ei dant, quod Græcæ linguæ

 igna-

[1] *Paullus Langius Monachus Cizenſis* in Chronico ad ann. 1258.

[2] *Launojus de* Fortun. Ariſt. c. x. *quædam contra Tho*

ignarus, atque ab arte Critica, & hiſtoria Philoſophica inparatus, Philoſophum difficilis intellectus explanandum ſumſerit. 2. Quod verſionibus ex Arabico infelici ſidere factis fidem habuerit. 3. Quod præceptorem, qui cæco impetu Ariſtotelem non illum quidem Græcum, ſed Saracenorum pigmentis ornatum, amplexatus erat, veſtigia proxime ſecutus fuerit: malueritque Ariſtotelis, & Averroeſii, quam ſuo multo meliori, judicio uti. 4. Quod eamdem philoſophandi viam in primis ad Theologiam detorſerit: ex quo non nulli poſtea Sacram ſcientiam inanibus quæſtionibus onerarunt.

Verum hæc tot tamque ingentibus virtutibus vir beatiſſimus redemit, ut qui ætatis illius diſciplinam perpendat, pro nihilo tales nævos reputet. Nam primum etſi illi linguarum peritia, & bonarum litterarum non contigit ſupellex; tamen id non hominis vitium fuit, ſed ætatis. Deinde diſtincte magis, & ordinate, & minus ineleganter magiſtro locutus eſt: quod ea ætate præcipuam habet laudem. Præterea in tanta Græci ſermonis ignoratione, quæ per id tempus dominabatur, hac induſtria uſus eſt, ut Ariſtotelem in Latinum accuratiſſime transferri curaret, vel a Thoma Cantipratenſi, vel alio: [1] quæ alia eſt atque illa, quam Fridericus II. imperator fieri mandaverat. Præterea etiamſi in eo explicando interdum ſcopum non adtigerit, tamen rarius id admiſit quam ceteri: tum acumine incredibili, & judicio peracri Ari-

Thomæ philoſophiam ex Academiæ Pariſienſis commentariis producit: quod etiam facit Bulæus Hiſt. Acad. Pariſ. Tom. III. *p.433. Contra Fr. Sylvius* Apolog. pro S. Thoma, *&* *Oudinus* de Script. Eccleſ. Tom. III. p. 365. *eum defendunt.*

[1] *Natalis Alexander* Hiſt. Eccleſ. ſæculi XIII. & XIIII. c. 4. art. 4.

Ariſtotelis mentem interdum adſecutus eſt, præſertim in Logica, & Metaphyſica: immo vero etiam Logicæ epitomam edidit præter ceteras elegantem. [1]

Ad hæc Saracenos adſidue ille quidem, at ſapienter legit. Nam ſcripſit librum *de unitate intellectus adverſus Averroiſtas*, ut planum faceret, Averroeſianorum ſectam, quæ per id tempus inveteraverat, multorum errorum eſſe parentem. Et quamquam curioſas aliquas quæſtiones, & non neceſſarias, pro ſæculi more aliquando diſputet, tamen cautius ceteris id fecit: atque Scholaſticos vetuſtiores, quo erat judicio & candore, cavillationis, inutilitatis, & obſcuritatis condemnavit. [2] Præterea *contra Gentes* non ille quidem argutiis Dialecticæ, ſed rationibus naturæ accurate diſceptat: in *ſecunda ſecundæ* parte doctrinam de *officiis* erga homines, & erga Deum, acute & ſolide pertractat.

Verbo dicam, quidquid in *B. Thoma Aquinate* ſe offert, quod doctis viris non placet, id quidem multo

---

[1] *Exſtat.* Opuſc. XXXXVII. p. 14.

[2] „ *Conſideravimus hujus doctrinæ* [Theologiæ] „ *novitios in his, quæ ab diverſis conſcripta ſunt, plurimum impediri. Partim quidem propter multiplicationem inutilium quæſtionum, articulorum, & argumentorum ... Hæc igitur & alia hujuſmodi evitare ſtudentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea, quæ ad Sacram doctrinam pertinent, breviter, & dilucide proſequi* „ B. Thomas Aquinas *Proleg. in Prim. Part. Summæ Theologicæ. Quod vero B. Thomas Geometria, & Mathematica eruditus fuerit, fuſe oſtendit doctiſſimus vir Joſephus Maria Thomas Tavella Dominicanus*, in Oratione de Laudibus B. Thomæ, ejuſque doctrina, edita anno 1738.

ſapientius ab eo, quam a ceteris ſuæ ætatis, præſtitum eſt: ut etiam ſi qua in ſcriptis ſuis non commode dicta occurrant, habeat excuſationem. Qui niſi tam anxie ſecutus eſſet veſtigia præceptoris; ſi ſuo, quam Arabum, judicio uti maluiſſet; ſi linguarum, & vetuſtatis peritiam adquiſiſſet; ſi in ea tempora incidiſſet, in quibus res Philoſophica ſummo judicio perpenditur; doctiſſimorum hominum ſummo conſenſu ſupra omnes Philoſophos prædicaretur. Unus enim *Thomas*, quo erat & judicio, & eruditione, bonarum artium amorem in tantis ignorantiæ tenebris ſuſcitare poterat, & ceteros ad meliora ſtudia revocare, ſi ad id animum adjungeret. Verum cum ſe ineptientis ſæculi præjudiciis opponere vel noluerit, vel juſtis de cauſſis veritus ſit; & ea ſæcula meliori Philoſophia, & nos tantæ eruditionis fructu privavit. Hæc ego, Adoleſcentes ornatiſſimi, de ſapientiſſimo homine vobis prædico, quem ſumma veneratione proſequor: vobiſque commendo, ut eum pro innumerabilibus ſuis in Litterariam rempublicam, ac in Eccleſiam meritis, debitis laudibus extollatis.

V. Eadem ætas peperit *Aegidium Columnam* Romanum, ex familia Auguſtiniana: qui doctore B. Thoma Pariſiis uſus eſt, & ibidem docuit: mortem obiit Avenione anno CIↃCCCXVI. Edidit is *Commentarium in Ariſtotelis libros de Anima*, quem inſcripſit Eduardo Angliæ regi, & alia opuſcula *Metaphyſica*. Atque ego ſupervacaneum puto judicium de illius ſcriptis facere: ſatis fuerit monere, eum in philoſophia Ariſtotelico-Saracena nulli concedere: ſeu, quod idem eſt, ſummo acumine ſubtiles quæſtiones ediſſeruiſſe in ſingulis Philoſophiæ partibus, præſertim in Phyſica perſcrutatione: ubi de materia, formis, privatione, tales tamque obſcuræ & intricatæ controverſiæ occurrunt, quæ difficulter poſſunt intelligi.

VI. *Joan-*

VI. *Joannes Duns* vulgo *Scotus*, Anglus [1] & fine XIII. & inito ſæculo XIIII. claruit. Ajunt, eum non modo Philoſophiæ, & Theologiæ, ſed etiam Juriſprudentiæ utrique, & Mathematicis diſciplinis tanto operæ pretio operam dediſſe, ut condiſcipulos omnes equis albis, ut ajunt, anteverterit. Sed nullum certum exſtat monumentum tantæ eruditionis: Immo vero qui ejus ſcripta anxie explorat, nec Juriſprudentiæ, nec Mathematicæ exquiſitæ indicium offendit; Docuit Oxonii, Pariſiis, & Coloniæ magno cum plauſu. Alii anno ætatis XXXIIII. alii XXXXIII. non nulli LXIII. obiiſſe dicunt: ſed de obitu incerta omnia. Scripſit multa Philoſophica in Ariſtotelem. [2]

Hominem fuiſſe uberrimo, & acutiſſimo ingenio præditum, & dignum qui in politiorem ætatem incideret, nemo non agnovit. Sed plurima obſuerunt, ne ſcripta omnibus numeris perfecta nobis relinqueret. Primum, quod eâ floruit ætate, quæ magis magiſque ferebatur ad inutiles controverſias. Deinde, quod cupiditate flagrans condendi ſectam, quæ ab ſe nomen haberet, & Thomiſticæ gloriam minueret, nullum non lapidem movit, ut id adſequeretur. Cumque novis ſententiis non poſſet, nec ſecundum publicum guſtum eſſet, mirifica ſubtilitate, id eſt, præciſionibus, diſtinctionibus, & novis terminis efficere adortus eſt. [3] Quæ illa quidem ætate magni inge

[1] *Warthon* Append. ad Caveum Hiſtor. Litterar. S. E. p. 2.

[2] *Exſtant opera omnia Tomis XII. fol. Lugduni edita 1639. Illius vitam ſcribit Wadingus, Balæus, alii.*

[3] *Legatur liber* Quæſtionum miſcellanearum de Formalitatibus, *qui eſt Tomo III. operum Scoti, & vel ex hoc uno, quæ narramus, vel ſignificamus, diſces.*

ingenii laudem præ ſe ferebant, noſtra vero non item. Ex quibus in ejus ſcripta obſcuritas inducta eſt propemodum incredibilis. Itaque laude ſua privandus non eſt Scotus, ſed reſpiciendo ad mores ætatis, & ſæculi diſciplinam. De laude Theologica alio loco. Et hi in ſecunda ætate Scholaſticæ habiti ſunt Coryphæi.

VII. Jam tertia ætas hoc nomine a ſecunda differt, quod minora ingenia tulerit, ſed magis magiſque a recta via deflexerit. Cauſſa fuit æmulatio incredibilis inter Thomiſtas, & Scotiſtas: ex qua diſputationes ſubtiles ſine ullo fine ortæ ſunt, quæ philoſophiam Ariſtotelicam non modo difficilem, ſed ne intelligibilem quidem fecerunt. Anteſignani illi duo *Guilelmus Durandus a S. Portiano*, *& Guilelmus Occam* faciunt fidem: qui ceteros docuere, novas ſententias excogitare: & præceptorum ſuorum auctoritatem contemnere. Ille contra Thomam ſcripſit: hic Realium, & Formalium ſententiæ, quæ apud Scotiſtas vigebat, oppoſuit ſectam Nominalium. Quod ſi id moderate & eclectice faceret uterque, laudari profecto poſſent: ſed ea de cauſſa fecerunt, ut Saracenicam diſciplinam novis præſidiis munirent & confirmarent. Ingenioſus uterque, & mirandum in modum Metaphyſicæ ſubtilitati deditus, in augendis inanibus quæſtionibus modum non tenuit. Quare qui hos duos noverit, is ceteros plane cognoverit, & de hujus ſæculi Philoſophis, atque adeo de tertia Scholaſticæ ætate ſine labore faciet judicium. Iccirco a ceteris percenſendis abſtinemus.

VIII. Aliqui tamen per id tempus floruere Scholaſtici, qui & ſapientius ceteris philoſophati ſunt, & æqualium diſputandi rationi ſe opponere non dubitarunt: ut *Gerſo*, *Clamengius*, *Aliaco* cardinalis, ceteri, de quibus ſuo loco.

VIIII. Quartam Scholaſticorum claſſem facio *Recentiorum*: eorum nempe, qui poſt renatas Græcas, & Latinas

tinas litteras; id eſt poſtea quam Ariſtoteles, homo Græcus, in Occidente Græce eſt locutus, iiſdem ſtudiis operam dederunt, quod ſæculo XVI. & prima parte ſuperioris ſæculi erat in uſu. Hi plerumque Religioſi ſunt, apud quos hæc philoſophandi ratio ea ætate radices egit. Horum ut moleſtum eſſet ſcripta omnia dinumerare, iiſque tirones detinere, ita non alienum videtur nomina percenſere: ut adoleſcentes, ſi quando ea audiant, quo in pretio ſint habenda, cognoſcant.

Ex *Dominicanis* celebrantur, *Dominicus Sotus*, *Franciſcus Victoria*, *Dominicus Bannez*, Hiſpani: *Franciſcus Silveſter*, *&* *Zanardus*, *&* *Javellus*, Itali: *Joannes a S. Thoma* Luſitanus. Ex *Franciſcanis*, *Joannes Ponzius* Hibernus, *Bartholomæus Maſtrius*, *Bonaventura Belluto* Siculus, *Claudius Fraſſenus* Gallus. E *Ciſtercienſium* Sodalitio præ ceteris laudantur, *Angelus Manriquez*, *&* *Bartholomæus Gomez*, *Marſilius Vaſquezius*, *Petrus de Oviedo*, *Joannes Caramuel*, Hiſpani.

Sed præter ceteros Scholaſticos *Jeſuitæ* graviſſimos Philoſophos pepererunt. Quos inter primas habent, *Petrus Hurtadus de Mendoza*, *Gabriel Vaſquezius*, *Franciſcus Suarezius* Granatenſis, *Toletus* cardinalis, *Rodericus de Arriaga*, *Antonius Rubius*, *Franciſcus Alſonſus*, & *Gonzales*, doctores Hiſpani. Collegium Conimbricenſe ab *Emmanuele Goeſio*, *Sebaſtiano do Couto*, & *Balthaſare Alvarezio* conſcriptum: *Balthaſſar Telezius*, & *Suarezius* alter, Luſitani. *Paullus Vallius* Romanus, *Thomas Comptonus* Britannus, *Joannes Baptiſta Ricciolus*, & *Maurus*, Itali: ut alios omittam, qui apud Alegambe, & Sotuelum in *Bibliotheca Societatis* reperiri poſſunt. Mitto minorum gentium Philoſophos non nullos vel Religioſos, vel Laicos, propterea quia ex his fontibus hauſerunt omnes.

Jam Scholaſticorum, quos nominavimus, plerique omnes laude ingenii, & doctrinæ claruerunt: unus item

&, al-

& alter elegantiori litteratura politus fuit: ſed rara avis erat. Nec negandum, Recentiores ſcholaſticos, a duobus ante nos ſæculis, abſtinuiſſe a non nullis quæſtionibus inanibus, quæ præcedentium ingenia exercuerant, & multo prudentius iis diſputaſſe. Verum cum altiſſimas Saraceno-Peripatetica philoſophia radices egiſſet, in explicando Ariſtotele vix a nævis quibuſdam, qui in Veteribus ſcholaſticis reprehendi ſolent, ipſi ſibi temperare potuerunt. Itaque & ſubtiles diſputationes, & nullius uſus admiſcent: & cum linguæ Græcæ, ac hiſtoriæ Philoſophicæ, & veteris memoriæ plerumque expertes ſint, Ariſtotelem ad contrarios ſenſus contra hiſtoriæ fidem detorquent: & barbara dictione, ac incondito ſcribendi genere infuſcant ſcripta ſua.

Præterea plerique, qui ſecundum Ariſtotelem ſyſtemata condiderunt, eum Philoſophum non legerunt: ſed ex præcedentium commentariis excerpſerunt ſua; ut eorum ſcripta conſulenti perſpicuum eſt. Immo ne commentaria quidem ipſa, ſed epitomas eorum, qui ante ſe de Peripatetica explicaverant, ad verbum deſcribentes, eamdem doctrinam rudem & indigeſtam, ſub nomine germanæ Peripateticæ, reliquerunt poſterioribus. Ad hæc qui Ariſtotelem interdum legunt, non libere id faciunt, ſed ſtudio ſectæ impediti. Quare eo legendo parum ipſi aut nihil proficiunt: ceteri vero ex eorum lectione vix aliquid capiunt utilitatis.

Quod ne a me, Adoleſcentes, odio in Peripateticos dictum videatur, ut illi, quibus veritas non placet, objicere ſolent; vos non ad Peripateticos de trivio, ſed ad viros doctiſſimos, & graviſſimos interpretes, *Conimbricenſes* noſtros, remittam: quos ſi adtente, & poſt accuratam hiſtoriæ Philoſophicæ notitiam, legeritis; vel nullo monente cognoſcetis, eos, tametſi Græce, & Latine docti ſint, & magno apparatu eruditionis, ut iis tempori-

ribus, inſtructi; tamen vix, aut ne vix quidem errores Ariſtotelis internoſcere: ſed omnia bona, prava clementiſſime interpretari, repugnante ſæpenumero Ariſtotelicæ doctrinæ contextu. Uſque adeo verum eſt, præjudicatas opiniones aciem mentis retundere ſolere. Et de Scholaſticis plus ſatis.

CAPUT IIII.

De inluſtrioribus Philoſophis Recentioribus.

Recentiores, qui a Philoſophia meliori nobiles exſtitere, tanto in numero ſunt, ut eos enumerare, & de ſingulis judicium ferre, multorum voluminum eſſet negotium. Quare præcipuos & anteſignanos, ut ita dicam, indicabimus, idque paucis. Eo magis quod jam ſupra [1] eorum hiſtoriam tetigimus: ut ſi dictis aliqua adjungamus, abunde tirones habeant, ex quo & Recentiorum ſcripta cognoſcant, & dilectum auctorum habeant, eoſque cum pretio legere ſciant.

Sed ante quam de iis ſingulatim dicere aggredior, hoc monere non alienum puto, inter eos, qui lucem Philoſophiæ adtulerunt, eamque coluerunt & amplificarunt, numerari Hæreticos bene multos, Anglos, Batavos, Germanos, ceteros; quorum philoſophandi ratio in Catholicis iiſque celebrioribus academiis, & etiam in Italia amplexatur ſummo conſenſu. Quare eos hoc loco prætermittere, aut cum de iis ſeparatim dicamus, eorumque ſcripta memoremus; non iis jus ſuum tribuere, id eſſet abuti humanitate lectoris: voſque dimittere ignaros rerum, quæ Philoſophum ſcire neceſſe eſt.

Quemadmodum vero qui audit aliquem de laudibus Pla-

[1] *Libro I. c.4.*

Platonis, Ariſtotelis, Hippocratis, Galeni, Averroeſii, Ciceronis, Homeri, Virgilii, Lucretii, Horatii, ceterorumque Gentilium, qui præclara ſcripta reliquerunt, dicentem; aut Socratis, Epicteti, M. Aurelii, L. Senecæ, virtutes extollentem, non is quidem ſuſpicatur, laudari Paganorum religionem, inpietatemque, quam ſingulis paginis oſtendunt: ſed eruditionem vaſtiſſimam, ingenium, & judicium limatum: Ita qui Hæreticorum, qui a Philoſophia inluſtres habentur, ſcripta me extollentem audiverit, injuria ſuſpicabitur, eorum perverſa dogmata una cum Philoſophia prædicari. Nos enim eruditionem laudamus: morales virtutes, ſi quas habent, laude ſua interdum non privamus: quidquid vero ipſi cogitarunt, quod Romanæ fidei conſentaneum non ſit, uti Catholicum decet, deteſtamur: eorum vero lectionem non niſi illis, qui per Eccleſiæ leges id poſſint, permitti poſſe exiſtimamus: nec id niſi caute admodum, habita ratione loci, doctrinæ, ætatis: tantum, quæ Catholici graviſſimi de eorum eruditione judicarunt, exponemus.

Primum itaque de Catholicis celebrioribus, *Carteſio*, & *Gaſſendo* dicemus: deinde vero de Hæreticis, *Nevvtono*, *Leibnizio*, *Thomaſio*. Monemus autem vos, ut antea quam ad aliquem Philoſophum animum adjungatis, conſulatis indicem Romanum *Librorum Prohibitorum*, & animadvertatis, an ejuſdem auctoris ſcripta aliqua in eo contineantur. Nam etiam Catholicorum libri quidam juſtis de cauſſis ab Romana eccleſia notantur, eorumque lectione filiis ſuis eadem interdixit. E contrario Hæreticorum libri aliqui, qui humanas diſciplinas tractant, in Indice non continentur. Quod memoria tenere oportet, ut intelligatis, qui legendi libri, qui vero rejiciendi ſint.

I. *Renatus Carteſius* in primis numerari debet: nam ejus ſcripta ad emendationem Philoſophiæ maxi-

mum

mum adtulere momentum. Hujus vitam, & res geſtas, & ſcripta, horumque fata, & quo modo primo a Jeſuitis, & a Batavis benigne exceptus, poſtea ipſis inviſus fuerit, poſtremo de iiſdem in Gallia, & Belgio fine ſuperioris ſæculi egerit triumphum; copioſe & erudite refert Hadrianus Bailletus. [1]

Edidit primo, *Diſſertationes de Methodo Rationis rectæ dirigendæ, & inquirendæ in ſcientiis veritatis: porro Dioptrica, Meteora, & Geometria, tamquam ſpecimina hujus methodi*. [2] Deinde *Meditationes Philoſophiæ primæ, ubi demonſtratur exſiſtentia Dei, & inmaterialitas Animæ*. [3] Tum *Principia Philoſophiæ*, ubi de Phyſica. Tum librum de *Paſſionibus Animæ*, de *Homine*, de *Formatione fœtus*, de *Mundo*, *Epiſtolas*, & alia. [4]

Plurima de *Carteſio* amici, & ſectatores ſui prædicarunt: multo plura vituperatores objecerunt ei: in quibus, ſi dicendum quod res eſt, neutri modum tenent. Nos, quæ vera nobis eſſe videntur, ſine gratia, & ſimultate declarabimus. Laudatur 1. Quod auſus fuerit præjudicium auctoritatis, & vetuſtatis, in rebus Philoſophicis, quo ingenia tot ſæcula impedita fuerunt, rejicere, & proprio judicio philoſophari. 2. Quod docuerit philoſophandum eſſe ex ideis claris, vocibus perſpicuis, & certæ ſignificationis, idque ordine, habito rerum dilectu. 3. Quod quædam de Critica utiliſſima docuerit. 4. Quod in Phyſica non nulla præclara tradiderit aliis non animadverſa, vel tradita ab illis obſcure, diſtinctius, & elegantius explicarit: & quæ illi ipſi, qui in nullius magiſtri jurant ſententias, ſumunt ab eo. 5. Quod in Mathematica-

[1] Vita Carteſii 4. Pariſiis 1691. *Gallice. exſtat* Compendium 12. *Pariſ.* 1693.

[2] *Leyde* 1636. 4. *Gallice*. [3] *Anno* 1641.

[4] *Scripta percenſet Bailletus l. cit. c.* 20.

ca quædam omnino præclara vel cogitarit, vel perſuderit maiori luce. Adeo inter maxima ingenia, quæ ad Philoſophiam acceſſerunt, *Carteſium* referendum eſſe, ſapiens, & harum rerum peritus nemo dubitabit.

Quædam tamen in ejus ſcriptis ſe offerunt, quæ merito ſuo reprehendi debeant. 1. Quod ſtudio ardens ſectam condendi, libertatem modeſtam philoſophandi, quam ſibi vindicabat, lectoribus ſuis denegarit. 2. Quod reliquos Philoſophos alte contempſerit, & machinas interdum adhibuerit, ut ſibi gloriam vindicaret: ut ex ejus *Epiſtolis* conſtat. 3. Quod Scepticiſmum valde amplificarit, dum poſtulat, ut præjudicia tanta contentione profligemus, ut etiam dubitemus de notionibus certis & perſpicuis: in quo novo ipſe præjudicio inquinatur. [1] 4. Quod hypothe-

---

[1] *Ratiocinatio Carteſii eſt talis: Semel in vita oportet dubitare de rebus omnibus, etiam perſpicuis, quo clariori cognitione certiores ſimus de iis. Videmus enim nos interdum falli: & ignoramus, an Deus tales nos creare voluerit, ut ſemper fallamur, etiam in iis, quæ clara nobis eſſe videntur. Hanc autem dubitationem eximemus hoc modo:* Ego cogito: ergo ſum. *cetera.*

Verum hic duplici præjudicio infuſcatur. 1. Ponit, & putat fieri poſſe, ut Deus ita nos formaverit, ut perpetuo decipiamur: vel ut ſomniando imaginemur, eſſe verum illud, quod tali præjudicio accepimus. 2. Prædictus ſyllogiſmus ſupponit hanc majorem: Qui cogitat, eſt. *Adeoque dum omnia præjudicia delere Carteſius vult, duo nova præjudicia ponit. Ut mittam talem ratiocinationem eſſe* circulum vitioſum. *Nam ponit fieri poſſe, ut a Deo fallamur: & tamen ex noſtra perceptione ducit, nos eſſe: ex noſtra vero exſiſtentia & innata idea concludit, Deum fallere non poſſe, quia bonus eſt. Quid autem eſt, ſi non hic* circulus *eſt?*

theſes, vel plane falſas, vel ſine ratione fictas pro fundamento Philoſophiæ ſuæ poſuerit: ex quibus etiamſi commode ratiocinatur, tamen propter infirmum fundamentum, quod nullo experimento confirmatum ſit, temere in rerum naturam aliquid infert. e. g. Cum ait, Deum contradictoria efficere poſſe: [1] cum actionem omnem tollit a rebus creatis & Deo tribuit; cum ſpiritus naturam in cogitatione ponit: cum materiam, & extenſionem confundit: cum belluis denegat perceptionem, & ſenſum: cum vortices quoſdam, & globulos, & particulas ſtriatas ſecundi elementi libere fingit: & hujus generis alia.

5. Quod notiones novas ſibi finxerit, & verbis inſolentibus, nec ex Philoſophorum diſciplina ſumtis, res ſignificarit. 6. Quod novas definitiones non adferat, & explicet, ſed ponat quaſi omnibus cognitas. 7. Quod certa ab incertis, ſua ab alienis non ſepararit. Quæ tria maximam in ejus ſcripta obſcuritatem inducunt: nec niſi cum labore, quid ipſe ſentiat, percipi poteſt. 8. Quod plurima & præcipua ab aliis accepta præſertim in Mathematicis, poſuerit tamquam ſua, [2] non laudatis iis per quos profecerit. Quæ plane conficiunt, eum hominem fuiſſe, tametſi tantis dotibus ornatus fuerit. Et de *Carteſio* hactenus.

Carteſiani autem præceptoris opiniones preſſo pede ſecuti non ſunt: ſi *Clerſelierium*, & *La Forge* ſepares: ſed aliqua addiderunt, & mutarunt, ut ſuis opinionibus, aut veritati magis conſentaneum videbatur. Inluſtriores ta-

[1] *Legatur* Reſponſio ad Object. VI. p.m. 139. 141. *Confer. Cudvvorth.* Syſtem. Intellectual. c. v. ſ. 1. §. 21.

[2] *Quid ab aliis & Veteribus, & Recentioribus, tum in Phyſica, tum Mathematica acceperit Carteſius, & in ſyſtema ſuum retulerit, accurate explicat Leibnizius* Leibnizia-a p. 18 1. ſeq.

tamen, qui Inſtitutiones Philoſophicas lucubrarunt, ſunt, *Claubergius*, *Le Grand*, *Petrus Silvanus Regiſius*, *Malebranchius*, *Rohaultius*, *Franciſcus Bælius* [1] *Henricus Regius*, *Ruardus Andala*, *Adrianus Herebordus*, *Purchotius*, *Mariotte*, ceteri. Non nulli pro ejus theologia Naturali, ceteriſque hypotheſibus defendendis laborarunt: de quibus alio loco commemoravimus. Conjungi debent cum iis non nulli Jeſuitæ, ut *Barbierius*, *Fabri*, *Pardies*, ceteri, qui vel aperte, vel aſtute in illius caſtra tranſierunt.

II. *Petrus Gaſſendus* inter maxima ingenia, quibus Gallia, virorum doctiſſimorum parens fecunda ſuperiori ſæculo floruit, numeratur. Plurima & præclara de ejus virtutibus narrantur, quæ cum ex ipſius ſcriptis magis, quam alieno teſtimonio, manifeſta ſint, aperte conficiunt, nihil in iis tempori, nihil amicitiæ eſſe tributum. Nos hominis hiſtoriam perſequi nolumus, ſed præcipua capita prætereuntes tangemus. Laudatur 1. ob ingenii ubertatem, & in explicando perſpicuitatem, & ordinem. 2. Ob ſingularem & multijugem eruditionem præſertim Philoſophicam: ſectas enim veteres omnes exacte tenebat. [2] 3. Ob litteras Græcas, & Latinas: nam ſi quis alius ſuæ ætatis pure & eleganter ſcripſit. 4. Ob judicium peracre: accurate ſiquidem & ſyſtematum nexum internoſcebat, & fontes errorum odorabatur, & præjudicia, quæ inde manabant, animadvertebat. 5. Ob mirificam ratiocinandi artem: ita enim efficaciter & ſolidet eos, quos ſibi propoſuerat refutandos, adortus eſt, ut, argumentationibus illius quid reponerent, vix haberent ipſi

[1] *Ne confundatis hunc cum Petro Bælio, auctore non ſine venia nominando.*

[2] *Ex* Commentariis in Laertium; *& ex libris* de Vita & Moribus *Epicuri conſtat.*

ipſi 6. Ob animum præjudiciorum expertem, quo ad philoſophandum acceſſit.

7. Præcipuam autem laudem habet, quod ita ſyſtema ſuum condidit, tam apte ornavit, tamque viriſimiliter propoſuit, ut etiam reprehenſores ſuos rapuerit ad ſui admirationem. 8. Ob ſacrarum litterarum notitiam. 9. Multum etiam in eo viri docti extollunt Mathematicarum diſciplinarum peritiam, adeo ut cum Galilæo, Carteſio, ceteriſque Mathematicæ primipilis, conferri mereatur. 10. Mitto modeſtiam in philoſophando, qua nemini ſe antepoſuit, non ſe oſtentavit, inſcitiam ſuam ſæpenumero profeſſus eſt, vera pro veris, veriſimilia pro talibus habet. Mitto ceteras virtutes dignas viro Philoſopho: hac una laude, quæ præcipua haberi debet, concludam: maximam in eo elucere pietatem in Deum, & in Catholicam religionem ſtudium: qua de cauſſa viris probis, & doctis in ſummo pretio habetur. [1] Hæc ſatis oſtendunt, *Gaſſendum* in magnorum virorum numero, qui litteras excoluerunt & inſtaurarunt, eruditorum omnium judicio eſſe ponendum.

Verum etſi tanta fuerit celeberrimi Philoſophi æſtimatio, ut ipſius ſyſtema alio & alio modo politum graviſſimi Recentiores ſint amplexati, tamen quædam in eo reprehendenda videntur. Nam etiamſi rerum formas & ſpecies ex particularum componentium proprietatibus ſimpliciſſimis ducat, atque ex legibus Mechanices commode ratiocinetur; veruntamen hypotheſes aliquas ponit, quæ nullis experimentis ſint comprobatæ: ut eſt figura quædam partium, & inæqualis magnitudo libere excogitata: tum earumdem motus, ſitus, cetera, quæ ab experientia

[1] *Legatur Sorbierius in* Vita Gaſſendi: *Pope Blount*, Cenſura Celebr. Auctor. p. 964.

non ducuntur; & hujuſmodi ſexcenta, quæ frequenter in ejus ſcriptis ſe offerunt.

Duo ei cum Carteſio communia. 1. Quod hypotheſes pro fundamento libere ponat: id eſt, ſine ulla ratione cogitatas. 2. Quod ex iis Geometrico more, & ſecundum Mechanicæ leges uterque philoſophetur. In hoc differt *Gaſſendus*: quod hujus hypotheſes magis ſint veriſimiles, quam illæ Carteſii ſunt: tamen cum experimentis captis non confirmentur, non veræ hypotheſes, ſed *poſſibiles* tantum ſunt habendæ. Qua de cauſſa tale ſyſtema a Recentiſſimis philoſophis repudiatur, qui Hypothetica philoſophia rejecta, ex certis fundamentis philoſophari amant.

Gaſſendo igitur, ut Carteſio, etiamſi adhæſerint plerique, tamen vix aliquem inveneris, qui purum Gaſſendi ſyſtema tenuerit: ſed cum ex eo ſumſerint placita præcipua, alia & alia ratione ea ornarunt, & expoliverunt. Ipſemet Gaſſendi auditor, & maximus fautor, *Bernierius*, qui *Compendium Philoſophiæ Gaſſendianæ* conſcripſit, [1] non eum preſſe ſecutus eſt: ſed plurima tum in Phyſica, tum Aſtronomia, poſt Gaſſendi obitum inventa, addidit, idque dilucide; quo ipſo & eruditionem ſuam, & acre judicium viris litteratiſſimis probavit. Ceteri tametſi Gaſſendiani ſint, tamen magis Eclectice ſunt philoſophati. Inter primos ſunt *Gualterus Charletonus* Anglus, qui edidit *Phyſiologiam Epicuro-Gaſſendo-Charletonianam*, *G. B. de Sancto Romano* Gallus in *Phyſica ab Scholaſticis tricis liberata*; *Senguerdus*, *Stair*, [hic partim Gaſſendum, partim Carteſium ſecutus eſt] ceteri ſatis multi, qui ſæculo ſuperiori de Philoſophia diſputarunt.

His adhiberi poſſunt *P. Maignanus*, & *P. Saguenſius* de

[1] *Gallica lingua VII. Tomis* 12.

de Minimorum familia; *P. Caſimirus* Toloſates, *Du Hamel* presbyter Gallus, *Toſca* Philippinus Hiſpanus. Ex Jeſuitis vero plurimi, qui vel palam, vel obſcurius eamdem Philoſophiam ſecuti ſunt. *P. Regnaultius* in *Phyſicis Dialogis* ſyſtema ſuum ex *atomis* deduxit, tametſi ſubtilem materiam ſumſerit ex Carteſio. *P. Caſſati, Grimaldi, de Lanis*, ex atomis ſua componunt: ſed alii alio modo. Idem de *Caſtello* eſt dicendum.

1. *Iſaacus Nevvtonus* Anglus tot inter laudes, quibus floruit, hanc ſibi vindicat præcipuam, quod in primis numeratur, qui Phyſicam diſciplinam perpoliverunt, eamque non modo verbis nihil ſignificantibus, quod alii fecerant, ſed etiam hypotheſibus libere excogitatis liberarunt. Nempe vir acutiſſimus, & in Geometricis ſi quis alius exercitatus, cum penitus cognoviſſet, Carteſium, & Gaſſendum hoc peccare, quod ex hypotheſi non uſu & experimentis probata, ſed pro lubitu ficta ratiocinarentur; huic malo remedium adhibendum eſſe putavit.

Itaque laudatur primum, quod non alias hypotheſes receperit, quam quæ longo uſu & experimentis eſſent confirmatæ. 2. Quod ex principiis omnino firmis ratiocinatus ſit. 3. Quod principia Mathematica & Mechanica, quorum in Phyſica uſus eſt, & ex quibus ipſe Carteſius, & Keplerus diſputaverant, collegerit, & legitime demonſtraverit. 4. Quod luminis naturam & proprietates primus pro merito inveſtigarit, expoſuerit, in eoque oſtenderit, qua ratione naturæ myſteria explorari poſſent. Verbo dicam, quod phyſicam Mechanicam in bono lumine collocarit. 5. Laudatur etiam a peritia Criticæ artis, & Hiſtoriæ, quam oſtendit in libro inſcripto: *Fundamenta Chronologiæ*. Nihil dico de ſcientia ſublimioris Geometriæ; in qua pares paucos habuit, nemi-

nem ſuperiorem. Hac una laude concludam, non modo Anglis, viris & Philoſophia, & Sublimiori geometria contritis, ſed etiam exteris clariſſimis admirationi eum fuiſſe. Adeo ut *Nevvtonus* non jam hominis, ſed inſignis Geometræ nomen habeatur.

Nihil de Logica, Metaphyſica, Ethica reliquit *Nevvtonus*: ut nihil agant qui Metaphyſicam quamdam Nevvtonianam cum Voltairio nobis offerunt. Phyſica vero illius non omnibus ingeniis eſt accommodata, ſed hominem requirit Geometriæ callentiſſimum.

Innumeros adſeclas habuit Nevvtonus, quorum non nulli præceptoris ſyſtema, quod non niſi pervium eſt illi, qui Sublimiori geometria ad plenum eſt eruditus, tironum gratia inluſtrare adorti ſunt. *Guilelmus Jacobus S' Graveſande* edidit *Phyſices Elementa Mathematica experimentis confirmata, ſive introductionem ad Philoſophiam Nevvtonianam*. [1] Verum tametſi proponat ſibi, difficillimas & abſtruſas viri ſummi demonſtrationes inluſtrare: tamen obſervatum eſt viris doctis, eum experimenta quidem plurima adferre; ſed parum aut nihil luminis accendere demonſtrationibus Nevvtoni. *Joannes Keillius* Anglus ſcripſit *Introductionem ad veram Phyſicam*. Uterque tamen requirit lectorem Geometriæ non expertem. *Voltairius* vero etiam de hoc argumento tractavit. [2] Item *Henricus Pemberton* Anglus emiſit *Introductionem ad Philoſophiam Iſaaci Nevvtoni*. [3] Sed non omnibus probatur. Magis Adoleſcentibus eſt accommodatus *Georgius Petrus Dumckius* in libro *Philoſophia Mathematica Nevvtoniana inluſtrata*. In eo enim & elementa Ma-

[1] *Lugduni Batavorum* 1620. 4. *Vol. II.*

[2] Elemens de la Philoſophie de Nevvton miſe a la portee de tout le Monde. Amſt. 1738. 8.

[3] Londini 1728.

Matheſeos, quæ neceſſaria ſunt, ponit, & cetera breviter ſed dilucide pertractat. Franciſcus Algarottus Venetus edidit *Nevvtonianiſmum pro Feminis*: [1] ubi theoriam colorum, lucis, & adtractionis perſpicue exponit. Sed omnium maxime Nevvtoni textum commentariis inluſtrarunt clariſſimi viri *Thomas le Seur*, *& Franciſcus Jacquier*, idque magno cum reipublicæ Litterariæ & commodo, & plauſu. Sed ad alios veniamus.

II. *Gotofredus Guilelmus Leibnizius* inter eos referri debet, quibus litteræ, atque eruditi omnes multum debent. Multa, & præclara ingenii produxit monumenta, quæ ſi ſingula percenſere vellemus, plus quam L. annorum eſſet hiſtoria conſcribenda: iccirco, quæ præcipua laude ſunt digna, tangemus. Laudatur primo in eo mirifica ingenii fecunditas, quæ plurimas & difficillimas in omni varietate litterarum peperit lucubrationes. Tum eruditio: nam non in una aut altera diſciplina, ſed in ſingulis, qui vir eſſet, oſtendit. Fuit enim Poeta, Hiſtoricus, Philoſophus, Mathematicus, Juriſperitus, Politicus. [2] In Mathematica vero æternum ſibi nomen fecit *calculo differentiali*: cujus inventi gloriam etſi plerique vindicent Nevvtono, qui *methodum fluxionum* cum *calculo differentiali* conſentientem edidit, tamen veriſimilius videtur, Nevvtonum, & *Leibnizium* eodem tempore propria ingenii vi, nullis externis adjumentis eumdem inveniſſe. In arte ratiocinandi, ſeu Inſtrumentali philoſophia pauca ſcribit de ideis. In Phyſica plurima invenit, quæ aliorum labores juvarent. In hiſtoria autem Philoſophiæ mirificos fecit progreſſus, & plurima animadvertit, notavit, perfecit ceteris non explorata. Nec illud minimam habet lau-

[1] *Italice 4. Sed etiam in Anglicam, & Gallicam converſus eſt.* [2] *Legatur Ludovicius, qui catalogum librorum Leibnizii texit.*

laudem, quod ſyſtema ſuum Metaphyſicum ingenioſe excogitavit, & ex principiis, quæ poſuit, apte & convenienter coegerit concluſiones. Acute vero in Politica plurima vidit; quæ alii non animadverterunt: ſed eam dedita opera non diſputavit: Ethicam vix tetigit; Metaphyſico argumento unice intentus.

Ad hæc in eo extolluntur virtutes aliquæ, quæ non ſemper magna ingenia comitari ſolent. Primum humanitas, & ſtudium bene merendi de litteratis hominibus, quos & opera, & conſilio juvabat, & epiſtolis incitabat, ut diſciplinis opitularentur, nullum ex eo præmium, nullam laudem ſperans. Tum modeſtia in judicando: moderate enim & ſapienter eorum vitia, & errores [ſi ea, quæ de Puſendorfio dicit, excipias] ſi qui eſſent, notabat: virtutes, & res præclare dictas extollebat: non ſe oſtentabat, nemini præponebat ſe ſe: quod in tanta eruditionis copia res eſt haud parum difficilis. Præterea in eo laudantur animi moderatio, quam oſtendit potiſſimum, cum adverſariis ſuis occurrere neceſſe habuit: iis enim ſine ſtomacho reſpondit, humaniter & in meliorem partem omnia detorquens. [1] Quæ ſatis efficiunt, *Leibnizium* plurimis virtutibus fuiſſe ornatum.

Verum ea eſt humanæ mentis condicio, ut nihil tam elegans tamque emendatum generet, in quo non nævi aliqui reperiantur. Itaque quædam in *Leibnizio* deſiderant viri docti, qui ſcripta illius, & philoſophandi viam ceteroquin præſtantiſſimam inquinant. 1. Principio illud reprehendunt, quod vetuſtatis amore impeditus, Platonis ſomnia, & tricas Peripateticorum, novo veſtitu ornatas revocaverit in ſcenam, & tamquam aliquid exquiſitum exhi-

---

[1] *Ex* Epiſtolis Leibnizii *ad viros doctos, quæ editæ Lipſiæ* 1734. 12. *Volum. IV. hæc facile cognoſci poſſunt.*

exhibuerit; idque tam obſcure & intricate, ut ſuſpicionem ingerat lectori, ne ipſum quidem *Leibnizium* ſuum ſyſtema penitus percepiſſe. 2. Quod paradoxas hypotheſes, & vix intelligibiles excogitaverit: ut illud eſt de *Monadibus*, *de Harmonia præſtabilita inter corpus & animam*. 3. Quod quædam in iis defenderit, quæ libertatem tollere, & *materialiſmum*, ac *deiſmum* quemdam inducere apta ſunt, & ex quibus pernicioſæ conſecutiones cogi poſſunt. [1] Quæ tamen non malitia, ſed imprudentia Leibnizio excidiſſe, contendunt quidam. [2] Verum alii oſtendere conantur, *Leibnizii* decreta Chriſtianæ religioni non repugnare. [3]

Præterea hoc etiam viri accurati contendunt, eum in ratione philoſophandi peccaſſe. 4. Nam hypotheſes habet in deliciis: eas autem non inductione ex captis experimentis efficit, & excogitat: ſed admitti poſtulat, antea quam veræ eſſe oſtendantur. 5. Deinde ſtudio hypotheſis actus nonnumquam quædam iis, quæ antea poſuerat, parum conſentanea ſcripſit. [4] 6. Præterea paralogiſmis

[1] *Præcipuos errores, quos in Leibniziano ſyſtemate, quod ſuſcitavit Wolfius, invenerunt viri docti, refert Langius*, Recenſio XXVI. Scriptorum adverſus philoſophiam Wolfianam editorum. Halæ 1725. 4. *Confer. Kortholtus*. Præfat. ad Tom. III. Epiſt Leibnizianar.

[2] *Jeſuitæ in* Commentariis Trivultienſibus. 1737. Febr. art. 1.

[3] *Kortholtus l. c. ubi contendit*, Philoſophiam Leibnizianam Chriſtianæ religioni non eſſe pernicioſam. *Et Iſrael Canzius* Philoſophiæ Leibnizianæ, & Wolfianæ in Theologia per præcipua Fidei capita uſus. *Bylſingerus*, Harmonia Corpor. & Ment. ex mente Leibnizii. *Sed hæc nos non defendimus*.

[4] *Jeſuitæ loco laudato*.

plurima inædificat. 7. Ad hæc ex nimio Metaphyſicarum, & Mathematicarum notionum uſu, ad abſtractas ideas vel nullo inpellente deſcendit, quibus argumentationes & ingenioſe & ſubtiliter excogitatas inquinat, involvit, obſcurat; ut non ab eodem homine, qui ceteris viam ſternit ratiocinandi, profectæ videantur. Superſedeo ceteris, quæ illi vituperatores objiciunt: vel quod ea non credam, vel quod a propoſito noſtro ſint aliena. Nobis vel hæc ſatis ſunt ut efficiamus, *Leibnizium*, in tanta virtutum multitudine, nævis inſignibus non caruiſſe.

Philoſophiæ ſyſtema ex omni parte perfectum non reliquit *Leibnizius*: ſed lucubratiunculas & diſſertationes alio & alio tempore in *Ephemeridibus Litterariis* emiſit in lucem: [1] in quibus ſingularia argumenta tractantur. Præterea edidit *Theodiceam*, [2] quo libro Metaphyſica ejus continetur. Exſtant etiam *Epiſtolæ*, quas diligentiæ Kortholti debemus. Quare qui, illius ſyſtema quale ſit, cognoſcere havet, oportet *Theodiceam* cum ceteris ſcriptis comparet. [3] Quod qui non faciunt, vix illius mentem & ſenſum animo comprehendent.

Porro Leibnizii ſectatores multi nominantur: ſed perpauci illius opiniones ſine ulla mutatione ſunt amplexati. Inluſtriores ſunt, *Michael Gottlieb Hanſchius* in libro, quem inſcripſit, *Meditatio Philoſophica de unione mentis, & corporis ſecundum principia Leibnizii*: [4] cui junxit *Theoremata Metaphyſica*. Deinde edidit *Principia*

---

[1] *Eas diligenter enumerat Ludovicius* Hiſt. Philoſ. Wolfianæ. Lipſiæ 1737. 8. *quin etiam promiſit eas uno faſce doctorum commodo edere.*

[2] *Hujus ſynopſin habes in* Ephemeridibus Lipſienſibus *ann.* 1711. *Mart. p.* 110. *&* *April.* p. 159.

[3] *Ita judicavit Leibnizius* Epiſt. *ad Remondum*, Recueil Tom. II. p. 161. [4] *anno* 1722.

pia Philoſophiæ more Geometrico demonſtrata. [1] Alter eſt *Chriſtianus Wolfius*; qui tametſi non omnes Leibnizii hypotheſes admiſerit, tamen præcipuas fecit ſuas, & juſtum philoſophiæ Leibnizianæ corpus condidit. De cujus philoſophandi ratione in Logicæ hiſtoria non nihil diximus. Etiam *Bylfingerus* edidit *Harmoniam Mentis, & Corporis ex mente Leibnizii*, dilucide, & ordine conſcriptam. *Thumigius* autem Wolfii ſcripta compendifecit: & Baumeiſterus *Logicam*, & *Metaphyſicam* ſecundum methodum Wolfii conſcripſit. Alios percenſere non eſt neceſſe: qui vero Gallice ſcripſerunt, in *Ephemeridibus* Gallicis ſunt perquirendi.

III. *Chriſtianus Thomaſius* Lipſienſis. Hic in iis habitus eſt viris, qui labente ſuperiore ſæculo ad Philoſophiam exornandam animum adtulerunt præjudiciis liberum, eique incredibilem operam navarunt. Nimirum inerat *Thomaſio* ingenium excellens, & ad omnia factum, eruditio exquiſita, & limatum judicium: quibus adjumentis diſciplinarum nævos, & docentium errores penitus cognovit: cumque magno animo eſſet præditus, exſtitit, ut libere, quæ ſentiebat, ſine metu, ſine ſpe, dicere non dubitarit. Ex quo illi malorum ilias nata eſt.

Nam cum per id tempus Peripatetica philoſophia in Proteſtantium Academiis inveteraſſet, ut ſunt ſectarii Philoſophi doctrinæ a majoribus traditæ tenaciſſimi cuſtodes, eorum vero, qui in nullius jurant verba magiſtri, hoſtes inplacabiles inexpiabileſque; ad eas artes confugerunt, ad quas, qui peſſimam cauſſam defendunt, ſolent confugere, nimirum ad calumniam, & potentiam. Itaque pedibus manibuſque effecerunt, ut ſenatus & Civilis, & Eccleſiaſtici decreto *Thomaſius* tacere cogeretur: eumque de majeſtate, de religione, de atheiſmo, & quid non? po-

[1] Lipſiæ 1728. 4.

poſtularunt: tum abire fecerunt e patriis laribus: tum ejus domeſticam ſupellectilem retinuerunt: tum omni contumeliarum genere adfecerunt, & inprecati ſunt ei viam perpetuam. Scilicet licebat adverſariis, *Thomaſium* ſtrategemate opprimere, idque non alia de cauſſa, quam quod Eclecticam philoſophiam in Germaniam inducere conatus eſſet: *Thomaſio* vero non licebat, ut a ſe tantam injuriam depelleret, adverſariorum artes pervicaciam, inſcientiam patefacere. Ita occæcant animos præjudicia!

Nimirum hæc magnis viris, qui diſciplinas emendare apud cives ſuos ſibi propoſuerunt, uſuvenit frequenter, ut qui civi de patria bene merito monumentum ponere deberent, eidem, tamquam reipublicæ hoſti, ac pietatis oſori, nullum non malum intentent: & cogant ut procul a patria clarus fiat, atque ab exteris gentibus eum honorem habeat, quem ipſi denegant cives ſui. Quod *Thomaſio* noſtro evenit. Tamdem Halam concedens, auctor fuit Electori Brandeburgico, ut Fridericianam academiam excitaret anno CIƆIƆCXCIIII.

Atque Princeps munificus, qui viros doctos non ex calumniatorum accuſationibus, ſed ex propriis ſcriptis metiebatur, non modo *Thomaſium* anteceſſorem Juris in eadem Academia deſignavit; ſed ejus Præſidem & Directorem, uti vocant, tum Conſiliarium ſuum eſſe juſſit. Documento, quo pacto Reges, & Dynaſtæ maledicentiſſimorum hominum vituperationes poſſint confringere. Obiit *Thomaſius* Halæ anno CIƆIƆCCXXVIII.

Multa lucubravit *Thomaſius*, quibus homines excitaret, ut in ſingulis eruditionis partibus Eclectice philoſopharentur. Exſtant ſcripta Logica, in quibus & hiſtoriam Sectarum narravit, & earum errores patefecit. [1] Tum

[1] Introductio in Philoſophiam Aulicam, ſeu primæ lineæ libri de prudentia cogitandi, & ratiocinandi. Ubi oſten-

Tum ex Veterum, & Recentiorum ſcriptis, quæ magis ad finem propoſitum accommodate dicta videbantur, excerpſit, nova forma compoſuit, plurima addidit, & Logicam omni ex parte Eclecticam adornavit, [1] ejuſque uſum oſtendit. [2] Deinde Phyſicam, & Pneumatologiam emendare adortus eſt, edita lucubratione; in qua efficere eſt conatus, Phyſicam ſine Pneumatologia non poſſe conſiſtere. [3] Tum Ethicam [4] expolivit, & Peripateticorum cavillationibus denudatam edidit. Præterea de *Characteribus* adfectionum animi egregie diſputavit. [5] Præterea juriſprudentiam Naturalem mirandum in modum perfecit, tum in *Juriſprudentia Divina*; tum in *Fundamentis Juris Naturæ, & Gentium*. Item prudentiam Politicam inluſtravit in libro, *Primæ lineæ de Juriſconſultorum prudentia Conſultatoria*. [6] In cujus parte altera

oſtenditur media inter præjudicia Carteſianorum, & ineptias Peripateticorum veritatem inveniendi via. Lipſiæ 1688. 12.

[1] Introductio in Philoſophiam Rationalem, in qua omnibus hominibus via plana & facilis panditur, ſine Syllogiſtica, verum, veriſimile, & falſum diſcernendi, novaſque veritates inveniendi 1691. 12.

[2] Praxis Philoſ. Rationalis *Halæ* 1691. 12.

[3] Tentamen de Natura & Eſſentia *Spiritus* 1699.

[4] Introductio in Philoſ. Moralem. 1692. 12. & Pars Practica Moralis Philoſ. 1696. 12.

[5] Scientia recens inventa arcana mentis hominum etiam invitorum ex conſuetudine quotidiana dignoſcendi 1691. 12. *Germanice*.

[6] *Halæ* 1705. 8. *Pars altera ſequenti anno lucem vidit h. t.* Specimen prudentiæ judicialis ex J. Naturæ, & Gentium; negotiis & controverſiis, quibus ſparſim inmiſcen-

ra argumentis confecit, Juriſperitos Ethica, Politica, Hiſtoria, Mathematica, ceteriſque diſciplinis excultos eſſe debere. Ad hæc alia opuſcula vulgavit, in quibus eaſdem diſciplinas inluſtrat: quæ ex conditoribus hiſtoriæ Litterariæ cognoſci poſſunt. [1]

Quæ *Thomaſio* præcipuæ laudi tribui ſolent hæc ſunt. 1. Quod animo præjudiciis vacuo ad philoſophandum venit, & projecto jugo ſervitutis Philoſophicæ, non modo in Phyſica, quod alii fecerant in Anglia, & Gallia; ſed etiam in Logica, Metaphyſica, Juriſprudentia, docuit Germanos ſine præjudiciis ratiocinari, & proprio uti judicio. [2] 2. Quod inperterrito animo, tametſi undique contumeliis, & moleſtiis graviſſimis eſſet vexatus, rem plenam laboris & periculi ſuſceperit, & ad finem perduxerit. Nam ab eo tempore Germani Eclecticam philoſophiam valde excoluerunt. 3. Quod non acumine modo & ingenio, ſed judicio limato valens, & plurima ac interiori eruditione politus, diſciplinarum errores acute vidit, notavit, patefecit. 4. Quod Logicæ, & juriſprudentiæ Naturali tum veteri, tum recentiori, & Philoſophicæ, ceterarumque diſciplinarum hiſtoriæ plurimam lucem adtulit. 5. Quod ſyſtemata ingenioſe excogitavit. 6. Quod errores ſuos & agnovit, & emendavit, & incredibili magnitudine animi fateri non dubitavit. 7. His addi poſſunt virtutes aliæ, induſtria, diligentia in docendo, mores integri, fides in amicitia, humanitas, lepos, facetiæ, gratus animus, cetera. Quare inter eos, qui nomen ſibi lucubra-

---

ſcentur, genuina principia definiendi prætenſiones inluſtres. 8.

[1] *Excellunt* Cautelæ circa Præcognita Juriſprudentiæ. *Vide Niceronium* Hiſtoire des Homes Illuſtres.

[2] *Vide Heumannum* Acta Philoſophic. Tom. I. p. 458. 609. ſeq.

brationibus Philoſophicis fecerunt, Litterariæ hiſtoriæ conditores referre *Thomaſium* non dubitarunt. [1] Adeo ut iidem, qui eum vivum momorderunt, mortuum pro concione laudarint.

Sed homo erat *Thomaſius*, id eſt, humani animi infirmitatibus obnoxius. Quare in quoſdam errores incidit, quos nollem tali Philoſopho excidiſſe. Eos nos in tranſitu tangemus, ut intelligatis, Adoleſcentes, nihil in hoc mundo omnibus numeris eſſe perfectum. 1. Reprehenditur hoc nomine, quod dicax cum eſſet, & ad ſatyricum ſcribendi genus pæne factus, adverſarios, quos eſt nactus, ſemel laceſſitus in odium, & riſum adducere numquam ceſſarit. Tametſi ætate progreſſus, hoc ſcribendi genus publico ſcripto fuerit deteſtatus: cauſſas, cur id fecerit, exponens. 2. Quod in hiſtoria Philoſophica non nulla errata admiſit. 3. Quod Poireti ſomniis deceptus, rejecta phyſica Mechanica & Experimentali, aliam Moſaicam, Cabbaliſticam, & Chriſtianam phyſicam, quod *Theoſophicum* ſyſtema vocant, inducere adortus eſt: in quo & ſcepticiſmum Phyſicum valde roborat: & ex paralogiſmis, quibus inædificat, planum fecit, ſibi non eſſe exploratum, qua via ad Naturæ adyta pervenire poſſemus. Itaque de Phyſica, & Pneumatologia male meritus eſt.

4. Quod hypotheſes ſuas non ſemel mutavit, præſertim in juriſprudentia Naturali: ubi non ſolum Juris N. principia nova poſuit, ſed etiam naturæ humanæ aliam ideam formavit. [2] 5. Quod eas hypotheſes ſibi finxerit, ex quibus

[1] *Illius laudes lege apud J. A. Fabricium*, Hiſt. Biblioth. ſuæ. Tom. IIII. p. 142.

[2] *Conſule Thomaſii* Cautelas Circa præcognita Juriſprudentiæ, *ubi*, *quæ mutavit*, *exponit*: *item* Fundamenta J. N.

bus concluſiones pernicioſæ, ſaltim ex vocabulorum inſolentia, & obſcuritate, elici poſſint. 6. Quod magis ex locis extrinſecis, quam intrinſecis, fuerit ratiocinatus. 7. Etiam ei vitio dant, quod ſcientiarum nævos aliquando magis indicarit, quam abſterſerit, & emendarit. Cetera, quæ de Religione, de Naturaliſmo ei exprobant adverſarii, prætermitto. Et de *Thomaſio* hactenus.

Porro autem Thomaſii exemplo, & ſcriptis excitati homines Germani, hoc ſæculo præſertim, id ſibi negotii propoſuerunt, ut in ſingulis eruditionis humanæ partibus Eclectice philoſopharentur, atque ea excogitarent, & ſeligerent, quæ veriſimilis legibus eſſent conſentanea: tum eo ordine ſeu methodo ſcriberent, quæ ad rem facilius percipiendam magis idonea eſſe videatur. Quorum primipilos, ut ita dicam, vobis hoc loco nominare inoportunum non erit. Ex quorum fontibus ii, qui judicio valent, & omnibus præſidiis muniti ſunt, haurire poſſint.

In Logica præ ceteris prædicantur, *Joannes Franciſcus Buddeus*, *Gottlieb Gerardus Titius*, *Joachimus Langius*, *Ephraim Gerardus*, *Nicolaus Hieronymus. Gundlingius*, *Joannes Jacobus Syrbius*, *Andreas Rudigerus*, *Heineccius*. In Phyſica, *Joannes Chriſtophorus Sturmius*, tametſi hic ad Carteſium interdum accedat, & idem *Buddeus*. In Pneumatica, *Buddeus*. In Juriſprud. Naturæ prædicti *Buddeus*, *Gundlingius*, *Heineccius*, *Rudigerus*, ceteri.

Hoc tamen, Adoleſcentes, vos monitos volumus, hujuſmodi Philoſophos, etiamſi tales ediderint lucubrationes, ex quibus ad emendationem Philoſophiæ utiliſſima multa ſumi poſſunt; tamen interdum addere quædam, quæ viris limati judicii non probantur. Nam primum non nulli ſyſtemata nova condendi amore capti, talia excogitant, quæ vel experientiæ, vel rationi conſentanea non ſunt. Deinde hypotheſes infirmas aliquas amplectuntur,

ex

ex iiſque labiles concluſiones deducunt. Uſque adeo difficile eſt rectam viam philoſophandi tenere, ut ii etiam, qui eam ſunt ingreſſi, aliquando aberrent. Quare non cæco obſequio eorum placita Philoſophica ſunt oſculanda, ſed accurate & cum judicio legenda. Moderatiores tamen ſunt *Syrbius*, & *Buddeus*, & multo ceteris accuratius ratiocinantur.

Ex eadem Eclectica diſciplina diſputant viri docti, qui in ceteris Europæ regnis cultiſſimis litterarum, & Philoſophiæ gloriam pulcre ſuſtinent. Ex Batavis Jacobus Ode, *Inſtitutiones Phyſicas* per quam elegantes edidit. Ex Italis, Soria *Inſtitutiones Logicas* divulgavit, itemque *Theologiam Naturalem*. Crivelius de Clericis Regularibus S. Paulli, & Petrus de Martina *Inſtitutiones Phyſicas* accurate conſcriptas emiſerunt. Item *Eduardus Corſinius* de Clericis Regularibus Scholarum Piarum, & *Fortunatus a Brixia*, Franciſcanus Reformatus, uti vocant, ſingulas Philoſophiæ partes ex Recentiorum diſciplina inluſtrarunt. Qui tametſi non in omnibus punctum tulerint, vobis tamen adjumento erunt, ut meliora cogitetis. Eo magis, quod hi omnes, ſi primum excipias, Catholici ſunt. Ceteris Philoſophis percenſendis, qui Eclecticam philoſophiam perſequuntur, ſuperſedeo: neque enim ad veſtrum palatum ſunt accommodati: nec omnia dilucidare neceſſe eſt. Atque haud ſcio an Eclecticorum, quos ſuperiori ſectione ſeu paragrapho nominavi, vobis uſus concedi poſſit, etiamſi per Eccleſiam liceat; ſine cujus facultate nullus eos Catholicus audeat adtingere. Nam cum plerique omnes Heterodoxi ſint, quædam in iis ſe offerunt, quæ explicari nollem adoleſcentibus, qui in Theologia ad plenum eruditi non ſunt. Sed de his viderint præceptores & eruditi, & pii.

ALOYSII ANTONII VERNEII

EQUITIS TORQUATI ARCHIDIACONI EBORENSIS

APPARATUS

AD PHILOSOPHIAM, ET THEOLOGIAM

AD USUM

LUSITANORUM ADOLESCENTIUM

PARS ALTERA

IN QUA

DE THEOLOGIA SERMO EST

LIBER PRIMUS

DE HISTORIA THEOLOGIAE

CAPUT I.

De Theologia generatim diſſeritur.

ANtequam de Theologiæ hiſtoria dicamus, quid ipſa Theologia ſit, quæ illius partes, quibuſque nominibus diſtinguatur, dicendum eſſe videtur: ne, his incognitis, tirones noſtri ea, de quibus diſputaturi ſumus, ignorent. Theologia eſt, *rerum divinarum, earumque, quæ ad ſupernam hominis felicitatem pertinent, diſciplina.*

V Hæc

Hæc vel ratione naturæ habetur, vel divina locutione; quæ primo modo comparatur, *Naturalis theologia*, de qua alio loco diximus: [1] quæ ſecundo modo, *Supernaturalis*, ſeu *Revelata* theologia vocatur: de qua hoc libro eſt conſiderandum.

Revelata theologia nititur verbo Dei vel ſcripto, vel tradito. Quamquam vero una ſit, tamen pro diverſa ratione, qua a Theologis tractatur, diverſa nomina habet. Nam ſi Sacrorum codicum ſenſum perveſtigamus, & ex iis ſalutis doctrinam haurimus; vel Traditionem ſequentes, quid tenere, vel agere debeamus, exponimus; vocatur theologia *Exegetica*. Si ea, quæ credere debemus, excerpimus, argumentis confirmamus, & corpus aliquod doctrinæ componimus, appellatur *Dogmatica*, ſeu *Poſitiva*, ſeu *Thetica*. Si Fidei decreta ſeu dogmata adverſus hoſtium oppugnationes defendimus, & munimus, eſt *Polemica* ſeu *Elenchtica*. Sin ex iiſdem codicibus Sacris, vel Traditione præcepta cogimus, ad quæ actiones noſtras exigamus, appellatur *Moralis*. Ea porro, quæ credere debemus, *Dogmata*: quæ vero nos docent, quid agere debeamus, a Theologis *canones* nominantur.

Jam vero Dogmatica theologia ſi omnia, quæ ad æternam felicitatem neceſſaria ſunt, via ac ratione exponit, & accurate ac firma ratiocinatione confirmat, vocatur theologia *Syſtematica*, ſeu *Acroamatica*. Sin autem religionis noſtræ rudimenta explanat, non ſervato ordine ac nexu, quo diſciplinæ graviores traduntur, vocatur *Catechetica*, ſeu *Exoterica*, quæ Fidei decreta rudioribus exponit.

Porro autem cognita natura, & partibus diſciplinæ, de qua hoc libro hiſtoriam condituri ſumus; cetera ex iis, quæ

---

[1] *Prima parte L. I. c. I.*

quæ prima parte[1] de Philoſophiæ hiſtoria explicavimus, vel me tacente intelligent tirones. Itaque Theologica hiſtoria vel Theologiæ ortum, progreſſum, & viciſſitudines perſequitur; vel ſyſtemata, quæ excogitata fuere, ut dogmata aliqua facilius explicemus, enarrat: vel demum Theologorum graviſſimorum vitam, & quibus adjumentis ad amplificandam eam diſciplinam pervenerint, percenſet. Hæc nos ſi ſingula pro merito narrare & dilucidare vellemus, non unius voluminis res eſſet. Quare de more noſtro Theologiæ viciſſitudines ſummatim enarrabimus: cetera ea tantum tangemus, quæ magis neceſſaria videntur ad Theologiæ variam diſciplinam inluſtrandam. Et eo magis modum adhibebimus, quod ea, quæ de Philoſophia diſſeruimus, plurimam lucem iis, quæ hoc tempore dicturi ſumus, adferre poſſunt.

Caput II.

De theologia Patriarcharum uſque ad Moyſen.

Quæ fuerit Adami, quæque ceterorum Patriarcharum theologia, Sacri codices haud obſcure tradunt. Homo enim, qui cum Deo aperte in horto illo amœniſſimo verba commutabat; & oculis, & auribus accepit ſcientiam rerum, quæ ad beatitatem erant neceſſaria. Itaque & notitiam conditoris habuit: & cognovit ſe conditum eſſe ut divino adſpectu frueretur: & poſſe ſe, ſi modo vellet, eadem condicione uti perpetuo: ad hæc debere ſe Deum creatorem ſuum amare, colere, officiaque erga homines ſervare: hoc amplius, Dei dicto audientem eſſe. Si ſecus faceret, una cum omni poſteritate multis miſeriis obnoxium fore.

---

[1] *Loco citat.*

Poſtea vero quam peccato ſuo humanum genus omne morti, ægritudinibus, inſcitiæ, ceteriſque miſeriis objecit; plane cognovit, idque Dei beneficio, ſe non niſi divino adjumento, & ſincero animi dolore peccati maculam diluere poſſe: prolem vero originis peccatum, quo erat adfecta, divina medicina extinguere debere. [1] In tanta miſeriarum multitudine hoc ſolatium habuit, quod intellexit, Chriſtum filium Dei certo tempore in mundum fore venturum ut homines liberaret: id eſt, ut omnes, qui crederent in eum, talibus præſidiis munirentur, quibus & ſe a peccato liberarent, & innocentem vitam vivere poſſent, & æternam felicitatem mereri.

Iiſdem præceptis Adamum filios, poſteroſque [2] imbuiſſe: [3] & pietas ſanctiſſimi hominis, & Abelis, Sethi, Enochi, Noachi, Semi, Japheti, ceterorumque innocens vita, vel ipſi Deo probata, perſuadent. Accedit, quod plerique omnes & longum tempus vixerunt, adeo ut nepotes nimis multos videre & alloqui potuerint; & cum Deo ſermones miſcuerunt. Ex quo perſpicuum fit, eos & in iis, quæ a majoribus acceperant, confirmari debuiſ-

[1] *Qua ratione originale peccatum priſci illi homines delerent, exploratum non eſt. Certe fidem ſuam ſacrificiis declarabant. Confer. Gregor. Mag.* Moral. L. IIII. c. 3.

[2] *Haud multo poſt conditum mundum tempore depravari cœpit religio in familia Cainitarum. Sunt qui putent, eos idololatriam admiſiſſe, ſacrificia corrupiſſe, Meſſiam negaſſe: ut Spanhemius* Hiſt. Eccleſ. V. T. p. 279. *Seldenus* de Diis Syriis prol. c. 3. *Voſſius* de Idololatr. L. I. *Alii in atheiſmum prolapſos fuiſſe contendunt: veluti Jurieus* Hiſt. Crit. des Dogm. P. 3. c. 2. *Buddeus* Hiſt. Eccl. Tom. I. p. 125. *Sed neutrum probari poteſt: ultimum autem veriſimile non ſit.*

[3] *Conſule Geneſ.* c. XVIII. 19. *Roman.* IIII. 13.

buiſſe, & ea aliis tradere, & explanare potuiſſe, quæ cognoſcebant.

Neque ſolum ante diluvium univerſale, ſed etiam eo exacto eadem diſciplina homines uſi ſunt. [1] Teſtes ſunt luculenti Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, viri ſanctiſſimi, & prophetæ, qui vitæ diſciplina ſuæ oſtenderunt, ſe majorum placita eſſe amplexatos, & ad præcepta Naturalis legis actiones ſuas inſtituiſſe. Eo magis quod Deus iis pluries promiſit, ex ſemine eorum Meſſiam humani generis Liberatorem oriri debere. [2] Unum hi præ ceteris habuere, quod Deus expreſſis verbis præcepit, ut peccatum originale maſculorum infantium *circumciſione* delerent: [3] feminarum vero mundandarum remedium traditione ſervabatur.

 Quam-

---

[1] *Doctores Judæi ajunt, ſex præcepta juris Naturæ in prima rerum conditione a Deo hominibus tradita fuiſſe. Quibus addunt ſeptimum, quod Noemo Deus credidit. Hæc ſeptem vocantur præcepta* Noachidarum: *id eſt, omnium gentium, quæ a Noacho ſunt profectæ, ſi Hebræos excipias, qui nominantur* Abrahamidæ, *& alias deinceps leges habuerunt. Noachidarum autem præcepta hujuſmodi ſunt*. 1. De cultu extraneo ſeu Idololatria. 2. De Maledictione nominis Sanctiſſimi. 3. De Effuſione ſanguinis ſeu homicidio. 4. De Inlicito concubitu. 5. De Furto. 6. De Judiciis. 7. De Membro animalis non comedendo. *His præceptis Naturalis religio priſcorum hominum, ſeu jus illud Divinum continetur. Confer. Maimonides in* Halach Melakim. *c. 9. & R. Jehuda Ben Samuel in* Sepher Cozri *P. III. S. 73. Ex Recent. Selden* de Jure Natur. & Gent. L. I. c. 9.

[2] *Geneſ.* c. XII. 3. & c. XVIII. 18. & c. XXII. 18. & XXVI. 4. & c. XXVIII. 14.

[3] Geneſ. c. XVII. 10. *Sive id præſtaret circumciſio ex opere operato, uti vocant, ſive ex opere operantis. Qua de re multa Theologi.*

Quamquam vero Veteres homines dogmata, quæ illa ætate ad beatitudinem erant idonea, cognoſcerent, atque Ethices præcepta vel traditione, vel ratiocinatione cognita vitæ exprimerent diſciplina; tamen non ea ſcriptis conſignarunt, ſed ore tenus filiis tradiderunt, & quaſi per manus miſerunt ad poſteros. [1] Nimirum pauca illa religionis Naturalis, & Revelatæ præcepta nullo negotio quaſi de manu in manum ſervabantur in familia Patriarcharum. Nam Patriarchæ ipſi Sacerdotum officia in ſua quiſque familia inplebant, Deo rem divinam facientes, & annuntiantes eccleſiæ Dei, exiguæ ſane, myſteria, quæ Deus illis clementer manifeſtabat. [2] Non illi de condendis ſcriptis cogitarunt, & multo minus compendia Theologiæ ſcripſerunt, ut poſteros erudirent. Non enim ars ſyſtemata componendi illa ætate ne Græcis quidem, qui eam maturius ceteris agnoverunt, erat explorata. Adeoque ante Moyſis tempora fruſtra Theologiæ corpus aliquod quærent eruditi.

Hac ætate Theologia apud homines corrupi cœpit admiſſione idololatriæ. Nam poſt Diluvium exactum, & ante Abrahami vocationem, quæ anno CIϽCIϽLXXXIII. ſecundum Uſſerium evenit, invaluit mos, ut Planetæ, Elementa, atque homines virtute præſtantes pro Diis colerentur. Immo & imaginum uſum Jacobi ætate viguiſſe, ex hiſtoria Labani ſoceri perſpicuum eſt. [3] Sed hæc in

---

[1] *Libros aliquot Adamo, ceteriſque Patriarchis adtribui, in quibus plurima Theologiæ capita continerentur, jam primo libro monuimus. Verum hæc ſine ulla ratione certoque monumento Patriarchis adfingi, viris doctis exploratum eſt. Confer. Scipio Sgambatus in* Archiv. Veter. Teſt. L. II. t. 2. *Et Sixtus Senenſ.* Biblioth. L. II.

[2] *Confer. O. Kelos* Paraphraſ. ad Geneſ. XLIX.

[3] *Geneſ.* XXXI 19.

in tranſcurſu monuiſſe ſatis ſit, quæ alii copioſe diſputarunt. [1]

Caput III.

De theologia Hebræorum a Moyſis ætate uſque ad primi Templi Hieroſolymarii everſionem.

MOyſi Deus non nova dogmata credenda tradidit; eadem enim apud Hebræos dogmata poſt Moyſen, quæ antea, obtinebant: a Sanctis quidem hominibus per Fidem retenta, in ceteris pæne obliterata: [nempe certo tempore venturum Meſſiam, qui Deus, & homo eſſet: hominumque ſuo ſanguine peccata eſſet expiaturus: quod haud obſcuram Trinitatis notitiam complectebatur] ſed triplicem legem tradidit in Sinai, Naturalem, Sacram, & Politicam: quarum duæ ultimæ ad fidem in Meſſiam confirmandam omnino erant accommodata. Prima Decalogo continetur, in quo Naturæ leges ad decem capita revocantur: quarum tria prima officia erga Deum, ſeu Naturalem religionem exponunt: reliqua ſeptem officia adverſus homines perſequuntur. Altera lex ritus omnes, quibus res divina eſſet facienda, minutatim exponebat. Tertia reipublicæ formam oſtendebat, legeſque ſingulis flagitiis decernebat: ut iis exequendis publica res Hebræorum in tuto eſſet, & ſalva. Quæ ſacris Pentateuchi codicibus explicata videmus. [2]

[1] *Maimonides* de Idololatria *ex verſione Voſſii*. *Eduar. Herbert.* de Religione Gentilium. c. 2. *alii*.

[2] *Leges Naturales tradit* Exodi *c.* XX. *Judiciales* XXI. *uſque ad* XXIII. *Sacras c.* XXV. *uſque ad* XXX. *Sed iterum eodem libro, & in* Levitico *de iis agit; ubi alia adjungit Judicialia, & Moralia.*

Fruſtra tamen in his aliquod doctrinæ compendium & ſyſtema quæſiveris. Decalogum etenim etiamſi præcipua officiorum capita contineat; tamen nec omnia expreſſe & ſingulatim perſequitur, quæ in illis continentur; nec ea ipſa, quæ complectitur, eo ordine nectit & ponit, ut alia ex aliis deducantur, lucemque accipiant. [1] Quod eo magis de duabus poſtremis legibus dicendum eſt: quarum alia cum aliis ita ſunt præcepta conjuncta, ut non niſi poſt accuratam lectionem ordine cogi, & ſeorſum explicari poſſint. [2]

Jam vero ſcriptores Divini, qui vel dogmata, vel præcepta morum ſcripta reliquere, ut David, Salomon, Daniel, Jeremias, Jeſaias, Ezechiel, ceterique vates, qui ante, & poſt captivitatem Babyloniam ſcripſere; ii quidem non aliquam Theologiæ epitomam perſcripſerunt, nec ſyſtematica methodo uſi ſunt: ſed hinc inde ſparſa tradiderunt quædam Orientalium more. Methodus autem Orientalium in hoc ſita erat: ut parabolis, & metaphoris, & ſimilitudinibus ex rebus obviis deſumtis omnia ſignificarent, explicarentque, ingenioſo illo quidem & vehementi, ſed obſcuro dicendi genere. Quod vel ipſa Divinorum codicum lectio ſatis ſuperque efficit.

Fuere quidem a tempore Samuelis uſque ad Mala-

[1] Compendium *eſt, in quo omnia, quæ ad aliquam diſciplinam pertinent, diſtincte & ordine exponuntur*. Syſtema *eſt, in quo ita ſingula nectuntur, ut alia ex aliis ordine fluant, & rationibus confirmentur*.

[2] *Confer. quæ de his diſputat Auguſt. Calmetus Benedictinus in* Hiſtoria Veteris Teſt. *ubi leges alias ab aliis ſeparat. Præcepta Naturalia, & Politica exponit L. II. p. m. 152. uſque ad 158. Sacra vero p. 187. uſque ad 198. ubi etiam quædam Politica memorantur, quæ diverſis temporibus ſunt conſtituta*.

lachiam collegia Prophetarum, ut in Bethele, Jerichunte, Gilgale, qui Dei lumine perfuſi [1] & futura prænuntiabant, & legem Dei populos edocebant, & hymnos pangebant, rerumque conficiebant annales: ſed hi non arte ac methodo ſcripta lucubrabant, non altercando diſputabant; ſed vel vaticinationes ſuas, eo modo quo a Deo acceperant, mandabant ſcripto; vel legis Divinæ mentem, cum ab Hebræis erant interrogati, ſimpliciter aperiebant. Nimirum cum Hebræorum natio in Idololatriam nimis eſſet propenſa; Reges autem eorum invitos cogerent populos ut nefarium illud ſcelus admitterent; propterea Deus ſuſcitavit homines auctoritate plus quam humana armatos, qui Iſraeliticæ gentis, Regumque flagitia reprehenderent, iiſque mandata Dei audacter perferrent, tum futura prænuntiarent, tum veram & falſam doctrinam ſecernerent; populoſque in Orthodoxa religione & monitis, & miraculis continerent.

Quare eorum unica cura erat, ut legem, quaſi cuſtodes a Deo poſiti, puram & intemeratam ſervarent. Non illi diſceptationibus vacabant, non alia, quam, quæ ſupra memoravimus, mandabant ſcriptis: ſed auſtera vitæ diſciplina, & legis meditatione unice occupati, in hoc erant toti, ut divinæ legi auſcultarent, ceteroſque edocerent, & cohortarentur, ut Deo in rebus omnibus eſſent

[1] *Confer.* Regum L. I. c. 10. & 19. & L. IIII. c. 20. *In his aliiſque & Regum, & Jeſaiæ locis quidam viri docti cum Altingio* Hiſtor. Academ. Hebræar. *Auliſio, aliiſque diſtincte ſe ſe videre ajunt, academias prophetarum apud Hebræos, qui litteris operam darent: quod etiam placuit Levi ben Gerſon, aliiſque Judæis. Sed homines præjudiciis non impediti nihil aliud offendunt, quam collegia Prophetarum, non vero ſcholas diſciplinarum ceterarum. Confer. Sigonius* de Republic. Hebr. L. II.

eſſent morigeri. Quod ſi aliqui Pſeudoprophetæ falſam doctrinam prædicabant, Iſraelitaſque a Dei cultu avertebant; hos non argumentationibus refutabant vates divini, ſed vaticiniis & factis. Nimirum veri Prophetæ certa Dei mandata exponebant, eaque, quæ eſſent eventura, annuntiabant: eventus autem confirmabat vaticinia, atque mortalium ineptas hæſitationes, & diſputandi intemperiem reſecabat. Adeo ſine labore, qualis eſſet Orthodoxa doctrina, intelligi poterat.

Itaque Judæorum Theologica diſciplina a Moyſis ætate uſque ad captivitatem Babyloniam in eo poſita erat, ut legem a Deo traditam, & Sacris litteris contentam executioni mandarent: ac ceteros informarent iiſdem præceptis, continerentque exſpectatione venturi Meſſiæ; cujus characteres diſtincte expoſuerunt vates recentiores. [1] Quod munus docendi Sacerdotes, qui a Deo doctores erant conſtituti, [2] & Prophetæ ipſi etiam in Captivitate

[1] *Conſtant hæc ex ipſis Prophetarum ſcriptis, qui paſſim hæc prædicant. Nam Jeſaias, & Michæas naſciturum ex Virgine prænuntiant, idque Bethleemi: nec id ſolum ſed etiam Deum fore. De triplici Meſſiæ munere, regio, prophetico, ſacerdotali, iidem Jeſaias, & Michæas, itemque Jeremias. Rurſum de miraculis Jeſaias, & de paſſione, & morte, & redemptione. De reſurrectione Chriſti inter alios Hoſeas. De vocatione gentium per Apoſtolos Jeſaias paſſim; nec non Jeremias, Amos, Michæas. Poſtremo de reprobatione Judæorum Jeremias prædicit. Loca brevitatis cauſſa non addo.*

[2] „ *Dixit Dominus ad Aaron . . . . : ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum;* „ *inter pollutum, & mundum: doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea; quæ locutus eſt Dominus ad eos per* „ *manus Moyſis*. Levitic. c. x. §. 10. 11.

te [1] præter ceteros adimplebant. Et hæc ſub Judicibus, & Regibus ad exitum uſque Babyloniæ captivitatis.

CAPUT IIII.

De theologia Judæorum ab inſtauratione poſterioris Templi uſque ad ejuſdem everſionem ſub Veſpaſiano Cæſare.

USu & conſuetudine Chaldæorum in ſervitute Babylonia homines Judæi ſi non dogmata præcipua, quæ divino præſidio, idque opera Danielis, & Ezechielis [2] intemerata manſerunt, ſaltim domeſticos ritus, externumque Divini numinis cultum, deſtructo templo, ac remotis ſacrificiis, ex animo deleverunt. Qua de cauſſa cum ipſi ad patrias ſedes reverterentur, quod annis CCCCCXXXVI. ante æram Chriſtianam evenit, ducibus Zorobabele, Nehemia, Mardochai, ceteriſque viris principibus; urbemque Jeruſalem, & templum a fundamentis erigerent; Deus ſuſcitavit Eſdram, Haggæum, Zachariam, Malachiam, viros divino ſpiritu adflatos, qui & rempublicam Judæorum ſapientiſſimis legibus temperarent, & rem omnem ſacram ac ritus ad veteris religionis formam inſtituerent.

Eſdras itaque, qui & *ſcriba legis*, ſeu divini ſermonis callentiſſimus, & critica eruditione politus erat; Divinos codices emendavit, ordine poſuit, deſcripſit, & religionem ad priſtinum exemplar formavit. Ajunt Judæi, tantam fuiſſe Eſdræ eruditionem, tam multis & reconditis diſciplinis valuiſſe, ut cum nemine mortalium ſit comparandus. Sed hæc ulterius non perſequemur. Ce-

[1] *Conferantur* Ezechielis c. VIII. I. & XIIII. I. & XXXIII. 31. ſeqq.

[2] *Confer.* c. VIII. I. XIIII. I. XXXIII. 31. *ſeqq.*

[1] Ceteri autem vates monendo, docendo, reprehendendo, Judæos in officio continuerunt: eoſque identidem excitarunt Meſſiæ adventu, ut veterem religionem retinerent: quod præſertim fecit Zacharias, & Haggæus. [2] Quædam etiam religionis noſtræ capita explicatius tradita ſunt ab iiſdem prophetis. Nam ſacroſanctum Trinitatis myſterium haud obſcure deſcripſit Haggæus. [3] De ſcriptura Sacra, de Deo uno, & trino luculenter Zacharias egit. [4] Item de reſurrectione mortuorum, ac purgatorio clarius locuti ſunt. [5] Cetera eodem modo, quo antea, expoſuerunt in ſynagogis ſuis. [6]

At poſt Malachiæ obitum, cum deſiiſſet inter Judæos adflatus divinus, & jam nuſquam eſſent divinorum ora-

---

[1] *Quæ de eo referunt Judæi habentur apud Baſnagium* Hiſt. Jud. *L. III. c. 5. §.* 1. ſeq. *&* *Buxtorffium* Tiberiad. c. x. p. *99.* ſeqq.

[2] *Confer. Raym. Martini in* Pugione Fidei P. II. c.*9.*

[3] *C II. 4. 5.*

[4] *Confer. Joan. Georg. Dorſcheus in* Theologiæ Zacharianæ ſynopſi, *parte altera*.

[5] *Habetur ex* Machab. L.II. c.VII.*9.* *&* c. XIIII.*46.*

[6] *Sub poſteriori templo conditæ ſunt plures ſynagogæ, in quas confluerent Judæi, ut ſectionem quamdam legis ſingulis diebus auſcultarent, ibique orarent: quibus currente tempore addiderunt ſectionem aliquam ex Prophetis. Plurimæ in Jeruſalem memorantur, itemque aliis in locis. Præter ſynagogas fuère itidem ſcholæ plurimæ, in quibus interiora Sacræ doctrinæ capita exponebantur a doctoribus Judæis: id eſt, Sacra ſcriptura ad allegoriam trahebatur: traditiones proponebantur & explicabantur. Hæc eodem fere tempore apertæ ſunt. Confer. Maimonides* in Tract. Thephillah. cap. XI. *Etiam peregrini Judæi ſcholas ſuas Hieroſolymis habuerunt: ut habetur ex* Actor. VI. *9.*

oraculorum conſulti, in quorum verbis ineſſet plena fides, continuo Judæi doctores proprio ingenio indulgentes, planam illam ac ſimplicem docendi viam, quam a majoribus acceperant, contempſerunt: & novis controverſiis ſeu quæſtionibus, quas ex Sacris libris promebant, totam implicarunt familiam Judæorum. Nam cum aliqui doctores divinæ legis præceptis, quæ in Bibliis continebantur, contenti non eſſent; ſcirent autem quædam ore tenus apud eos ſervari, [1] iis alia multa addiderunt, & traditiones quaſdam finxerunt, quibus legem interpretati ſunt: & ad externam quamdam diſciplinam, diverſam a veteri Judæorum, flexerunt, ac *legem Oralem* appellarunt. Alii e contrario legis verbis tenaciter adhæſerunt, eamque contra primos defenderunt. Ex quorum diſcrepantia natæ ſunt ſectæ Sadducæorum, Karaitarum, Phariſæorum, & Eſſenorum, quæ Judaicam omnem theologiam abſolvunt. [2]

De iis vero ante quam ſingulatim dicimus, in univerſum monemus, has ſectas non in omnibus diſcrepare Fidei articulis, ſed in quibuſdam convenire. Principio in eo

[1] *Præter dogmata, quæ in lege Naturæ traditione ſervabantur, de quibus ſupra, quædam etiam ore tenus tradita fuere Hebræis, & quaſi de manu in manum pervenerunt ad ultimos. v. g.* Libros canonicos eſſe divinos. Eſſe aliquod remedium, quo deleretur originale peccatum mulierum. Cruenta ſacrificia ſignificare mortem Chriſti, *cetera. Hæc divina erant. Verum Phariſæi germanis iſtis traditionibus poſtrema ætate falſas plurimas addiderunt.*

[2] *Fuere inter Judæos aliæ ſectæ minoris momenti, ut* Herodiani, Galilæi, Legiſperiti, Scribæ. *Sed hæ dogmatibus non diſcriminabantur. Conſule Euſebium* Hiſt. Eccleſ. *L. IIII. c. 22. ex Recentioribus Buddeum* Introd. ad Hiſt. Philoſ. Hebræor.

eo conveniebant, quod unum Deum mundi conditorem colendum eſſe putarent. Quod legem a Moſe latam Deum auctorem habere. Quod Iſraelitas præter ceteras nationes a Deo delectos eſſe cenſerent, ut ſempiternum cum iis fœdus ſanciret. Qua de cauſſa iis, non reliquis, omnia officia erant præſtanda. [1] Hæc communia: cetera diſcrepabant, de quibus ordine eſt conſiderandum.

I. *Sadducæorum* origo incerta & obſcura. Veriſimilius videtur, paullo poſt Eſdram non nullos Judæos, qui Traditionem omnem reſpuiſſent, nec niſi legem ad verbum ſequi voluiſſent, hujus ſectæ conditores exſtitiſſe. His acceſſit Antigonus Sochæus, qui cum auctor eſſet Judæis, ut Deum non amore ſervili, & propter mercedem temporariam & terrenam, ut plerique omnes faciebant Judæi, ſed amore filiorum, & quaſi nullam umquam mercedem eſſent habituri, ſervirent; occaſio fuit Sadocko diſcipulo, ut ex verbis præceptoris perperam intellectis ſectam quamdam inſtitueret; quæ & mature inter Judæos floruit, & tanta auctoritate gaviſa eſt, ut nobiliores, & ditiores in ſinu ſuo numerarit: præſertim poſtea quam Hyrcanus Judæorum princeps, & pontifex ſummus illi nomen dedit. Verum hæc ſecta poſt everſam funditus Jeruſalem ſub Tito Cæſare tantum non omnis extincta eſt, & locum ceſſit Phariſæis.

Præcipua *Sadducæorum* dogmata hæc ſunt. 1. Retinendam eſſe Sacrorum codicum litteram: traditiones vero omnes, quæ ſcriptis non continentur, abjiciendas. [2] 2. Ange-

[1] *Ex veteribus aliquot ſcriptoribus hæc colligit Moſhemius* Hiſt. Eccleſ. ſæcul. I. *Part. I. c. 2. pag.* 76.

[2] „ *Nunc enim judicandum eſt, quo multas conſtitu-* „ *tiones a majoribus per manus acceptas Phariſæi tradi-* „ *derint populo, quæ non ſunt ſcriptæ inter leges Moſai-* *cas:*

Angelos, & ſpiritus per ſe ſubſiſtentes nullos eſſe. [1] 3. Animam ſeu ſpiritum extingui cum corpore, [2] 4. Nullam fore humanorum corporum inſtaurationem, ſeu reſurrectionem. 5. Nullum eſſe influxum Dei in actiones humanas, ſed quemque propriis voluntatis præſidiis poſſe & bonum, & malum agere: id eſt, ſine Dei adjutorio felicitatis, & infelicitatis ſuæ conditorem ſibi eſſe poſſe. Tamen admittebant, Deum in hac vita & præmia, & pœnas tribuere pro meritis, [3] 6. Bonorum operum mercedem, ſcelerumque pœnam non niſi in hac vita admitti poſſe dicebant. [4] Polygamiam eſſe damnandam putabant. [5] Verbo dicam, ſi unum excipias, nimirum putaſſe eos, Deum creaſſe mundum, & providentia ſua eumdem adminiſtrare, cetera erant Deiſtæ Epicurei. Reliquis, quæ ad eorum mores, ſeveritatem in judicando, & cultum Leviticum ſpectant, in quibus non nihil ipſi receſſerunt a Phariſæis, hoc tempore ſuperſedemus. [6]

Quamquam vero tam perverſa dogmata defenderent *Sadducæi*; [7] tamen quia externam diſciplinam Judaicam

---

„ *cas: & ideo Sadducæi his auctoritatem abrogant, dicen-*
„ *tes, oportere eas tantum ſervari, quæ ſcripto contine-*
„ *rentur. Atque hinc magna inter utroſque exorta eſt con-*
„ *troverſia, dum ditiores ſtant a partibus Sadducæorum,*
„ *Phariſæi multitudinis utuntur favoribus.* Joſephus *Antiquit. Judaic. L. XIII. c. 18. p. m.* 453.

[1] *Lucæ* Actor. c. XXIII. 8. *Joſeph. ib. L. XVIII. c.* 2.

[2] *Joſephus ib. p.* 617.

[3] *Id. de* Bello Jud. *L. II. c.* 12. *p.* 788.

[4] *Huc reſpicit Paullus in* Actis Apoſtol. *c.* XXIII. *6.*

[5] *Baſnag.* Hiſt. Jud. *L. II. c.* 14. *p.* 358.

[6] *Conferantur Calmetus, Sigonius, Serarius de* Sadducæorum ſecta.

[7] *Eorum errores caſtigat Chriſtus* Matth. XXII. 23.

cam admittebant, ſacrificiiſque Deum placabant, idque ritu Levitarum, atque Meſſiam ſperabant; & ad Synedrium, ſeu ſummum Judæorum conſilium, & ad Pontificatum aditus illis patebat: nam Caiphaſus, & Ananus junior Pontifices Maximi, ex *Sadducæorum* familia erant profecti. [1]

II. Alteram Judæorum ſectam faciunt *Karaitæ* ſeu *Karæi*, qui eodem tempore, quo Sadducæi, nati videntur. Hi mediam quamdam viam tenent inter Sadducæos, & Phariſæos. Nimirum Scripturam ipſam ſequuntur ad verbum, ex quo nomen habuere Karaitarum, [2] quod erat Sadducæorum: tamen horum inpia dogmata rejiciunt, quod illis cum Phariſæis commune eſt. Verum tempore invaleſcentibus Phariſæis, qui *Karæos* vatiniano odio proſequebantur, valde exinanita fuit *Karæorum* ſecta, præſertim poſt Jeruſalem poſtremum excidium. Sed iterum renata fuit medio VIII. ſæculo Chriſtiani nominis: & etiam hac ætate apud Turcas, Moſcovitas, & Lithuanos eorum plurimi inveniuntur. [3] Sed *Karæorum* nomen adeo inviſum eſt Judæis, ut citius cum Chriſtianis, & Turcis fœdus ineant, quam cum illis: & *Karæi* nomen apud Judæos non ſecus ac perverſi Hæretici, & inpudentiſſimi Athei nomen habeatur. [4]

Karæorum dogmata alicujus ponderis huc redeunt. 1. Nul-

---

[1] *Joſephus* Antiq. *L. XX. c.*15. *Conferatur* Actor. Ap. c. v. 17.

[2] *Hoc vocabulum ſignificat* textuarium, *ſive* ſcripturarium: *vide Buxtorfium* Lexic. Thalmudic. *p.* 2111.

[3] *Hottingerus* Theſaur. Philolog. *inter addenda*. *p.* 583.

[4] *Baſnag. l. c. p.* 438. *ſeq. Forſan* Karæorum *nomen non niſi multo poſt Chriſtum natum, iis. qui ex hac diſciplina diſputarunt. tributum fuit.*

Nullam aliam Fidei, Morumve regulam eſſe admittendam, præter libros Moſis, & Prophetarum. Ex hoc dogmate cetera fluunt. 2. Non eſſe admittendam legem *Oralem*, qualem ponebant Phariſæi, ejuſdem auctoritatis cum lege ſcripta. 3. Admittendam eſſe interpretationem legis eam tantum, quæ litteræ ſit conſentanea, innixam legibus hermeneuticis: ceteras interpretandi formas rejiciendas. 4. Fundamentales articuli, uti loqui ſolent, decem ſunt. Quod quidquid in orbibus eſt, creatum eſt. Quod creator ſit increatus. Quod ſit unicus, & nullus illi ſimilis. Ceteri articuli ad veritatem legis Moſaicæ, ac Meſſiam, & Reſurrectionem pertinent. Addunt alia quædam tum ad Fidem, tum Mores ſpectantia, quæ contemnenda non ſunt: quæque hoc loco copioſius inluſtrare me vetat conſilium operis. Legi poſſunt apud eos, qui de his dedita opera pertractarunt. [1]

III. *Phariſæorum* ſectæ initium, ut ceterarum, ignotum eſt: ſed haud longo intervallo poſt Eſdram ea ortum habuit, & ſenſim crevit: nam Hyrcani, filiorumque Ariſtobuli, & Alexandri ætate magna in veneratione fuit. [2] Et niſi nos omnia fallunt, condendæ ſectæ Sadducæorum fuit occaſio. Nam cum mature poſt reditum e Babylone traditiones obtinuerint, iiſque, non ſecus ac legi, qui pietati magis dediti videbantur, ſervirent; factum eſt, ut tractu temporis magis traditioni cuidam fictæ, ſub *legis Oralis* nomine, quam Sacro textui, auſcultarent *Phariſæi*. Quibus ex altera parte reſpondebant Sadducæi, qui traditam doctrinam omnem reſpuebant.

[1] *De Karæis agit Triglandius ſingulari libro. Baſnagius* Hiſt. Jud. *l. c. Morinus* Exercit. Biblic. *L. II. exerc.* 7. *Simonius* Hiſt. Critic. Vet. Teſt. *c.* 28. *& alii.*

[2] *Jonathæ Pontif. ætate jam nobilem fuiſſe hanc ſectam, ait Joſephus l. c. c. 9. p.* 442.

bant. Id certum eſt, *Phariſæos* currente tempore nimis multas ineptias admiſiſſe, & legem ſcriptam omnem ſuis commentis depravaſſe: [1] magiſque fucatæ pietati, quam veræ, operam dediſſe: ex quo in magna innocentiæ & pietatis opinione apud Iſraelitas fuere: quos propterea, quo vellent, flectebant, & cogebant ſervire eorum cupiditatibus. De quibus flagitiis eos non ſemel reprehendit Chriſtus, eorumdem calliditatem, verſutiam, hypocriſin, & malas artes patefaciens. [2] Et ab hac ſtrictiori vitæ ratione, quam adſectabant, oſtentabantque, & qua a ceteris Judæis ſejuncti eſſe cupiebant, habuere nomen *Phariſæorum*. [3] Hæc ſecta præter ceteras celebris fuit & copioſa: & multo latius patuit poſt ſæculum II. Chriſtianum: id eſt, poſt conditum Thalmud, qui ex his traditionibus pæne totus componitur. Immo hac ætate omnes Judæi, ſi Karæos excipias, ex eadem diſciplina philoſophantur, etiamſi nomen *Phariſæorum* non habeant. [4]

Porro autem *Phariſæorum* dogmata nimis multa memorantur: nos inluſtriora percenſebimus. 1. Eſt, præter legem Scriptam, lex quædam *Oralis*, quam Deus in Sinai tradidit Moyſi per angelum Metraton, & quæ quaſi de manu in manum ad ceteros Judæos venit: cui obtemperare debemus, immo vero legi Scriptæ aliquando eam anteponere. 2. Ex obſervantia utriuſque legis adquiritur ſanctitas & juſtitia: ad quam adquirendam habet homo tot

[1] Matthæi *XV.* Marci *VII.*

[2] Matth. *C. XXVIII. 1. ſeq. & XV. 6. XXIII. 1.* Lucæ *XI. 39. ſeqq.*

[3] *A voce* פרש pharas, *quæ ſignificat* ſeparare. *Nicolai ad Sigonium de* Repub. Hebræor. *p. 421. Buxtorf.* Lexic. Rabbinic.

[4] *Confer. Menaſſe Ben Iſrael* de Termino Vitæ *L. I. ſ. 3. p. 19.*

tot ac tanta præſidia, ut arbitrii ſui viribus non ſolum *juſtitiam* conſequatur, ſed etiam eligat opera *ſupererogatoria*, id eſt, quæ ſuperent juſtitiam a lege præceptam. Merito aiunt eruditi, hoc dogma eſſe uberrimum fontem, ex quo cetera placita Phariſaica fluunt. 3. Ad obtinendam juſtitiam neceſſe eſt, ut homo ſatisfaciat Deo vel jejuniis, vel eleemoſynis, vel alio expiationis genere. 4. Hæc juſtitia externis operibus adquiri poteſt: nam prava cogitatio cordis inter peccata non ponitur, niſi actionem externam eliciat: quod liberi arbitrii viribus acceptum referunt. 5. Deus conditor cæli, & terræ providet rebus mundanis: hominumque actiones adjuvat ſalva libertate humana, ita ut bonum facere, vel non facere poſſit. 6. Deus & in hac vita, & in futura præmia, & pœnas pro meritis tribuit. 7. Eſt quædam *metempſychoſis* ſeu tranſmigratio bonorum animorum in alia corpora: nam mali æternis cruciatibus addicuntur. 8. Anima ſejuncta a corpore, angelique ſunt ſpiritus per ſe ſubſiſtentes. 9. Expectanda eſt corporum reſurrectio. Et hæc de dogmate: nam, quæ ad ritus *Phariſaicos* pertinent, in quibus eorum cura omnis conſumebatur, non eſt hujus loci exponere. [1]

IIII. Quarta Judæorum ſecta eſt *Eſſena*, cujus initium liquido cognoſci non poteſt. Id ſcimus, Jonathæ Maccabæi, Hyrcanique regis ætate jam natam eſſe. [2] Nec injuria ſuſpicantur viri docti, vaſtantibus Aſſyriis, &

[1] *De Phariſæis plurimi ſcripſerunt præter Joſephum. In hoc argumento verſati ſunt ex Catholicis Serarius, Lamyus, Calmetus, Natalis Alexander, & Sigonius* de Republ. Hebræor. *Ex Hæreticis, Buddeus* Hiſt. Philoſ. Hebræor. *Baſnagius, Druſius, Scaliger, ceteri. Confer. Wolfius* Biblioth. Hebr. P. II. p. 815. ſeqq.

[2] *Joſephus*, Antiq. Jud. L. XIII. *c. 9. p.* 442.

Babyloniis Palæſtinam, Judæos aliquos ad Aegypti deſerta loca confugiſſe, quo facilius tutiuſque laterent: qui tempore ſuccedente ex conſuetudine Pythagoreorum, quorum ultimi Italia pulſi, fugatique, necatis ſociis, ætate Ptolemæi Lagi ad Aegyptum confugerant, & eremiticam vitam faciebant; Pythagoreorum placita non nulla, & vivendi formam admiſiſſe: ex quo curſu temporis hæc ſecta exſtitit: quæ non modo in Aegypto ſedem poſuit, ſed etiam alias provincias pervaſit.

Hi homines in vicis & pagis habitabant, urbes fugiebant, agriculturæ præſertim dabant operam, & magis vitæ diſciplina auſteriſſima, quam placitis, a reliquis Hebræis erant ſemoti. Veruntamen in non nullis ab iiſdem diſſentiebant. 1. Ponebant animam inmortalem, ſed ex ſubtiliſſimo æthere carptam, quæ corpore tamquam carcere naturali quadam inclinatione includeretur. A quo cum ſeparantur, quæ bonæ ſunt, in locum quemdam perpetuæ voluptatis ultra Oceanum dimittuntur: quæ malæ, in tenebricoſas & horridas detruduntur ſpecus, ut ibi dies noctesque torqueantur. 2. Deinde putabant, ex divinæ providentiæ decreto cuncta derivari: nec quidquam hominibus præter Fati decretum accidere poſſe: ideo abſolutam prædeſtinationem, uti vocant, ponebant, tollebantque libertatem. 3. Matrimonium non nulli admittebant, alii non item. 4. Morali diſciplinæ anxie vacabant, eamque non diſputationibus colebant, ſed vitæ actionibus exprimere curabant: tamen qui doctiores erant, aliis explanabant præcepta, iiſque diſcipuli religioſe auſcultabant. Præcepta vero ad hæc tria revocabantur: amorem Dei, amorem virtutis, amorem proximi. 5. In patriis legibus explanandis præcipuam curam ponebant: & tum ſcriptam, tum traditam legem, inſtar Phariſæorum, amplexabantur. Legem autem ceteraque præcepta ſymbolis, Pythagoreorum more, velabant: ſuiſque, &

pue-

pueris, quos in diſciplinam recipiebant, declarabant eadem ratione. [1]

Præter Eſſenos, qui in Palæſtina, & Aegypto habitabant, & qui vitæ *activæ*, uti vocant, dabant operam; aliam Eſſenorum claſſem memorat Philo, quos *Therapeutas* vocat, qui in Aegypti ſolitudine vixerunt. Hi contemplationi rerum divinarum ante alios vacabant: ex quo *Therapeutarum* vocabulo nominati ſunt. Scripturam ad allegoriam flectebant *Therapeutæ*, & Aegyptiorum, ac Pythagoreorum dicendi via verba omnia ſententiaſque interpretabantur: eaſque conſignabant ſcriptis, interpretationeſque adſervabant. Adeoque ex Gentilium philoſophorum placitis, quæ in Aegypto celebrabantur, eoſdem quædam ſumſiſſe veriſimile eſt.

Incredibile dictu eſt, quot jurgia, & altercationes hæc Philonis narratio inter viros doctos commoverit: dum alii contendunt, fuiſſe eos Judæos, alii Gentiles putant, quidam vero Chriſtianos. [2] Nobis ſine præjudicio rem omnem æſtimantibus dicendum videtur, magis Philoni, quam Recentioribus, eſſe credendum, qui eos Judæos facit ex Eſſenorum diſciplina: & talia de illis prodidit memoriæ, quæ non niſi in Eſſenos quadrant. Nihil

 igi-

[1] *De Eſſenis præter Joſephum de* Bello Jud. *L. II.* 12. *&* Antiq. Jud. *L. XVIII.* 2. *& Philonem in libro* Omnis probus liber. *p.* 876. *edit. Pariſ. diſputant illi paullo ante nominati: quibus addi poteſt Prideaux* Hiſt. Judæor. Tom. V. L. XIII. p. m. 73. ſeqq. *Moshemius* Inſt. Hiſt. Eccleſ. Sæc. I. P. I. c. 2. §. 12. *ceteros dabit Wolfius loco citato pag.* 817. *ſeqq.*

[2] Therapeutas *fuiſſe ex Judæis Chriſtianos, contendit inter alios le Brun, & Cl. Montfauconius ſingulari libro demonſtrare: cui reſpondit doctiſſimus Bouhierius. Adde Cotellerium* Patres Apoſtolici.

igitur prohibet ſuſpicari, fuiſſe collegia aliqua Eſſenorum, qui maiori contentione meditationi legis vacaverint: cum certo ſciamus, Eſſenos non omnes iiſdem artibus addictos fuiſſe, tametſi communia præcepta ad unum omnes ſervaverint: nec eodem tempore ortos, nec ab eodem Legislatore leges accepiſſe: ſed ſenſim & pedetentim ſocietates conſtituiſſe, quarum aliæ aliis ſeverioribus legibus adſtringi potuere. Quare ſua veritas ſtat narrationi Philonis.

Hæ ſunt Judæorum ſectæ, quæ ſub Templo poſteriori natæ, altercationes graviſſimas ſuſcitarunt, totamque exercuerunt Judæorum gentem. Dogmata quæ fuerint, vidiſtis: quod vero ad tradendi viam, diſputandique pertinet, pauca dicenda ſunt. Ac primum nullis exſtantibus antiquis monumentis, vix certo cognoſci poteſt, quo ordine & ratione diſputarint. Unum ſupereſt, ut partim ex Sacris libris *Sapientiæ*, & *Eccleſiaſtici*, qui poſt captivitatem Babyloniam conſcripti fuere; [1] partim ex fragmentis librorum Hillelis ſenioris ſeu Babylonii, qui CXII. annos ante Chriſtum natus eſt;[2] quæ habentur in Thal-

[1] *Confer. Bartoloccius* Biblioth. Magna Rabbinic. Tom. I. p. 683. ſeq.

[2] *Senior Hillel pater Simeonis illius, qui Chriſtum ulnis excepit, celebris doctor inter Judæos fuit: diſcipulum habuit R. Schammai doctum hominem. Ex his duplex diſciplina orta eſt, quarum altera cum altera ſtrenue decertavit. Confer. Liber* Juchaſin p. 19. *Tanta utriuſque fuit apud Judæos auctoritas, ut utriuſque dicta licet ſibi repugnantia vera eſſe, immo tamquam divina oracula recipienda eſſe, dicant doctores Thalmudici in* Cod ic. Erubhim *c. 1. Confer. Bartoloccius. l. c.* Tom. II. p. 787. ſeqq.

Thalmude;[1] & ex ſcriptis Philonis Alexandrini,qui ſub Caio, & Claudio imperatoribus floruit; ceteriſque, qui haud multo poſt litteris operam dederunt, conjecturam faciamus. Cum enim *Sapientia* a Philone ſeniore, ut putant aliqui, vel ab alio Judæo Græcis litteris erudito, eoque divinitus inſpirato, ex Salomonis regis ſententiis decerpta fuerit; [2] Jeſu vero *Siracidis* abnepos *Eccleſiaſticum* divinum librum in Aegypto invenerit, & ex Hebræo Græcum fecerit; [3] omnino eſt veriſimile, utrumque ex diſciplina ſui ſæculi ſcripſiſſe: eo magis, quod *Sapientiæ* dicendi ratio Græcam, ut ait Hieronymus, eloquentiam redolet. Quod ſi prædictos libros pervolutamus, reperiemus, non modo ſcriptores Divinos, [4] verum etiam doctores ceteros morales ſententias allegorica diſputandi via expoſuiſſe: quæ conſuetudo in Aegypto invaluerat, & Palæſtina.

Quare haud injuria ſuſpicantur viri docti, Judæos doctores reliquos eadem ſcribendi, legemque interpretandi ratione uſos fuiſſe: [5] niſi quod non ſolum talem dicendi viam admiſerunt non nulli, ſed etiam placita quædam Philoſophica, quæ in Aegypto dominabantur, ad-

[1] *In Miſchna* Cod. Avoth. *Cap. I. & II. exſtant dicta quædam Hillelis, quæ ad doctrinam moralem pertinent. Confer. Abarbanel in* Nachaloth Avoth. C. I.

[2] *Conferatur Huetius* Demonſtratione Evang. P. 4.

[3] *Confer.* Præfatio Eccleſiaſtici.

[4] *Legatis præter analyſin prædictorum librorum, quam facit Graveſon loco cit. libros ipſos ſacros* Eccleſiaſtici, & Sapientiæ.

[5] *Confer quæ de Eleazare refert Ariſteas* in Hiſtor. LXX. Interpret. *& de Ariſtobulo refert Origenes* Contra Celſum L. IIII. p. 198.

miſcuere domeſticæ eruditioni. [1] Teſtes ſunt luculenti Therapeutæ, qui ſymbolis, & allegoriis ſua docuerunt & tractarunt, legemque hac ratione interpretati ſunt. Quem morem ab Aegypto ad Palæſtinam perveniſſe, teſtis eſt gravis auctor Joſephus. [2] Id ipſum oſtendunt ſcripta Philonis: in quibus vir doctus, & ingenio valens, placita quædam Alexandrina cum lege conjungit, eamque ad allegoriam de more inflectit, idque plerumque ſine ullo ordine. Addi his poſſunt, quo facilius Judæorum ſcribendi ratio cognoſcatur tota, ceteri doctores Judæi, qui paullo poſt everſionem ſecundi Templi floruere: ut Rabbi Akibba, auctor libri *Jezirah*, & Rabbi Schimeon Ben Jochai, qui librum *Sohar* ſcripſit, ceterique, qui de philoſophia Cabbaliſtica copioſe conſcripſerunt. [3] Sed præter ceteros codices, *Thalmud*, in quo & Veterum, & Recentiorum traditiones expoſitioneſque continentur, plane oſtendit, Judæos allegorica ſcribendi ratione ſumme eſſe delectatos: itemque conciſo & obſcuro dicendi genere capita quædam moralis doctrinæ expoſuiſſe, idque nul-

[1] *Florente eccleſia Judæorum, Ethnicorum doctrina ab Judæis ſedulo rejecta fuit: immo cum Haſmonæorum ætate quidam Judæi Helleniſtæ, id eſt, qui apud Græcos vivebant, eorumque lingua utebantur, Græcam philoſophiam ediſcerent; ne quid reſpublica eorum caperet detrimenti, conditum fuit ab Synagoga tale decretum:* Maledictus ſit quiſquis filium ſuum docuerit ſapientiam Græcam: *ut habetur in* Gemara *tract.* Hav. Kam. f. 82. *Sed paullo poſt invaluit malum, & placita quædam Græcorum, præſertim Aegyptiorum, ab doctoribus Judæis admiſſa ſunt & Alexandriæ, & in Palæſtina.*

[2] Antiquit. Jud Prœmio p. 3.

[3] *Confer. Wolfius* Biblioth. Hebr. *T. I. p.* 955.

nullo ordine, exiguo judicio. [1] Sed hæc nos a propoſito longe ducerent, quod hoc tempore non eſt neceſſe. Satis enim eſt ea adtingere, ex quibus cognoſcatur, qualis fuerit Sacram doctrinam tradendi ratio, tum publica, tum arcana, quam ſequebantur Judæi. [2]

Unum

---

[1] Thalmud *eſt codex univerſæ doctrinæ, ac religionis Judæorum. Nimirum Eſdras, ut veterem ſynagogam inſtauraret diligenter perſcrutatus eſt, quænam fuerat majorum doctrina, germanamque ab aliis ſeparavit, & ſapientioribus narravit. At qui poſt fuere, cum ex ea quædam argumentando deducerent, occaſio fuere, cur ineptæ interpretationes ſine ullo fine augerentur, & eadem exciperentur veneratione, ac lex ipſa. Quare medium circiter ſecundum ſæculum Chriſti Simeon Hachadosh Tiberienſis eas, ne e memoria delerentur, litteris conſignavit, & ſex libris diſpoſuit, quam vocant* Miſchna. *Corpus hoc doctrinæ primum doctores Hieroſolymarii expoſuerunt copioſiſſime, idque circiter annum Chriſti CCC. quam expoſitionem vocant* Gemara. *Deinde Judæi Babylonii idem præſtiterunt inito ſæculo VI. & ex* Miſchna, & Gemara *conſtat* Thalmud. *uterque. Hieroſolymarii* Thalmud *exigua apud eos eſt auctoritas, obſcuritas vero incredibilis. Contra* Thalmud *Babylonius ſummo in pretio eſt: & in eo, qui litteris vacant, &* Rabbi *vocari amant, laborem & operam conſumunt. Incredibile dictu eſt, quot nugas, & ineptias contineat uterque* Thalmud. *Eum tamen Maimonides vir doctus inter Judæos compendifecit, reſecatis nugis & fabulis. Quo ipſo magnum apud doctos homines ſibi nomen fecit.*

[2] Cabbalam *vocant Judæi artem eruendi ex Sacris codicibus myſticum & arcanum ſenſum: [allegoricum, tropologicum, anagogicum, eoſque reconditiſſimos] quæ ars oretenus, ut aiunt, tradita fuit ſub ſymbolis, non omnibus Judæis*

Unum prætereuntes monemus, Judæos ante Chriſtum natum nullum aliud Theologiæ compendium, præter Decalogum, habuiſſe: nec animum induxiſſe, ut dogmata, quæ credebant, certo ordine ac ratione conſignarent ſcriptis: quod ipſum longo poſt tempore fecere. [1] Et de Judaica theologia hactenus.

C A-

dæis, ſed doctioribus. Hanc veteres Judæi præſertim Phariſæi ante Chriſtum ſequebantur, eaque plerumque conſtat Thalmud. Recentiores poſt conditum Thalmud aliam addidere Cabbalæ *ſpeciem, quæ tota occupatur in reperiendis myſteriis in ipſis litteris alphabeti, quæ in Bibliis occurrunt, hac & illa ratione conjunctis, & ſeparatis: hæc tota eſt nugatoria. Utraque tamen uſque ad hoc tempus mirifice delectantur ipſi. Tertium* Cabbalæ *genus, quod morborum curationem, incantationes, miracula, & ſimilia jactat, a magia non differt, adeoque execrandum eſt. Vide Morinum* Exercit. Bibl. L. II. Exerc. II. c. 5. *De* Cabbala *agunt Archangelus Burgonovenſis Minorita* Interpretationes in ſelectiora Cabbaliſtarum dogmata, *& Reuchlinus* de Arte Cabbaliſtica. *Ex Recentioribus Henricus Morus, & Chriſtianus Knorrius a Roſenroht luculenter de* Cabbala *diſputarunt: & ii quidem non ſine cura legendi.*

[1] *Primus, qui dogmata Judaica ordine conſcripſit, & ad certa capita revocavit, fuit Saadias Gaon, qui ſæculo Chriſti X. librum Arabice ſcripſit h. t.* Sepher Haaemunah, *ſeu* Liber de Fide, *cujus compendium fecit Hottingerus* in Biblioth. *Id ipſum condidit ſæculo XII. Maimonides, & ceteri deinceps: ſed præter ceteros Maimonides ſuorum plauſum habuit: iſque auctor fuit Judæis, ut Ariſtotelicum philoſophandi genus amplecterentur.*

Caput V.

De Theologia Chriſtianorum uſque ad III. ſæculi finem.

PErvenimus ad Theologiæ firmam ætatem, ſcilicet ad tempora Jeſu Chriſti, in quibus ipſa incrementum omne, quod habitura erat, obtinuit: immo quamdam maturitatem adepta eſt, in qua uſque ad finem mundi divino præſidio duratura eſt. Erat enim Chriſtus veteris legis ſcopus præcipuus: cui operi præluſerat Deus per quater mille annos & amplius, mirifico apparatu excitans Fideles ad illius contemplationem. Omnia enim, quæ contingebant Hebræis, venturi Meſſiæ erant figura: omnia ad Chriſtum referebantur, quem Vetus eccleſia ſperabat, & Nova conditorem habitura erat. Qui quidem non legem Moſis abrogare venit, ſed adimplere: e qua jota unum, aut unus apex non præteriit.

Et quidem Spiritus S. beneficio omnia Fidei dogmata uno eodemque tempore Apoſtolis tradita fuere, & explicata: ut divina myſteria intelligerent ipſi, eamdemque doctrinam Eccleſiæ traderent. Nullum deinceps novum dogma, quod latuiſſet Apoſtolos, faciendum erat. Omnia proviſa erant & conſtituta. Unum promiſerat Deus, nimirum Eccleſiæ ſuæ mirabili modo opitulari, eamque moderari, ne aliam, quam divinitus traditam doctrinam, amplecteretur ipſa, ceteriſque inſtillaret. [1]

Quamquam vero dogmata omnia ſumma religione in Eccleſia ſervata fuerint, tamen non eodem tempore, nec eadem explicandi ratione & claritate Fidelibus manifeſtata ſunt: ſed pro varia occaſione, mature alia, alia ſerius; quædam aperte, alia ſubobſcure tradita ſunt. Ex quo

[1] Matth. C. ult. v. 19. 20.

quo varietas hæc exſiſtit, quæ hiſtoriam Theologicam facit. Quare de hac hiſtoriæ parte diſputabimus hoc loco, ſi primum monuerimus, non de natura Theologiæ, quæ invariata permanet, ſed de vario uſu, ac ratione explicandi Sacram ſcientiam futurum eſſe ſermonem. Sed ad rem ipſam veniamus.

Chriſtus Liberator noſter docturus Judæos ea, quæ in Veteri eccleſia præfigurata erant, ea diſputandi ratione uſus eſt, quæ apud Judæos, & Orientales inveteraverat. [1] Nimirum non ſolum cum apud rudiores loqueretur, [2] ſed etiam cum ad diſcipulos de rebus divinis diceret, parabolis & ſimilitudinibus utebatur. Tametſi interdum plane atque aperte, quæ neceſſaria erant, exponeret. [3]

Certe præceptor noſter, qui ad populorum intellectum ſe accommodare volebat, non alia ratione efficere id debuit, quam quæ ipſis eſſet cognita & uſitata. Iccirco divino & ſapientiſſimo conſilio dogmata ſua non ordine ac via expoſuit, nec ſyſtematica methodo texere voluit: propterea quia hæc diſputandi ratio ea ætate non niſi quibuſdam Græcis philoſophis erat explorata: Judæis vero tam erat incognita, ut qui eadem apud eos uteretur, intelligi omnino non poſſet. Ut illud mittam, Judæos, rebus ſenſilibus, & mundanis occupatos, tantam lucem ferre

---

[1] *Confer. Petr. Daniel Huetius* De Origine fabularum Romanenſium. p. 23. ſeqq.

[2] „ *Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad tur-* „ *bas: & ſine parabolis non loquebatur eis*. Matth. C.XIII. v.34.

[3] *Ibidem. v. 36. ſeqq. ubi & metaphoras proponit, & explicat diſcipulis*. „ *Hæc in proverbiis locutus ſum vo-* „ *bis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis,* „ *ſed palam de Patre anuntiabo vobis* . Joann. C.XVI. v.25.

re non potuiſſe, ut illis Chriſti decreta facili ſermone poſſent explicari. Adeoque parabolarum velo doctrina illa divina erat occultanda, ut paullatim iis adſueti, & quaſi e tenebris per gradus ad lucem perducti, verum Scripturarum ſenſum animo perciperent: Chriſtum Dominum, cujus exſpectatione tenebantur, agnoſcerent, & ipſius dictis eſſent audientes.

Præceptoris decreta Apoſtoli voce populis nuntiarunt. Neque enim Chriſtus doctrinam ſuam, id eſt leges, & conſilia, monumentis mandavit: nec diſcipulis injunxit, ut ſcriptis conſignaretur. Illud voluit, ut eam voce populis inſtillarent. [1] Erat enim doctrina Chriſti divini numinis beneficio Fidelium animis inpreſſa: atque eodem dirigente, & animos præparante, apud innumeras gentes invecta fuit & propagata, ante quam ſcriptis conſignaretur. Quod animadvertentes Apoſtoli, & Diſcipuli, non ilii quidem de hoc cogitarunt, ut doctrinam Chriſti tum quæ dogmata, tum quæ mores ſpectat, ordine ſcriberent: ſed ut eamdem publice prædicarent, atque Prophetarum vaticiniis inluſtrarent: tum miraculis conficerent eſſe veram, & ſanguine fuſo confirmarent: cetera Deo reliquerunt. [2]

Ipſi, qui Evangelia conſcripſerunt, non eo conſilio fecerunt quod putarent, ſine ſcripto religionem noſtram conſiſtere non poſſe; ſed ut morem gererent populis, qui aliquid tale ſcriptum habere deſiderabant. *Matthæus*, qui

[1] „ *Euntes in Mundum univerſum prædicate Evan-* „ *gelium omni creaturæ*. Marci C. XVI. v. 15. *Euntes* „ *ergo docete omnes gentes . . . . docentes eos ſervare* „ *omnia quæcumque mandavi vobis*. Matth. C. XXVIII. 19. 20.

[2] „ *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incre-* „ *mentum dedit*. Paullus I. *Corinth. III. 6.*

qui primus Evangelium compoſuit, Judæorum cauſſa, qui ad Fidem venerant, id fecit, & Palæſtinorum lingua conſcripſit. *Marcus* Romanorum fidelium gratia ſcripſiſſe videtur. *Lucas* initio Evangelii fatetur, ſe ea de cauſſa Evangelium lucubraſſe, quia cognoverat, plurimos Chriſti hiſtoriam parum feliciter eſſe aggreſſos. Atque non modo Theophili gratia, viri inluſtris, *Evangelium* condidit, ſed etiam *Acta Apoſtolorum*. *Joannes* vero, tametſi vitam bene longam docendo conſumeret, tamen non niſi poſtremis vitæ ſuæ temporibus, idque ut morem gereret Epiſcopis Aſiæ, *Evangelium* mandavit ſcriptis: ut haberent quæ opponerent inpudentiæ Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, qui perverſas opiniones de natura Chriſti prædicabant. [1]

Ceteri Apoſtoli Evangelium non ſcripſerunt: qui vero epiſtolas aliquas dederunt, de iis tantum dogmatibus diſputarunt, quæ ſcire eos oportebat, ad quos ſcribebant: vel contentionum, quæ in Eccleſia identidem inſtituebantur, ratio poſtulabat. Nuſquam compendia Theologica dedita opera condiderunt: ſed voce, idque facili oratione, ſine ulla forma diſciplinæ Philoſophicæ, dogmata expoſuerunt: quod ipſum Paullus profitetur. [2] Et quamquam ſanctiſſimus doctor quodam loco [3] præ-

[1] *Confer. S. Hieronymus* de Scriptorib. Eccleſ.

[2] „ *Et ego cum veniſſem ad vos, fratres, veni non* „ *in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vo-* „ *bis teſtimonium Chriſti*. I. Corinth. II. 1. & C. III. 2. „ *Lac vobis potum dedi, non eſcam: non dum enim pote-* „ *ratis, ſed ne nunc quidem poteſtis*. In quem locum ait Clemens Alexandrinus „ *Catechizavi vos, h. e. per audi-* „ *tum in Chriſto inſtitui, ſimplici & per ſe naturali alimento* „ *ſpirituali*. L. I. Pædagog. c. 6. p. 98.

[3] Ad Hebræos VI. 1.

præcipua capita noſtræ religionis enarret, tamen non juſtum compendium fecit: nec ut id efficerent beatiſſimi homines animum induxerunt: immo nec aliter potuere, propterea quia eorum vita fuit perpetua contentio, & dimicatio cum adverſariis Chriſtianæ doctrinæ. [1]

Sed & *Apoſtolorum ſymbolum*, [2] in quo præcipua de-

---

[1] *Quadruplicis generis fuere illi, quibuſcum Apoſtoli diſceptando contenderunt*: Gentiles, Judæi non dum converſi, Judæi Neophyti, Hæretici. *Cum Ethnicis diſputabant: An eſſe poſſit aliqua felicitas æterna: & ſi poſſit; an Apoſtoli ad eam conſequendam viam certam munirent. Confer.* Actor. XIII. 17. ad Epheſ. II. 1. ad Theſſalonic. I. 9. 10.. *Judæorum vero cum Apoſtolis hæc erat controverſia: An Jeſus Nazarenus ſit verus Meſſias: id eſt, an felicitas æterna hominis ex legis Moſaicæ obſervatione, an ex Chriſti lege ſit ſperanda. Et quoniam Neophytis Judæis quibuſdam erat perſuaſum, legem veterem non eſſe repudiandam, exſtitit altera quæſtio: Utrum Judæorum ritus cum doctrina Chriſti ſint conjungendi, an ea ſola ſufficiat: quam quæſtionem vehementer Paullus urget contra pſeudoapoſtolos, præſertim Galatas, & Philippenſes. Hæreticorum autem, ut plurimi erant errores, ita quæſtiones diverſæ natæ ſunt: ut illa Hymenæi, & Phileti: II.* Timoth. II. 17. 18. *item Nicolaitarum* Apocal. II. 6. 15. *Simonianorum, Cerinthianorum, ceterorum. Præcipuæ huc redeunt: Diſputabant de emanationibus rerum a prima cauſſa, ſeu de mundi creatione, de Chriſti natura divina, de cultu Angelorum, de mortuorum corporum inſtauratione, & his ſimilibus. Confer. Epiphanius, & Irenæus libris vulgatis.*

[2] *Symbolum non ſcriptis conſignatum, ſed memoriæ mandatum fuiſſe, Veterum fuit opinio. „ Symbolum,* inquit

decreta noſtræ religionis continentur, pro compendio univerſæ Theologiæ, eo ſenſu, quo ſupra diximus, haberi nequit: propterea quia nec ea ordine ponuntur, & explicantur; quod eſt *Compendiorum*: nec alia ex aliis ducuntur, argumentiſve confirmantur; quod pertinet ad *Syſtemata*. Itaque ſi monumenta omnia, quæ beata illa ſæcula reliquerunt, diligenter conſideramus, reperiemus, Divinos ſcriptores nec compendia, nec ſyſtemata Theologiæ ſcriptis conſignaſſe: [1] immo vero pleraque juſtis de cauſſis non niſi obſcure tradidiſſe. [2]

Eadem ratione patres Apoſtolici, id eſt illi, qui & Apoſtolorum ævo vixerunt, & ab iiſdem erant initiati, uſi ſunt. Qui a præceptorum doctrina, & catechizandi diſceptandique via non receſſerunt. Hujuſmodi fuere *Simeon*, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Papias*, ceteri: qui in hoc toti fuere, ut Evangelium apud Infideles prædicarent, mira-

---

„ quit Hieron. *fidei,& ſpei noſtræ,quod ab Apoſtolis tradi-*
„ *tum,non ſcribitur in charta & atramento; ſed in tabulis*
„ *cordis carnalibus*. Epiſt. 61. ad Pamachium. *Idem ab Apoſtolis conditum, negarunt Du Pinus,& alii: defendunt Petit Didier, Celier. Natalis Alexander*.

[1] *Liber* Didaſcaliarum, *qui Apoſtolis tribuebatur, eorum fetum non eſſe,fatetur Euſebius Cæſarienſis* Hiſt. Eccleſ. L. III. c. 25. *Ab aliis conditæ ſunt hujuſmodi* Didaſcaliæ, *quaſi eſſent ab Apoſtolis, horumve diſcipulis conſcriptæ, vel dictatæ*.

[2] „ *Qui in primordiis Eccleſiæ leges condiderunt*
„ *Apoſtoli, ac Patres, in occulto, & non verbis expreſſo,*
„ *ſuam ſervavere myſteriis dignitatem. Neque enim my-*
„ *ſterium eſt omnino, quod ad populares, ac vulgares aures*
„ *effertur. Hæc eſt ratio cur quædam ſine ſcripto tradita*
„ *fuerunt: ne dogmatum cognitio ipſa apud vulgus conſue-*
„ *tudine vileſceret*. Baſilius *L. de Spirit. S. c. 27. pag. 511.*

miraculis confirmarent , ſingulosque erudirent eadem doctrina , quam ab Apoſtolis acceperant . [1] Nihil ipſi de ſuo addiderunt , nihil novum excogitarunt : ſed ad Apoſtolorum doctrinam , tamquam ad Lydium lapidem , omnia revocabant : ex eaque contentiones , quæ in Eccleſia movebantur , finiebant . Itaque & dogmata exponebant,& de morum innocentia fere ſemper loquebantur .

Fuit per id tempus *Hermas* quidam , Paulli diſcipulus , conditor libri , qui *Paſtor* nominatur , in tres partes diviſi : quarum prima quatuor viſiones complectitur : altera decem mandata : tertia decem ſimilitudines . Hic liber tanto in pretio habitus fuit in Eccleſia , ut eum non modo graviſſimi homines laudarint ; ſed etiam in Eccleſiis Orientis legerint & explicarint . [2] Verum tametſi in eo quædam ad primam inſtitutionem accommodata reperiantur , tamen ad componendos mores totus eſt inſtitutus : nec vero id dilucide & diſtribute , ſed incondite & nullo ordine . [3] Quare nullum in

 eo

[1] „ *Quæ enim hactenus a viris illis divinitus adflatis* „ *fuerunt litteris mandata , ea Deus , ſed nec plura , nec* „ *pauciora,ad homines cum Fidei dogmatibus,tum morum* „ *præceptis perfecte imbuendos, ita ſufficere judicavit , ut* „ *nihil amplius a quoquam jure merito poſſet deſiderari* . „ Nourry *Apparat. ad Biblioth. PP. L. II. c. 1. ſ.* 1. „ Confer.*Euſeb. ib. c.* 37.

[2] „ *Ab aliis vero maxime neceſſarius judicatur, iis* „ *præſertim , qui primis religionis noſtræ elementis inſtituendi ſunt . Unde etiam in eccleſiis eum publice legi* „ *comperimus , & quoſdam ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus* „ *ipſius teſtimonio uſos fuiſſe* . Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. L. III. c.* 3.

[3] *Conſule Cl. Nourry* Apparat. ad Bibliothec.Maxim. Patrum Diſſert. IIII. art.1. p.47.*qui libri analyſin condit* .

eo ſyſtema poſſumus reperire . Similiter judicandum eſt de Ignatii *Epiſtola ad Magneſianos* : quæ ad diſciplinam Morum magis, quam ad Dogmata , pertinet . Potius enim hi Doctores in inſtituendis Fidelibus Apoſtolica doctrina , quam in componendis ſcriptis arte atque methodo , cogitationes defigebant .

Itaque Apoſtolici patres & Infideles , & Catechumenos [1] erudiebant veritate Chriſtianæ religionis , ſed alia & alia ratione . Judæis enim oſtendebant, veniſſe Chriſtum,quem illi exſpectabant : quod ex vaticiniis Prophetarum efficiebant , oſtendentes, Chriſti legem veteri illi Moſis eſſe anteponendam . Paganis vero demonſtrabant , unum eſſe Deum cæli , & terræ conditorem : ejuſque filium unigenitum carnem ſumſiſſe , hominibuſque leges & juſtas, & ſacroſanctas tradidiſſe . Chriſtum , etiamſi a Judæis fuerit necatus , tamen eſſe Deum :quod ex miraculis , quæ vel in vita , vel in morte patrarat , planum faciebant . Tum argumentis conficiebant, hominum corpora inſta urari debere , ut præmium , vel pœnam pro meritis accipiant . Atque hanc doctrinam non modo miraculis ſtupendis , ſed etiam morte & martyrio confirmabant . Hæc ad Infideles .

Catechumenos autem tali ratione inſtituebant . Prin-

[1] Infideles *erant Gentiles, & Judæi Chriſto repugnantes* . Catechumeni *vocabantur illi , qui myſteriis Chriſti ante baptiſmum initiabantur . Cum vero inter eos ponebantur , qui poſtremis Quadrageſimæ diebus nomen dabant ut diebus Paſchatis baptiſmate mundarentur* , Competentes *vocabantur* . Neophyti *dicebantur , qui haud ita pridem erant baptizati : nam qui a longo tempore erant,nominabantur* Perfecti, *&* Fideles.Catechiſtæ *illi erant,qui vel Catechumenos , vel Fideles inſtituebant* . Catecheſes *vero erant inſtitutiones, quibus ſinguli imbuebantur* .

Principio rudioribus declarabant, eum, qui Chriſtiano nomine cenſeri cupit, primum curare debere, ut Gentilium religionem, fabulaſque deleat ex animo, eaſque penitus rejiciat: deinde ut ſincero animi dolore flagitia ſua deteſtetur: tum ut ſe baptiſmate mundet a ſordibus peccatorum, atque Chriſti legem adamuſſim ſequatur: ad extremum *Decalogum* exponebant eiſdem. Hæc prima *Iſagoge* vocabatur. Qui vero aliquem progreſſum habebant, iis *ſymbolum* voce tenus tradebatur, quæ erat ſecunda *Iſagoge*. [1] Poſt baptiſma explicabantur Neophytis interiora dogmata Chriſtianorum, velut Trinitatis, Incarnationis, Sacramentorum, præſertim vero Euchariſtiæ. Tum eos commonefaciebant, ut eamdem doctrinam firmiter tenerent, proque ea defendenda vim tormentorum perferrent, mortemque, ſi opus eſſet, ſubirent. Et hiſce Theologica eorum abſolvebatur diſciplina.

Hæ vero catecheſes ab eodem catechiſta habebantur plano familiarique ſermone, ut docendi munus poſtulabat, & tales viros decebat. Ex quo *catechiſtæ* vocabulum longo poſt tempore iis, qui abſtruſiorem Theologiam tradebant, id eſt, qui Sacros codices interpretabantur, tributum fuit. [2] Quo vocabulo Theologorum munus deſignabatur, nempe Sacras litteras explicandi: immo & ipſæ diſſertationes Theologicæ *catecheſes* ſunt appellatæ. [3]

 Sæ-

[1] *De utraque Iſagoge, præſertim, quæ Alexandriæ erat, meminit Euſebius l. c. L. VI. c. 15. & L. V. c. 11.*

[2] „ *Sine cauſſa Gregorium Nazianzenum, & Didy-* „ *mum in Scripturis SS. catechiſtas habui*: ita ait fine IIII. ſæculi Hieronymus *in Apologetico ad Domnionem*.

[3] „ *Alexandriæ* [Clemens Alex.] *Eccleſiaſticam* „ *ſcholam tenuit*, & catecheſeon *magiſter fuit*. „ Hieron. *Catalog. de Script. Eccleſ. loquens de Clem.*

Sæculo II. eadem obtinuit via tradendi Sacram doctrinam tum Catechumenis [1] tum Fidelibus. [2] Nimirum eam Catechiſtæ plane, & ſine ullis ambagibus explicabant, uti antea demonſtravimus. Quod ſi contentio *aliqua de germana ſcriptione* Bibliorum movebatur inter Fideles, Evangeliorum libros, qui in ſingulis eccleſiis ſumma religione ſervabantur, exhibebant, quo ipſo diſputatio finiri ſolebat. Sin dubium, aut aliquid obſcurum occurrebat, conſulebant ſeniores, qui ab Apoſtolis acceperant germanum ſenſum, eorumque dictis erant audientes. [3] Ex quo primi traditionis ſcriptæ libri profecti ſunt, in quibus Theologi ea ſcribebant, quæ a majoribus acceperant, viris divinis.

At majori apparatu, quam ſuperiori ſæculo, Sacra diſciplina tradita fuit in ſcholis, præſertim Alexandriæ, [4] in qua plurimi viri litteratiſſimi functi ſunt munere do-

---

[1] *Id præſtitit Clemens Alexandrinus in* Admonitione ad Græcos, ſeu Gentiles.

[2] *Id vero effecit in* Pædagogo: *ubi officia omnia Chriſtianorum latiſſime perſequitur*.

[3] „ *Et ſi quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum, & re liquidum eſt? Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias?* Irenæus *Contra Hæres*. L. III. c. 3.

[4] „ *Per idem tempus* [Commodo imperante, id eſt ab anno 180. uſque ad 193.] *Fidelium ſcholæ præerat vir doctrinæ cauſſa celeberrimus, nomine Pantænus: quippe jam inde a priſcis temporibus Sacrarum lit-*

doctoris: ut *Pantænus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Eracla*, ceteri. [1] Nam cum hi Gentilium litteratura ad plenum eſſent eruditi, qui accurate atque ordine ſingula perſequebantur; dum ſe ad Chriſtianos applicarunt, clariori ac faciliori ordine tradiderunt dogmata & expoſuerunt. Itaque, quo commodius ſingulis opitularentur, iſagogem *rudiorum* ab iſagoge *perfectorum* ſeparaverunt: illamque aliis reliquerunt, hanc ſibi ſumſerunt. [2] Quare ne ex ambiguuo loquamur, illos *Iſagogicos*, hos *Theologos* nominabimus. Theologi autem munus erat, duabus hebdomadæ diebus aliquam Sacræ ſcripturæ partem interpretari: [3] idque vel Epiſcopus, vel hujus juſſione alii præſtabant. [4] Quæ catecheſes non arte erant & ſtudio elaboratæ & conſcriptæ: ſed plerumque ex tempore dicebantur, & ut occaſio poſtulabat, interdum voce, interdum ex ſcripto. [5]

 Quod

„ *litterarum ſchola in eadem civitate Alexandrina fuerat* „ *inſtituta: quæ quidem noſtra ætate adhuc perſeverat*. Euſebius *Hiſt. Eccleſ. L. V. c.* 10.

[1] *Quamquam ab Apoſtolorum ætate plurimis in locis ſcholæ catecheſeos apertæ eſſent; tamen Alexandrina, cujus originem Euſebius* Hiſt. L. II. *c.* 15. 16. 23. *refert ad Marcum Evangeliſtam, celebris præter ceteras fuit. Verum de primis Alexandrinis doctoribus nihil ſcimus: immo vix eorum nomina cognoſcimus: nec niſi labente ſæculo II. ſeu a Pantæni ætate aliquid certo dici poteſt*.

[2] *Euſebius. ibid. L. VI. c.*15.

[3] *Socrates* Hiſt. Eccleſ. L. V. c. 22.

[4] *Ambroſ.* de Officiis *L. I. c.* 1.

[5] „ *Pantænus... Alexandrinæ præfuit Scholæ: ubi* „ *partim viva voce, partim ſcriptis Divinorum dogmatum* „ *theſauros expoſuit*. Euſeb. ib. L. V. c. 10. *Confer. Cle-*

Quod ad hoſtes religionis noſtræ ſpectat, eos majori copia eruditionis, quam præcedenti ſæculo factum, catechiſtæ noſtri refutarunt: Chriſtianaque decreta accuratius expoſuerunt, & confirmarunt: idque partim Hæreticorum, partim Gentilium cauſſa. Nam cum Saturninus, Baſilides, Valentinus, Carpocrates; & paullo poſt Cerdo, Marcion, ceteri, ſub nomine *Gnoſticorum*; Simonis Magi, & Menandri, & Nicolaitarum, aliorumque, qui primo ſæculo nefarias hæreſes excogitarant, errores reciperent; atque Alexandriæ, & Antiochiæ in gymnaſiis eoſdem publice docerent; Gentiles autem ex eorum erroribus, & obſcenitate, ceteros Chriſtianos per errorem dimetirentur; [1] in magnam invidiam incidit Chriſtiana religio: quæ cauſſa fuit Gentilibus, cur in noſtros inpie graſſarentur. Quam ut depellerent ſanctiſſimi homines, & Chriſtianorum, qui vere hoc nomine digni erant, tum ſanam doctrinam, tum morum integritatem facerent manifeſtam; pro Chriſtiana religione Apologias fecerunt: & Adriano, Antonino Pio, Marco Aurelio, ceteriſque Imperatoribus & magiſtratibus miſerunt: [2] quæ hoc boni

Clemens Alex. in Pædagogo, *præſertim Libro* 3. *qui libri eo conſilio videntur conſcripti, ut in eccleſiis recitarentur. Incertum tamen eſt, an ceteri catechiſtæ dedita opera catecheſes compoſuerint, ut Fideles inſtituerentur.*

[1] *Triplici crimine Chriſtiani poſtulabantur a Gentilibus: quod Deos tollerent: quod carne humana veſcerentur: quod inceſto ac nefario uterentur concubitu. Confer.* Apologia Athenagoræ, *qui tria hæc diluit flagitia.*

[2] *Exſtant Juſtini, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni, Minutii Felicis, Tertulliani, ceterorumque* Apologiæ pro Veritate Chriſtianæ Religionis. *Confer.* Nourry Appar. ad Biblioth. PP. Tom. II.

boni Chriſtianis hominibus adtulerunt , ut religionis cauſſa interdum non fatigarentur .

In his vero ſanctiſſimi , & eloquentiſſimi homines non hoc ſibi propoſuerunt , ut dogmata noſtra omnia ordine exponerent, & necterent inter ſe : ſed hoc tantum, ut præcipua Chriſtianorum placita defenderent ab Gentilium calumniis . Itaque rationibus , & teſtimoniis ex Poetis Gentilium ſumtis planum faciebant , quam futilibus argumentis ſuperſtitioni vulgatæ , & ab ipſis ſæpenumero exploſæ , ſuccurrere conarentur Gentiles : quam multis conviciis inter ſe eorum ſectæ decertarent , & quam facile omnium ludibrio ſe ſe exponerent : quam infirmas hypotheſes excogitarent ſingulæ Philoſophorum diſciplinæ , ut res divinas , & humanas explicarent : quam multos, quamque pernicioſos foverent errores, qui ſint omnibus bonis deteſtandi .

E contrario exponebant excellentiam Chriſtianæ doctrinæ : & perſpicuis rationibus efficiebant , non niſi unum eſſe Deum , qui filium ſuum dimiſit in mundum : quod ex Prophetis , & miraculis Chriſti luculenter confirmabant . Tum plurimis verbis declarabant , quanta eſſet noſtrarum legum præſtantia : quæ morum integritas ex iiſdem proficiſceretur : quot quamque inſignibus eniteret ornamentis Chriſtiana religio præter ſectas Philoſophorum : & hujus generis alia , quæ Chriſtianæ religionis excellentiam patefaciunt . Si qua vero ab Ethnicis commode dicta occurrebant , ea Sacris codicibus conſentanea eſſe demonſtrabant . Adeoque cogebant philoſophiam Gentilem noſtræ religioni opitulari : quod ante alios fecit *Theophilus Antiochenus* [1] & *Hermias* . [2]

 Alii,

[1] Ad Autolycum L. I. & II. *Vide* *Nourry* l. c. d. 4. cap. 2. §. 4. pag. 506. [2] *In* Irriſione Gentilium .

Alii, ut *Athenagoras* [1] & *Maximus* [2] argumentatione naturæ effecerunt, quædam dogmata Chriſtiana, quæ Gentiles concoquere non poterant, bonæ Philoſophiæ legibus non repugnare.

Fuere, qui Judæos blaterantes in noſtros ſtrenue perſequerentur: velut *Claudius Apollinaris* [3] & *Miltiades* [4] & *Tertullianus*. Fuere, qui Hæreticorum errores dedita opera confutarent, oſtendentes, eorum perverſa dogmata & Scripturæ auctoritati, & doctrinæ ab Apoſtolis, diſcipuliſque traditæ, ipſi denique naturali rationi adverſari: in quibus numerantur *Juſtinus* [5] & *Theophilus*, & *Miltiades* prædicti: tum *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, [6] ceteri. Poſtremo alii vel partem aliquam Divinorum codicum, quæ ad confirmandam religionem noſtram erant idonea, ex majorum traditione libris editis interpretati ſunt: [7] ut *Heraclitus*, *Candidus*, *Appion*, *Rhodon*, *Judas*, *Pantænus*, *Clemens Alexandrinus*: [8] vel loca ea, quæ primo conſpectu

---

[1] *Libro de* Reſurrectione carnis.

[2] *De* Mali origine, *&* creatione Materiæ *diſputavit*. *Vide Euſebium* Hiſt. Eccl. L. V. c. 27.

[3] *Euſebius ib.& L.IIII.c.27.* [4] *Euſeb.ib.L.V.c.*17.

[5] *Confer. ipſius* Apolog. pro Chriſtian. §. xxxv. p. 54. *edit. Grabii*.

[6] *Legatur vel unus liber Tertulliani* de Præſcriptionibus, *quem ante hæreſim conſcripſit; in quo Hæreticos arguit novitatis, & ex traditione Eccleſiæ confutat*.

[7] *Euſebius ibid.*, *& L. IIII. c.* 21., *&* 24.

[8] „ *Idem in libris VIII.* ὑποτυπώσεων *omnium, ut* „ *uno verbo dicam, Utriuſque teſtamenti ſcripturarum compendioſam inſtituit enarrationem: ne illis quidem prætermiſſis Scripturis, de quibus inter multos* „ *ambigitur*. Euſebius *Hiſt. Eccleſ. L. VI. c.* 14.

ſpectu pugnantia videbantur, in concordiam revocarunt : ut haberent Chriſtiani quid opponerent hoſtibus noſtris, qui Sacros ſcriptores præſertim Evangeliſtas pugnantia conſcripſiſſe, per ſummam impudentiam jactabant . Inter quos referri debet *Tatianus* , *&* *Theophilus* . [1]

Eorum itaque Theologia ad quatuor capita revocabatur . 1. Rudimentis Fidei Catechumenos erudiebant,& morum præcepta docebant Fideles . [2] 2. Chriſtianorum tum placita , tum ritus ab Gentilium irriſionibus,& calumniis defendebant . 3. Veritatem Chriſtianæ religionis Judæis , ſi opus erat , probabant . 4. Teſtimonia divina , quæ ad confirmandam Evangelicam doctrinam erant accommodata, ſecundum Apoſtolorum ſententiam interpretabantur, ut occurrerent Hæreticis, eoſque de novitate poſtularent . [3] Nuſquam vero de condendis per otium libris ſine ulla neceſſitate cogitarunt : contenti reſiſtere illis , qui doctrinam a majoribus quaſi per manus acceptam vel erroribus , vel calumniis depravabant . [4] Quod

[1] *Conf. Hieron. de* Viris Inluſtr. *&* Ep. ad Algaſ. *pag.* 197. *edit. Martianæi* .

[2] *Confer.* Conſtitut. Apoſtolicæ L. VII. cap. 39. p. 382. *edit. Cotelerii , ubi ratio catecheſeos in Veteri eccleſia recepta exponitur* .

[3] *Conferatur Vincentius Lerinenſis* Commonitorio primo c. 3. 11. 26. ſeqq. *ubi de PP. auctoritate in rebus Fidei diſputat copioſe* ..

[4] „ *Patres , quibus merito & jure perſuaſum erat ,* „ *ſupremi numinis conſilium primitus non fuiſſe , ut ejus* „ *veritas ope librorum innoteſceret , & univerſum terrarum orbem pervaderet ; de myſteriis Fidei tunc ſolum* „ *ſcripſere , cum inſolita exorti cujuſdam in Eccleſia tu-* „ *multus occaſio poſtularet : eoque potiſſimum fine , ut po-* „ *pulo*

Quod ad rationem docendi, diſputandique pertinet, non ſcholarum forma ac partitione utebantur: non Dialecticas argutias & cavillationes adhibebant: ſed perpetua oratione ſingula perſequebantur. Quod ſi adverſarios confutare in animo proponebant, primo eorum ſententias ponebant: deinde ex perſpicuis Scripturarum locis, atque ex recta ratione tum argumentationes ſuas promebant, tum adverſariorum argumenta infirmabant. [1] Aliquando tamen, quo facilius hoſtes religionis noſtræ debilitarent, ex principiis ab iiſdem admiſſis argumentabantur: quod eſt Dialecticis *argumentari ad hominem*. Quod ante alios fecit Irenæus.

Non aliam viam inſtiterunt illi, qui ſæculo III. docendi munus ſumſerunt: qui & catecheſes Iſagogicas, & etiam Myſtagogicas, ſeu Homilias ad Neophytos, & Fideles habuerunt. In hoc differunt: primum, quod hoc ſæculo Polemicam theologiam diligentius tractare cœperunt, præſertim contra Gentiles. Nam cum per id tempus Gentiles philoſophi, iique acutiſſimi, & doctiſſimi, ut Celſus, Porphyrius, ceteri, tamquam rabidi canes, ſcriptis editis noſtros morderent; Chriſtiani doctores iis ſolerter ac abundanter occurrendum eſſe judicarunt: ut *Methodius*, *Apollinaris*, ceteri. [2] Exſtant adhuc *Origenis Adamantii*, viri eruditiſſimi, *Libri contra*,

---

„ *pulo ab eis Fidei defenſionem expoſcenti indulgerent*. Bonaventura Argonenſis Chartuſianus *de Optima Legendor. PP. methodo P. III. c. 9. p. m.* 260.

[1] *Velut Irenæus, qui* Contra Hæreſes *libro I. hiſtoriam errorum texit: quatuor vero poſtremis confutationem conſcribit earum. Ceteri vero non omnes eadem præſtiterunt*.

[2] *Hieron.* Epiſt. LXXXIII. ad Magnum.

tra Celſum Epicureum, ex quibus de ceteris deperditis judicare poſſumus. Præterea Hæreticos nimis multos, qui hoc ſæculo deliria multa excogitarunt, fregerunt doctores noſtri vel in Orationibus, vel libris: ſed non multum in hoc a ſuperioribus receſſerunt. Alterum, in quo differunt, eſt, quod Sacros codices ſubtilius & accuratius interpretati ſunt. Nam præter homilias, in quibus Scripturæ ſenſus facili interpretatione exponebatur, & ad populorum captum magis accommodate; fuere ſubtiliores interpretationes, & quæ plus olei præ ſe ferebant; in quibus viri docti, quidquid neceſſarium erat ad intellectum Scripturarum, conglomerarunt.

Exemplo nobis ſit *Origenes*, qui triplicis generis interpretationem exaravit. Primum ſunt *ſcholia*: in quibus, quæ ſibi videbantur obſcura, breviter enarravit. Alterum continet *homilias*: quarum aliquas meditate conſcripſit: aliquas ex tempore pronunciavit, quas diſcipuli mandarunt ſcriptis. Tertium genus continet *volumina*, ſeu interpretationem Sacrorum codicum diligentem eam quidem & laborioſam: in quam, quidquid eruditionis, & ingenii habuit, congeſſit. [1] Item Apparatum quemdam reliquit ad Scripturæ explanationem vehementer accommodatum. [2] Præterea Polyglotam lucubravit, in qua quatuor verſiones Græcas, nempe LXX. Senum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis

[1] *Conſule Huetium* in Origenianis. L. III. pag. *236.* ſeqq. *Si Hæretici librum aliquem divinum eſſe negabant, id PP. ex aliis ab iis admiſſis efficiebant. Sin unum dogma negabant, ex tradita doctrina refutabantur ab Epiſcopis.*

[2] *Significatur* Philocalia *Origenis, in qua 27. Capitibus de auctoritate, ſtilo, & interpretatione ſcripturæ Sacræ differit: quam Greg. Nazianz. & Baſilius collegerunt ex ſcriptis ejuſdem.*

nis ſub uno adſpectu in ſingulis paginis poſuit: quæ Biblia hac de cauſſa vocata ſunt *Tetrapla*. Quibus poſtea cum addiderit textum Hebræum & Hebræis, & Græcis characteribus deſcriptum, evaſit *Hexapla*, id eſt, ſex habens paginas: ac demum facta eſt *Octapla*, poſtea quam quintam, & ſextam verſionem Græcam, quas repererat in dolio, adjunxit. Certe *Origenes* in ſuis ſcriptis oſtendit, ſibi non modo eruditionem, ſed limatum judicium ineſſe, & inter optimos Criticos referri poſſe. Niſi ſtudio illo ſuo trahendi omnia ad allegoriam, non modo ab ſcopo aberraſſet interdum, ſed etiam ſibi ipſi conſtans non fuiſſet. Nempe Alexandrina philoſophia impeditus, itemque ut occurreret Marcioni, & Celſo, qui allegorias omnino excluſas volebant, [1] modum non tenuit. [2] Et eo auctore plurimi in enarrandis Scripturis operam

[1] *Vide Origenem* Dialog. Contr. Marcionitas p. 10. *edit. Wetſtenii*: & *Epiphan.* Hæreſ. XXII.

[2] *Pantænus*, & *Clemens Alexandrinus*, *aliique doctores Chriſtiani*, *qui ab Judæis Helleniſtis*, & *Platonicæ philoſophiæ deditis*, *velut Philone Alexandrino*, *didicerant rationem illam flectendi codices Sacros ad myſticum ſenſum*, *eadem interpretandi via interdum non recte uſi ſunt Alexandriæ*, & *aliis in locis ante Origenem*: *immo etiam poſt Origenem eodem modo ab aliquibus peccatum eſt*. *Ipſe tamen Origenes hoc præcipue peccavit*, *quod putavit*, *in utroque teſtamento quædam eſſe*, *quæ ſi ad verbum accipiantur*, *falſa ſint*, *abſurda*, & *ſibi ac humanæ rationi repugnantia*. *Itaque primum ajebat*, *ritus omnes ad allegoriam eſſe trahendos*. *Deinde*, *ponendam in cælo aliam Jeruſalem*, *Babyloniam*, *Tyrum*, *Aegyptum*, *ceteraſque urbes*, *de quibus in Prophetis eſt ſermo*. *Poſtremo*, *anteponendum eſſe myſticum ſenſum*, *quotieſcumque aliquid ſe offert*,

ram poſuerunt : ut *Ammonius Alexandrinus*, diverſus ab Ammonio Sacca, *Julius Africanus*, alii.

Idem *Origenes* in libris περὶ ἀρχῶν ſeu *de Principiis* [exſtat ſolum Latina interpretatio a Ruffino conſcripta] quoddam Chriſtianæ religionis, & Philoſophiæ ſuæ compendium edidit. [1] Quatuor in libros partitur. Libro primo de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto agit. Secundo de mundo, & quæ in eo continentur : tum eumdem eſſe Veteris, & Novi teſtamenti Deum : tum Salvatoris incarnationem tangit : tum eumdem Spiritum divinum in Moyſe, Prophetis, Apoſtoliſque fuiſſe defendit : poſtremo de animo humano, de reſurrectione, de pœna, de præmiis diſputat. In tertio de libertate agit : tum explicat, qua ratione mali dæmones generi humano noxii ſint. Præterea Mundum ortum habuiſſe, & interiturum eſſe exponit. In quarto de ultimo fine tractat : oſtenditque, Sacros codices eſſe divinos, & de modo eos legendi explicat. [2]

Quamquam vero his libris præcipua religionis noſtræ

---

offert, quod Dei majeſtati, ac ſanctitati conſentaneum non ſit. En ſyſtema Origenis, ex quo plurimi errores orti ſunt. Confer. Origenis Homilia V. & VII. in Leviticum, *&* de Principiis L. IIII. n. 16. ſeqq.

[1] „ *Origenes primus eſt, qui Theologiæ ſyſtema quod-* „ *dam in opere, cui titulus* Peri Archon *ſeu de* Principiis, „ *aggreſſus eſt. Sed conatus hic novus felici caruit ſucceſſu.* „ *Auctor enim hic genio indulgens, dum doctrinam Chri-* „ *ſtianam principiis philoſophiæ Platonicæ accommodare* „ *ſatagit, pluribus ſe ſe irretivit erroribus, qui poſtea* „ *memoriam, & æſtimationem nominis ejus deturparunt.* Dupinus *Method. Studii Theolog. p.* 17.

[2] *Hanc ſynopſin ſumſimus ex Photio* Myriobibl. Cod. VIII. p. 10., *qui Græcum textum vidit.*

ſtræ dogmata contineantur, tamen falluntur, qui eos pro juſto compendio Theologiæ, vel pro ſyſtemate ſumunt. Nam primum nimis multa in iis deſunt, quæ ad dogmata pertinent. Deinde nullo ordine, quæ exſtant, conſcripta ſunt, ut conſideranti patebit. Multo itaque melius judicant illi, qui aiunt, Origenem tali lucubratione nobis non tam Chriſtianam doctrinam, quam ſuum ſyſtema Philoſophico-Theologicum, explanare voluiſſe. Præterea abundant erroribus, ex Alexandrinorum placitis deſumtis, quos enumerat Photius. [1] Quod in cauſſa fuit cur plerique omnes Patres non modo libros Origenis damnarint, ſed etiam omnem a Theologia Gentilem philoſophiam exploſerint. [2]

Id certum eſt, Origenem vel primum [3] vel in primis humanas diſciplinas, præſertim Philoſophiam, quam apud Gentiles didicerat, in ſcholis Chriſtianorum Juventuti tradidiſſe: eamque commonuiſſe, ut iiſdem artibus diligenter imbueretur, quo facilius certiuſque intelligentiam adſequeretur Sacrorum codicum. Nam tametſi non nulli ante Origenem doctores de iis aliquid adtigiſſent, caute id fecerunt & ſobrie, quod in ea erant ſententia, ex philoſophia Sæculari innumeras ac noxias hæreſes profectas eſſe.

C a-

[1] *Loco cit.*

[2] *Vide teſtimonium Petavii, quod ſequenti capite proferemus.*

[3] *Id conficere ſibi videntur aliqui ex loco quodam Euſeb. l. c. Libro VI. c.* 18.

Caput VI.

De Theologia Patrum IIII. & V. Saeculi.

SAeculo vero IIII., & V. ratio tractandi dogmata Sacra aliquantulum mutata fuit, & ab antecedentium ſæculorum nudo ac ſimplici dicendi genere receſſit. Nam cum Chriſtiani doctores non alia de cauſſa plerumque ſcriberent, niſi ut hoſtium impudentiam perfringerent; cumque ea ætate non modo cum Judæis, & Gentilibus, [1] verum etiam cum Hæreticis, iiſque exercitatiſſimis, eſſet pugnandum; exſtitit ut eo diligentius Chriſti doctrinam tractarint, quo majori acumine, ac eruditionis copia Hæretici Catholica decreta adoriebantur. [2] Quod hiſce ſæculis potiſſimum uſu venit.

Nam cum ſub idem tempus hæretici Ariani, Anomæi, Neſtoriani, Eutychiani, ceteri, homines a philoſophia Sæculari bene parati, in Chriſtianis dogmatibus de Trinitate, deque duabus Chriſti naturis, exagitandis, ingenii ubertatem, & peritiam Dialecticæ artis oſtentarent; omniaque ſubtilibus quæſtiunculis replerent; ut huic malo occurrerent doctores noſtri, & ipſi eamdem philoſophandi rationem adhibendam putarunt. Itaque Ariſtotelis dialecticam, quam antea deteſtati fuerant,

[1] *Velut Gregorius Nyſſenus, & Nazianzenus, Euſebius Cæſarienſis, Theodoretus, Cyrillus, alii. Vide Nourry* Apparat. ad Bibl. PP. Tom. II.

[2] „ *Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſ-* „ *ſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius* „ *defenderetur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſ-* „ *ſitas cogeret.* Auguſt. *L. II. de Bono perſever. c.* 20.

rant, [1] didicerunt, quo adverſariorum cavillationes debiliores redderent, ac iiſdem adjumentis facilius refutarent. Neque vero ſe oſtentabant: non Sophiſtarum artes & verſutias, ut Hæretici, præ ſe ferebant: ſed hæc arma ſapientiſſime adhibebant: eaque tantum ex Ariſtotele ſumebant, quæ neceſſaria videbantur ut Hæreticorum tela irrita facerent, & adverſus eoſdem torquerent.

Itaque eorum diſputandi ratio hujuſmodi erat. Primo adhibebant perſpicua Scripturæ teſtimonia, ex quibus Catholicæ doctrinæ veritas luculenter oſtenderetur: quodſi argumentum exigebat, majorum teſtimonia conglomerabant, & ex doctrina ab Apoſtolis tradita, & quaſi de aure in aurem ſervata id ipſum conficiebant. Deinde, ex poſitis principiis conſequentias argumentando derivabant ope Dialecticæ: quod præter ceteros fecit Athanaſius: [2] idque perpetua oratione, non Chri-

---

[1] „ *Horum igitur* [Arianorum, Anomæorum] *&*
„ *ſimilium nebulonum inportunitate factum eſt, Ariſtoteli-*
„ *cis inventis ad exitium ac peſtem abutentium, ut apud*
„ *primos illos defenſores Fidei, male deinceps audiret non*
„ *tantum differendi ars, quæ arma illa miniſtrabat; ſed*
„ *Philoſophia inſuper univerſa. Quam ideo complures, ve-*
„ *lut hoſtem judicatam Chriſtianæ religionis, proſcriben-*
„ *dam cenſuerunt, penituſque damnandam*. Petavius *Dogmat. Theolog. Tom. I. Proleg. c.* 3. vbi plures PP. adducit.

[2] „ *Dialecticis adhæc uſus eſt argumentis* [Athana-
„ ſius] *non illis nude propoſitis, & ipſismet ex arte pe-*
„ *titis vocibus* [*quod pueri, recentioreſque diſcipuli, ju-*
„ *veniliter ſeſe ac glorioſe oſtentantes, ſolent*] *verum Phi-*
„ *loſophorum more, magnificeque prolatis, ac per nudas*
„ *dumtaxat notiones, & has quidem bene ornatas*. Photius *Cod. CXXXX. p.* 315.

vero Scholarum ritu. Interdum vero ſubtiles aliquas quæſtiunculas & non neceſſarias dogmatibus admiſcuere, vel ut judicium limarent, vel ex conſuetudine ſubtilius diſputandi, ſed id nimium parce.

Verum cum ſanctiſſimi viri hac via & ratione non niſi contra Hæreticos, & ut occaſio poſtulabat, diſceptarent; Hæretici autem non omnia dogmata contemnerent, & depravarent; hinc nec veteres Epiſcopi omnem Chriſtianorum doctrinam eadem methodo expoſuerunt: nec *compendia* Theologiæ conſcripſerunt: idque non modo in Oriente, ſed etiam in Occidente.

E Græcis primus, opinor, IIII. ſæculo *Cyrillus Hieroſolymitanus* Catecheſes exaravit, quæ ad nos uſque pervenerunt. [1] Sunt enim in manibus *Catecheſes XVIII. ad Competentes*, & *Catecheſes V. Myſtagogicæ ad Baptizatos*. [2] Quod ad catechumenos, eos hoc modo inſtituit. Principio poſtea quam generali quadam præfatione eos præparavit, de Peccato, de Baptiſmate, deque præcipuis Chriſtianæ religionis placitis breviter diſputat: omneſque articulos ſymboli Hieroſolymitani copioſe enarrat. In *Myſtagogicis* vero de Baptiſmo, & Eucha-

Z ri-

[1] *Raræ catecheſes ad noſtra tempora venerunt, ſi excipias Cyrilli Hieroſolymitani, & Gregorii Nyſſeni aliquas: itemque Baſilii Magni, qui* Libris II. de Baptiſmo *ſpecimen exhibet: & Gaudentii Brixienſis, qui V. ſæculo ſcripſit. Nam tribus primis ſæculis Patres plerumque ex tempore eas dicebant, monumentis non mandabant. Poſtea catechumenis permiſerunt, ut, quæ in eccleſiis audiſſent, ſcriptis conſignarent.*

[2] *Primæ habitæ ſunt ad catechumenos, qui in Paſchate baptizari petebant: idque aliquot diebus ante quam ablueventur. Aliæ ad recens baptizatos ſeu Neophytos, poſt feſtum Paſchatis.*

riſtia facit ſermonem. Præcipua fidei Catholicæ capita in iis exponit Cyrillus, & Scripturarum auctoritate confirmat. Opus tamen eſſe non dedita opera, ut ederetur, lucubratum, ſed ex tempore conditum, vel primi libri inſcriptio declarat.[1]Præterea in rebus non adeo neceſſariis magis abundat, quam talis inſtitutio requirebat. Deſideratur etiam in eo ordo, & nexus ſyſtematis.

Neque vero Gregorii Nazianzeni *Orationes IIII. de Theologia* [2] pro Inſtitutionibus Theologicis habendæ ſunt, etiamſi utilia multa contineant. In prima enim, qualis eſſe debeat Theologiæ doctor, oſtendit: deinde docet, quando, apud quos, de quibus rebus, & qua ratione diſputandum ſit: tum eos reprehendit, qui eo temeritatis venerant, ut de venerandis & abſtruſioribus Religionis noſtræ decretis incommode diſputarent. Hæc prima. Reliquæ ſunt tres, in quibus adverſum Eunomianos ediſſerit. Ex quibus perſpicue conficitur, nullum Theologiæ compendium in iis contineri.

Eodem modo de ceteris judicabimus. Exſtant *Magni Athanaſii* nomine libri duo: alter inſcriptus: *Synopſis Scripturæ Veteris, & Novi teſtamenti*: alter hoc modo: *Syntagma doctrinæ ad homines ſolitarios, omneſque Chriſtianos tam clericos, quam laicos*. [3] Sed neuter ad dogmata pertinet. In primo enim, quid in ſingulis Bibliorum libris contineatur, deſcribitur. In altero Fideles, præſertim Monachi, morum præceptis inſtituuntur.

Euſebii vero Cæſarienſis ſcripta, quæ circiter annum CCCXII. edidit, contra Gentiles, & Judæos condita ſunt eo conſilio, ut Hieroclis objectionibus occurreret,

[1] *Ita ſe habet*: Inſtitutio Inluminatorum Hieroſolymis extemporanea.

[2] *Exſtant Tom. I. Oper. p. 529.*

[3] *In editione Colonienſi anno 1686. fol.*

ret, qui Sacros codices inpudentiſſime reſpuebat. In *Præparatione Evangelica* hoc ſibi propoſuit Euſebius, ex Gentilium libris efficere, quidquid Ethnici de theologia vel Naturali, vel Civili, vel Fabuloſa, vel Symbolica boni cogitarant, quod hominem ad cultum Dei, veramque felicitatem erudiret, ex Judæorum libris ſumi potuiſſe: ut inde duceret [& hic erat ſcopus operis] merito a Chriſtianis Judæorum libros Sacros Græcorum ſcriptis antepoſitos fuiſſe. In altero autem opere, quam *Demonſtrationem Evangelicam* inſcribunt, ex ipſis Sacris codicibus luculenter conficit, Evangelicam doctrinam Prophetarum prædictionibus adamuſſim reſpondere: ubi Chriſtianæ religionis veritatem oſtendit. Certe Euſebius hiſce libris, qualis vir eſſet, oſtendit. Tanta enim eruditione, tantaque dicendi copia valuit; tum eo ordine argumentum ſuum tractavit, ut cum nemine eorum, qui Gentiles, & Judæos ſub idem tempus refutarunt, ſit comparandus. Multa tamen in eo deſiderantur, ut opus ex omni parte perfectum lucubraret: præterea unum tantum argumentum ſibi ſumſit explicandum. Et hæc apud Græcos.

Latini vero & ipſi plurimos ſcriptores habuere, qui vaſtiſſima eruditione, & admirabili quadam eloquentia valuerunt: ſed hi vel Gentiles aggreſſi ſunt, [1] vel Catholicorum decreta adverſum Hæreticos defenderunt. [2] Nulli, quod ſciamus, in eo laborem poſuerunt, ut

[1] *E.g. ſæculo IIII. Arnobius, Lactantius, Julius Firmicus Maternus. Sæculo autem V. Auguſtinus, Oroſius, ceteri.*

[2] *Auguſtinus contra* Manichæos, Pelagianos, *&* Joviniani *diſcipulos. Optatus, & Auguſtinus contra* Donatiſtas. *Hilarius Pictavienſis, Ambroſ. Auguſt. contra* Arianos. *Hieronym. contra* Jovinianum, Helvidium, Vi-

Sacram doctrinam ad ordinem & ſyſtema reducerent. Exſtant quidem *Lucii Cæcilii Lactantii* Firmiani *Divinarum Inſtitutionum Libri VII.* pleni ſelectæ doctrinæ, & puro ac eleganti dicendi genere conſcripti: in quibus vir eloquentiſſimus viris emunctæ naris probavit, Ciceronem, ſi ea ſibi ſumeret explicanda, non alia dictione uſurum fuiſſe. Verum qui eos pro compendio Theologiæ habent, hi certe falluntur. Scopus illi eſt, æque ac *Arnobio*, [1] Gentilium deliria patefacere, & infirmare. Nam primo libro Polytheiſmum labefactat, & unum eſſe Deum argumentis demonſtrat. In altero cauſſas erroris in rebus divinis perſequitur. Tertio libro de philoſophiæ Gentilis flagitiis diſſerit. In quarto etſi de Chriſtianæ religionis dogmatibus explicare polliceatur, tamen non niſi de Salvatore agit. Quinto libro demonſtrat, juſtitiam non niſi apud Chriſtianos vigere: item de cultu Dei explicat contra Paganos. Poſtremis libris de vita beata verba facit. In quo Theologiæ compendium quis inveniet?

Nec ipſi *Ambroſii* Mediolanenſis *Libri V. de Fide, & Trinitate*, quos Gratiani ſuaſu conſcripſit, ſummam Catholicæ fidei comprehendunt: ſed adverſus Arianos Trinitatem propugnant. *Gennadii* vero Maſſilienſis liber de *Eccleſiaſticis Dogmatibus*, omnia Fidei decreta complectitur: ſed ea tantum perſtringit, quæ contra Hæreticos in Eccleſia ſunt conſtituta & firmata, idque nullo ordine. Sed

---

Vigilantium, *&* Pelagium. *Leo Papa, & Marius Mercator contra* Neſtorium. *Leo Papa contra* Eutychetem. *Maximus contra* Monothelitas. *Proſper, & Hilarius Arelatenſis, & Fulgentius contra* Maſſilienſes: *alii*.

[1] „*Septem Libros* adverſus Gentes *Arnobius edidit*, „*totidemque diſcipulus ejus Lactantius*. Hieron. *Epiſt.* 84. *ad Magnum*.

Sed præter ceteros *Aurelius Auguſtinus*, Hipponenſis epiſcopus, qui inclinante ſæculo IIII. & initio V. floruit, eſt conſiderandus. Hic, tametſi tot tamque præclaras ediderit lucubrationes, atque eo ingenio, eo judicio, tam ſingulari eruditione præditus eſſet, ut ipſe ſolus tanto operi ad finem perducendo idoneus videretur; tamen nullum Theologiæ compendium perfectum reliquit. Quod eo magis mirabile eſt, propterea quia vir beatiſſimus inſtituendis Fidelibus totus vacavit. Nam libris tribus prioribus *de Doctrina Chriſtiana* Fidelem docet, quo modo Sacra ſcriptura ſit explananda: quarto vero libro oratorem Sacrum formandum & inſtituendum ſibi ſumſit. In libro autem *de Catechizandis Rudibus*, catechizandi artis non modo præcepta, ſed etiam uſum oſtendit.

Unus exſtat libellus hoc titulo: *Enchiridium ad Laurentium de Fide, Spe, & Caritate*: in quo ſumma doctrinæ Chriſtianæ quædam comprehenditur. Sed is nec pro abſoluto compendio, nec pro ſyſtemate haberi poteſt, uti ex iis, quæ diximus, colligi poteſt.

Inficiandum non eſt, *Auguſtinum* multo magis, quam ceteros, ad ſyſtematicam ſcribendi formam etiam in ſingulis tractatibus accedere. Nam ex principiis, quæ ponit, concluſiones recte ducit, ex iiſque commode ratiocinatur. Primus autem apud Occidentales *Auguſtinus* eſſe videtur, qui ſubtiles aliquas quæſtiones adhibuit Theologicis decretis: & magis rationibus, quam Scripturæ teſtimoniis, eas diſſolvit. Sed id verecunde ac ſapienter fecit *Auguſtinus*, nec pro dogmatibus venditavit. Non ita vero non nulli, qui, cum beatiſſimi doctoris plurimas dotes adſequi non poſſent, nævos tantum aliquos, [1] quorum vix homines ulli expertes ſunt; qui vel

[1] *De Auguſtino tale eſt judicium* Dupini *Galli clariſ-*

vel in ejuſdem argumentis, vel ratiocinationibus ſe offerunt; ſunt immitati, eoſque pro exquiſita ſapientia aliis obtruſerunt.

Ita-

---

riſſimi, quod ego a viro docto Latine redditum iiſdem verbis deſcribo. „ *Uſitata ejus methodus eſt, præclara* „ *principia ponere, ex quibus innumeras elicit conſequen-* „ *tias: adeo ut omnia doctrinæ illius capita arctiſſimam* „ *inter ſe connexionem habeant. In pleriſque myſteriis ma-* „ *gis ratiocinatus eſt, quam ullus auctor ante illum. Plu-* „ *res quæſtiones, prius non motas, agitat, barumque plu-* „ *res ſola acuminis ſui vi diremit. Longe ſæpius abiit ab* „ *eorum ſententia, qui ipſum præceſſerunt, ut novam pror-* „ *ſus viam inſiſteret, ſive in Scripturarum explicatione,* „ *ſive in Theologicis opinionibus. Circa res Theologicas de* „ *eo dici poteſt, quod de ſe ipſo dicebat Cicero circa Phi-* „ *loſophiam, quod fuerit magnus opinator: id eſt, quod* „ *plurimas opiniones, quæ meram babebant probabilita-* „ *tem, in medium protulerit. Sed id fecit Auguſtinus ad-* „ *modum modeſte, ac prudenter, non ea mente, ut alios ad* „ *arbitrium ſuum, cæcorum in morem, ſequendum adige-* „ *ret. Contra vero cum agitur de Eccleſiæ doctrina, eam* „ *cum animi firmitate proponit, ac tuetur, eamque oppu-* „ *gnantes fortiter adoritur. Multo minus eruditione, quam* „ *ingenii dotibus, valebat: nam neque Linguas callebat,* „ *neque Veterum ſcripta evolverat. Multo facilius ac ter-* „ *ſius, quam polite & eleganter, ſcribebat. Quamvis* „ *Rhetoricam docuiſſet, Oratorum tamen eloquentiam non* „ *poſſidebat, aut illam ſaltem negligebat: immo nec ſemper* „ *in phraſibus ſuis caſtigatus eſt ſtilus ejus: vocabulaque* „ *impropria atque barbara quandoque uſurpat: argutiis* „ *ſæpius, vocumque alluſionibus utitur: res eaſdem fre-* „ *quenter repetit, eademque ratiocinia centies in ſcriptis*

ſuis

Itaque qui vel in *Auguſtino*, vel alio doctore IIII. & V. ſæculi ſyſtema aliquod, vel compendium Theologicum ex omni parte perfectum reperire conatur, is maxima Theologicæ hiſtoriæ ignoratione impeditur. Non enim hoc ſibi datum Patres exiſtimarunt, ut Chriſti decreta Philoſophorum more via ac ordine per otium ſcriberent & explicarent: ſed ut eadem adverſum Gentiles, & Judæos, & Hæreticos tuerentur. [1] Hac de cauſſa nulla exſtant Patrum ſcripta, quæ ſingulas Theologiæ partes ordine digerant, & confirment argumentis: propterea quia non eadem ætate ſingula dogmata ab Hæreticis rejecta ſunt, ſed alio & alio tempore. [2] Ex quo & Patres, qui

„ *ſuis inculcat. Eidem mentis conceptui diutius inhæret*, „ *quem variis modis effatur*, & *in locos communes excur-* „ *rere ſolet. Argumenta innumera ex aliquo principio* „ *ediſſeruit: corpuſque Theologicum, ut ita loquar, La-* „ *tinorum patrum, qui poſt ipſum vixerunt, efformavit*. „ *Hi ſiquidem ex illius libris non tantum hauſerunt prin-* „ *cipia, quibus uſi ſunt, ſed etiam frequenter eumdem* „ *mere tranſcripſerunt*. Nova Bibliotheca Auctor. Ecclesiaſt. Tom. III. p. 256.

[1] *Patrum ſcripta, quæ Sacra dogmata exponunt, vel ſunt* Catecheſes, *vel* Homiliæ, *vel* Sermones, *vel* tractatus Theologici & Polemici *conſcripti ad formam epiſtolarum. Priorum vel inſcriptio declarat, curſim & aliorum gratia eſſe conſcripta. Tractatuum vero ratio ſcribendi confirmat id ipſum. Cum enim non niſi rogati*, & *aliquo tempore vel Eccleſiæ, vel amicorum commoti de re Theologica ſcriberent, reſponſiones ſuas ſeu tractatus epiſtolarum more exararunt*, & epiſtolas *nominarunt*.

[2] *Velut IIII. ſæculo acriores cum Gentilibus*, & *Judæis dimicationes fuere: V. vero non item. Sed his duobus ſæ-*

qui a divina providentia vocati ſunt, ut Eccleſiæ hoſtibus toto animo ſe opponerent, de infirmanda perverſa doctrina magis, quam de lucubrandis ſcriptis ingenio & arte, ſolliciti fuere. [1] Et certe quidem *Trinitatis* dogma valde inluſtrarunt illi, qui cum Arianis, Samoſatenianis, Sabellianis, & hujuſmodi peſtibus decertarunt. *Incarnationem* illi, qui Neſtorianos, & Eutychianos aggreſſi ſunt. De *Gratia Dei*, *de Prædeſtinatione*, de *Libero arbitrio*, magis accurate, & copioſe diſſeruerunt illi, qui cum Manichæis, Pelagianis, aliiſque prœlium commiſerunt, quam ceteri. Quare veluti per gradus ad ſuum faſtigium perducta eſt Theologicorum dogmatum diſciplina, talium virorum opera atque induſtria. [2]

Magnum etiam ſtudium in eo ponebant Patres, ut Sa-

ſæculis maius ab Hæreticis, quam ab aliis, periculum rei Chriſtianæ inminebat.

[1] „ *Ipſorum vero methodus alia erat atque alia, pro* „ *temporum, & perſonarum varietate: & ſe ſe ad eorum* „ *captum conformabant, quos erant allocuturi. Sive etenim Ethnicos evincere oporteret ſuper factorum & miraculorum veritate, quæ libri ſancti teſtantur; ſive Judæis* „ *oſtendere, in Chriſto Jeſu adimpleta ea omnia, quæ Prophetæ cecinerunt; ſive Hæreticos coarguere de Fidei doctrina, quam conabantur evertere; e Bibliis ea eruebant* „ *argumenta, quibus illorum obduratio, pervicacia, ac* „ *fides inproba obſiſtere nequaquam poſſent*. Calmet. *Præf. in Scripturam*.

[2] „ *Multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia,* „ *dum Hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut* „ *adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exſiſtit occa-* „ *ſio*. Auguſtin. *de Civit. D. L. XVI. c. 2.*

Sacras litteras interpretarentur, idque ſecundum Myſticum ſenſum. [1] Etenim qui ad tempora uſque *Diodori Tharſenſis* epiſcopi, hujuſque auditoris *Joannis Chryſoſtomi* [hi inter primos *Litterali* ſenſui magis vacaſſe videntur] ſcripſere Patres, vel Chriſti, & Apoſtolorum auctoritate moti, vel ut ætatis conſuetudini ſervirent, quidquid ex Sacris litteris ſumebant, myſtica ſignificatione ornabant & interpretabantur. Nam cum vel ad Gentiles dicerent, qui Poetarum fabulis ac allegoriis, & Semi-Platonicorum abſtractis notionibus, ſymboliſque erant innutriti; vel ad Catechumenos loquerentur, qui religionis Chriſtianæ myſteria penitus non cognoverant; vel Judæorum audaciam perfringere conarentur, qui Chriſtianorum ſententias ex male intellecta Scriptura profectas eſſe dicebant; [2] ne illis ſermonem darent, illorumque oculis noſtræ doctrinæ ſimplicitas vileſceret; Scripturæ loca ad allegoriam, vel alium myſticum ſenſum [id eſt, ad Chriſtum, vel Eccleſiam ejus] flectebant: quo faciliores aditus invenirent, & majorem Religioni noſtræ æſtimationem conciliarent. Quamobrem populos Criticis, & Grammaticis controverſiis non detinebant: quip-

[1] *Myſticus ſenſus pro varietate temporum nimirum præteriti, præſentis, futuri, in* Allegoricum, Tropologicum, Anagogicum *dividitur*. Allegoricus *eſt, qui, ea, quæ in Veteri eccleſia eveniebant, eſſe figuras, & prædictiones eccleſiæ Chriſti oſtendit*. Tropologicus *eſt, qui hiſtoriam Sacram, & ipſa Scripturæ verba flectit ad morum præſentium inſtitutionem*. Anagogicus *eſt, qui mentem excitat ut cæleſtem felicitatem, quæ mortem conſequetur, meditemur, & cognoſcamus*.

[2] *Conſule Montfauconum in* Prolegomen. in Euſebii Comment. in Pſalmos Cap. IIII. p. 9.

quippe quæ nec ad emendandos mores utilia, nec auditorum intelligentiæ erant accommodata.

Aliqui tamen per id tempus fuere viri doctiſſimi, qui Critica arte erant exercitati, & in *Litterali* ſenſu inveſtigando feliciter laborarunt: ut *Euſebius Cæſarienſis*, & uterque *Theodorus, Heracleenſis*, & *Mopſueſtienſis*: item *Hieronymus, Chryſoſtomus, Theodoretus*, qui animadverſionibus Criticis, & Hiſtoricis commentaria ſua repleverunt. [1] Adeo in Novo teſtamento explanando, ut monet vir eru-

---

[1] *Patrum opera Critica quadruplicis generis ſunt. I. Quædam ad Scripturarum intellectum viam ſternunt: ut* Philocalia *Origenis, & Libri IIII.* de Doctrina Chriſtiana *Auguſtini, præſertim 2. & 3. ubi & Linguarum ſtudia commendat, & Naturales diſciplinas, & Criticen, & regulas tradit explanandi loca obſcura: &* Synopſis, *quæ B. Athanaſio tribuitur.*

II. Aliud genus complectitur præfationes ad ſingulos Scripturæ libros: quæ operis hiſtoriam, conſilium, cetera continent: ut Hieronymi Epiſtola ad Paullinum: *ejuſdem* Ep. ad Deſiderium: *&* 18. Epiſtolæ *ad ſingulos Scripturæ libros, quæ 3. Tomo continentur. Præterea Theodoreti* Præfat. in Univerſam Scripturam. *Gregorii Nyſſeni* Tractatus. *Athanaſii* Ep. ad Marcellinum, de Inſcriptionibus Pſalmorum. *In Novo autem teſtamento Euſebii Cæſarienſis* Ep. ad Carpianum, *&* Concord. Evangeliſt. *Item Auguſtini* Concordia Evangel. *ubi antilogias erudite explanat: & liber de* Catechizandis Rudibus, *ubi docet, qua via ex Veteri teſtamento Novum ſit inluſtrandum. Item* Liber de Religione, *&* de Moribus Eccleſiæ, *&* de Sermone Domini, *ubi de obſcuritate Sacror. codic. tractat.*

III. Sunt etiam Patrum libri, qui difficiliora loca exponunt: ut Hieron. Epiſt. 130. ad Marcellam, *in qua expo-*

eruditiſſimus, [1] nihil a Recentioribus excogitatum fuit, quod Veteribus illis non fuerit exploratum. Et quamquam fere omnes Hebrææ linguæ eſſent expertes, tamen operam dederunt, ut interpretationes ſuas Hebræo codici quam maxime conſentaneas ſcriberent. Tum ex præcedentium ſententiis non modo in iis, quæ ad ſenſum Litteralem, verum etiam quæ Allegoricum, & Mo-

ra-

---

ponit, quid ſit Ephod, *&* Theraphim. *Epiſt.* 137. *de voce* Alleluia, *&* Amen. *Ep.* 138. *de voce* Sela, *quam Græci reddunt*, Diapſalmos. *Ep.* 142. 143. 145. *ubi Oziæ hiſt. enarrat, & dilucidat quid ſit* Sanctus, *&* Oſanna. *His adde libros, in quibus explicat* Alphabetum Hebræum: *& nomina* virorum, provinciarum, urbium, *de quibus in Script. fit mentio*: *&* Hebræas traditiones: *&* Diſcrepantiam inter codicem Hebræum, & Græcum. *Item Epiphanii liber de* Nummis, Ponderibus, *&* Menſuris. *&c. Libri vero ejuſdem de* Phyſiologia, *&* de Duodecim lapidibus Rationalis, *habita ratione temporis, quo ſcripti fuere, non omni laude privantur. Auguſtinus de* Modo loquendi in VII. prioribus Script. libris. *Eucherii* Formulæ Spiritales ad Veranum, *quæ tamen plurima myſtica continent*: *&* Inſtitutiones *ejuſdem*.

IIII. Poſtremo occurrunt etiam opera, quæ controverſias, quæ ex Divinis libris proficiſcuntur, dilucidant: hujuſmodi ſunt Hieronymi Reſponſa ad quæſtiones Damaſi Papæ de quinque difficultatibus in Geneſin: *item* ad Evagrium, *ubi inveſtigat* quis fuerit Melchiſedech: *Reſponſum de* annis Salomonis, & Achaz: *Sex illius epiſt. ad* Hedibiam, Algaſiam, *ceter. in quibus Antiqui teſtamenti difficilia loca, & controverſias explanat.*

[1] *Auguſtinus Calmet. Benedictinus* Præfat. in Comment. Biblior.

ralem pertinent, expoſitiones ſuas ſapientiſſime ſumſerunt. [1]

Itaque quæ ſuperſunt Patrum ſcripta in Sacram ſcripturam triplicis generis ſunt. *Scholia*, quæ ſapientioribus ſunt accommodata. *Commentaria*, eorum gratia conſcripta, qui rerum Divinarum contemplationi dediti erant *Homiliæ*, quarum aliquæ vulgarium tarditati & incondito ſenſui apta erant: aliæ vero acutioribus.

Homiliæ autem habebantur poſt lectionem Sacri codicis: cujus ſingulos verſus Epiſcopus, vel presbyter explanabat. [2] Quibus non ſolum Catechumeni, ac Fideles, ſed etiam Gentiles, Judæi, & Hæretici ipſi adeſſe ſolebant: propterea quia diuturno uſu intellexerant noſtri, his ſermonibus excitatos complures ad Chriſti fidem veniſſe. [3] Quod in cauſſa eſt, cur tanta in homiliis

---

[1] *E. g. Cyprianus Tertullianum plerumque ſequitur: Euſebius, Chryſoſtomus, Hilarius, Ambroſius, & Hieronymus, Originem: Iſidorus, Nilus, Theodoretus a Chryſoſtomo nimis multa ſumſerunt: Auguſtinus Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Ambroſio plurimum debet: Caſſiodorus, Gregorius Magnus, Proſper, Fulgentius, Anſelmus, Bernardus ab Auguſtino bene multa decerpſerunt: ut eorum ſcripta conferenti inter ſe apertum erit.*

[2] *Habes exemplum apud Auguſtinum* Sermone 63. *in* Evangel. Joann. & *Chryſoſtom.* in Evang. Matth. & Epiſt. Paulli.

[3] „ *Antiquos canones relegentes inter cetera hoc cen-* „ *ſuimus obſervandum, ut ſancta Evangelia ante mune-* „ *rum oblationem in miſſa Catechumenorum, in ordine le-* „ *ctionum poſt Apoſtolum legantur, quatenus ſalutaria præ-* „ *cepta D. N. Jeſu Chriſti, vel ſermonem ſacerdotis* [in- „ tellige concionem poſt Evangelium] *non ſolum Fideles, ſed*

liis Veterum epiſcoporum diverſitas reperiatur. Nimirum nihil intenta tum relinquebant eloquentiſſimi homines, ut auditorum animos alia & alia conſuetudine, ac præjudiciis imbutos, flecterent quo vellent. Interdum enim res plane exponunt: interdum vero prætereuntes tangunt. Sæpiſſime de re Morali, quæ ad omnes pertinet, fuſe ac eloquenter ediſſerunt. Itaque de unitate & potentia Dei, de mundi creatione, de nativitate Chriſti, miraculis, præceptis, morte, reſurrectione, & gloria, plane loquebantur. Item de Eccleſia, remiſſione peccatorum, reſurrectione, extremo judicio, vita æterna, de inprobis Angelis, perſpicue concionabantur & palam. Contra, de abditiſſimis myſteriis, ut Trinitate, Incarnatione, Sacramentis, nihil proferebant: [1] Ritus etiam & cæremonias noſtrorum occultabant mirifico ſtudio. [2]

Et, ut paucis ſingula comprehendam, ea, quæ his duobus ſæculis ſanctiſſimi Theologi præſtiterunt, hæc fere ſunt. Primum non eadem via perpetuo dogmata expoſuerunt, ſed habita ratione loci, & temporis, & auditoris. Alia enim via cum Gentilibus, alia cum Judæis, alia

---

„ *ſed & Catechumeni, & Pœnitentes, & omnes, qui ex* „ *adverſo ſunt, audire licitum habeant: ſic enim Pontificum prædicatione audita, non nullos ad Fidem adtractos evidenter ſcimus*. Valentina Synodus in Hiſpania Canon. I.

[1] „ *Quæ ex minime vulgata, ſed ſecreta doctrina profecta ſunt, quam quieto, minimeque curioſo ſilentio, Patres noſtri cuſtodierunt: probe quidem illi intelligentes, myſteriorum majeſtatem taciturnitate ſervari*. Baſilius *Lib. de Spirit. S. c. 27. p. 511.*

[2] „ *Dogmata rerum myſticarum, quarum ſpectatores eſſe nefas erat nondum initiatos, neutiquam efferri publice ſolebant*. ibid. pag. 211.

alia cum Hæreticis diſputabant. Tum alio modo Catechumenos, alio Perfectos inſtituebant. Contra Gentiles ex Philoſophia & ſæculari eruditione ſumebant argumenta, ut eos iiſdem armis, quibus utebantur, debilitarent. Verum quædam tantum decreta exponebant iis: interiorem vero Theologiam, & abdiſſima myſteria ſilentio premebant: ne inpuris hominibus, & rebus corporeis occupatis paterent myſteria ſacroſancta. Iccirco Religionis noſtræ myſteria reconditiora non ſunt perquirenda in iis libris, quos adverſum Ethnicos conſcripſerunt: licet in iis pro occaſione inluſtrarint non nulla.

Contra Judæos non aliis armis diſceptabant, quam ex vaticiniis Prophetarum, & Scripturæ ampliſſimis promiſſionibus: ex quibus conficiebant, eccleſiam Veterem eſſe figuram Chriſti, & Eccleſiæ ejus.

Cum vero adverſum Hæreticos diſputaturi erant, tum plane & nullis ambagibus ſingula exponebant: tum myſteria omnia noſtra aperte loquebantur: tum teſtimoniis ab Scriptura, & Traditione ſumtis ea muniebant, & confirmabant: quod in hac erant ſententia, eo conſilio a Deo hæreſes permitti, ut dogmata inluſtrarentur, & qui nutabant in Fide abundantiori luce perfunderentur, & confirmarentur. Itaque ſi Hæretici libros Divinos negabant, ex libris ab iiſdem admiſſis, & Eccleſiæ teſtimonio conficiebant noſtri, prædictos libros eſſe Divinos. Sin dogma aliquod tantum negabant, ex tradita doctrina negantes refutabant: adeoque ad Traditionem fere ſemper confugiebant priſci illi Theologi. Neque vero omnia, quæ dici poterant, in ſingulis argumentis adducebant; nec ea ita perſpicue ponebant, ut facile perciperentur: nec ea omnia prævidebant, quæ progreſſu temporis colligi poſſent: ſed ex conſuetudine ætatis tractabant ea,

quæ

quæ neceſſaria erant ad Hæreticos refellendos. [1]

Jam Catechumenos non ante inſtituebant, quam per duos, & tres annos exploraſſent, an ex animo id dicerent. Quare primo impedimenta omnia removebant, quæ ex Gentiliſmo proficiſcebantur. Deinde rudimentis Fidei, & Morum diſciplina eos inſtituebant: Myſteriorum vero expoſitionem non adjungebant. Et adeo caute cum iis agebant, ut orationem Dominicam ipſis non traderent, niſi aliquot diebus ante baptiſmum, cum jam ex numero *Competentium* eſſent. Symbolum Apoſtolorum, vel aliud ab Eccleſia receptum voce tenus docebant, nuſquam vero gentium iis ſcribendum permittebant. [2]

Competentes autem erudiebant myſteriis noſtris: & primum Sacramentorum doctrina, deinde præcipuis Fidei dogmatibus, præſertim Trinitatis, & Incarnationis, idque veluti per gradus. Cuncta iis plane & perſpicue exponebant: metaphoras omnes Sacrorum codicum dilucidabant, &, quo ſenſu eſſent accipiendæ, tradebant. Rem uti erat aperiebant: nihil augebant: non ſubtiles diſputationes adhibebant.

Poſt Paſcha Neophytos inſtituere ac expolire pergebant, multo planius & clarius, quam ante: omniaque exponebant, quæ ex Chriſtianorum diſciplina proficiſcebantur: ac myſticas omnes ſignificationes dilucidabant.

---

[1] ,, *Quis enim inficietur, multa iis in æſtu diſputa-*
,, *tionis excidiſſe; quæ paullo accuratius exprimi potuiſ-*
,, *ſent? In delectu quoque argumentorum, relictis ſæpenu-*
,, *mero firmioribus, adhibuiſſe ſubtiliora, uti mos erat Ve-*
,, *terum philoſophorum, qui ad defendendas opiniones ſuas*
,, *non probabilibus dumtaxat, verum etiam ſophiſticis ute-*
,, *bantur argumentis*. Bonavent. Argonenſis Chartus. *de Legendor. PP. methodo P. III. c. 12. p. m.* 292.

[2] *Conſule Auguſtin.* Sermon. 212. de Trad. Symbol.

bant. Ad Perfectos autem crebras habebant conciones de re Morali. Tamen cum vel Neophytos, vel Perfectos inſtituerent, non illi res ſingulas ad ſingula capita, & tractatus reducebant, ut hoc tempore mos eſt; ſed ut occaſio erat exponebant. Non multis argumentis myſteria confirmabant; ſed ſimpliciter, & ex communi Eccleſiæ ſententia ea proponebant: quod putaſſent, Fidelem ſolis Evangelii verbis contentum eſſe debere. [1] Inanes vero & non neceſſarias quæſtiones etſi aliquas interdum adhiberent, tamen non longe perſequebantur: ſed fines conſtituebant, quos pertranſire putabant fas non eſſe. [2]

Jam ſi curioſius exploramus, quo pacto Philoſophia uterentur ipſi, deprehendemus, caute, & non niſi ut dogmata inluſtrarent, eam adhibuiſſe. Nam primum, ſi quando res exigebat, Gentilium dogmata cum noſtris conferebant, eaque vel confutabant, vel, ſi vera eſſent, cum religione noſtra conſentire patefaciebant: oſtendentes, cauſſam nullam eſſe cur hominibus noſtris allatrarent Gentiles, quando ab iis dogmata noſtrorum non diſſimilia tradebantur: idque & in aliis, & in Morali diſciplina efficiebant, [3] uti ſupra demonſtravimus. Deinde no-

[1] *Origenes* Contr. Celſum L.3.& Hilar. *Pictavienſ.* de Trinit. L. 2. *&* *Athanaſius ita ſentiunt de myſterio Trinitatis*.

[2] „ *Non ergo* [reſpondet Auguſtinus Conſentio de „ Chriſti corpore in Cælo] *& nos addamus inquirere*, „ *quod ille non addidit dicere*: *& de compendio ſi placet* „ *finita ſit quæſtio*. *Fortaſſis enim accepta occaſione ſangui*- „ *nis*, *urgebit nos moleſtior perſcrutator*. Epiſt. 205. novæ edition.

[3] *Etiam libros Gentilium Morales a noſtris emendatos*

noti erant in eo ut argumentis ab hiſtoria petitis conficerent, nec Legumlatores, quantumvis ſapientes, & ſeveros, nec Philoſophorum diſputationes acerrimas efficere potuiſſe, ut hominum ingenia vere miteſcerent: atque ex fera & inmani conſuetudine ad honeſtatem & humanitatem traducerentur. Sed opus fuiſſe doctrina & ſapientia a Deo tradita, quæ in hominum animos talem tantamque mutationem ſine negotio induceret. [1] Cetera non niſi parce adhibebant in quocumque argumento. [2]

Nullus eorum Dialectica forma nimis religioſe uſus eſt in refutandis adverſariis. Et, quod magis eſt mirabile, quamquam cum hominibus Dialectica arte vehementer exercitatis contendendo diſputent; eorumque cavilla-

 tio-

---

tos legi ſolere, conſtat ex illo Origenis: „ Plato ſolis do- „ ctorum tantum teritur manibus. Epictetus vulgo quoque „ lectorum admirabilis eſt, utilitatis nomine, quod ſe præ- „ ceptis illius admonitos proficere ſentiant. Contra Celſum L. VI. init. p. m. 283.

[1] *Hoc argumentum ſcite perſequitur Chryſoſtomus* Homilia V. in Epiſt. ad Titum.

[2] „ *Recte videri ſibi*, ait Auguſtinus, *ſtudioſis & ingenioſis adoleſcentibus, & timentibus Deum, beatamque „ viam quærentibus ſalubriter præcipi, ut nullas doctrinas, „ quæ præter eccleſiam Chriſti exercentur, tamquam ad „ beatam viam capeſſendam ſecure ſequi audeant, ſed eas „ ſobrie diligenterque dijudicent: in ceteris autem doctri- „ nis, quæ apud Gentes inveniuntur, omnibus tenendum „ eſſe, ne quid nimis diligatur*. De Doctrina Chriſt. L. II. c. 39.

tiones exponere, & infirmare adoriantur; [1] tamen vix aut nullo modo eadem ratione utuntur: ſed adverſariorum ſophiſmata tum refutant, cum plane exponunt & patefaciunt. [2] Quo planum faciunt, quid ipſi de uſu Dialecticæ in Theologia judicarint.. Tamen bona Dialectica eos plerumque uſos eſſe, eorum ſcripta ſine gratia conſulenti erit perſpicuum. Plerumque dico, nam non ſemper certas & firmas argumentationes perſequuntur: [3] tum quod Sæcularem philoſophiam contemnerent; tum quod ex vulgi, & Philoſophorum opinionibus aliquando loquerentur, qui non ſemper commode & accurate

---

[1] *Baſilius, & Gregorius Nyſſenus in* libris contra Eunomium *captioſa omnia illius argumenta ex Dialectica vera diſſolvunt. Cyrillus Alexandrinus in* Theſauris, & Dialogis, & Commentariis in Joannem *hæreticas fallacias & ſubtiles argutias ex arte differendi configit. Idem alii & Græci, & Latini cum laude & cum pretio factitarunt.*

[2] *Cyrillus Alex.* Julianum *Apoſtatam refutaturus, primo ipſius ſententiam exponit: tum reſponſionem adjungit ſine ullis cavillationibus, nude atque aperte.*

[3] „ *Multa ſunt a Sanctiſſimis PP. præſertimque a* „ *Chryſoſtomo in homiliis adſperſa, quæ ſi ad exactæ veri-* „ *tatis regulam accommodare volueris, boni ſenſus inania* „ *videbuntur. Quippe declamatorio illo more ad inperi-* „ *tam fere multitudinem exaggerandi cauſſa, & ſubito* „ *quodam impetu dicendi, ac calore feruntur plerumque* „ *licentius. Unde ex aliorum comparatione locorum, vel* „ *Conciliorum potius, ac Patrum, temperanda, & in* „ *gyrum veritatis revocanda ſunt.* Petavius *ad Epiphan. Hæres.* LIX. p. 244.

rate ſunt ratiocinati. [1] Sed de Patrum philoſophia diximus prima parte. [2]

CAPUT VII.

De Theologia a V. Sæculo uſque ad ſolidum X.

JAM ſæculo VI. Theologi ad ſyſtematicam dicendi formam pedetentim acceſſerunt: idque præſertim opera *Anicii Manlii Torquati Severini Boethii* Romani, qui cum Ariſtotelis eſſet ſtudioſus, & aliquos illius libros Latine redderet, ſyſtematis formam in quibuſdam ſuis ſcriptis expreſſit: ceteriſque auctor fuit, ut compendia & ſyſtemata aliqua tametſi rudia excogitarent. Quod dubium non erit illi, qui libros Philoſophicos eodem ſæculo a Chriſtianis lucubratos perpenderit. Exſtant *Marci Aurelii Caſſiodori* libri duo de *Inſtitutione Divinarum Scripturarum*: in quibus de ratione legendi libros Sacros, atque de iis, qui ad ſua uſque tempora Sacram ſcripturam eſſent interpretati, diſputat: ſed hæc ad compendia Theologiæ non pertinent. Præterea lucubravit librum *de VII. diſciplinis*, id eſt, de Grammatica, Rhetorica, Dia-

 lecti-

---

[1] „ *Ex ſanctis antiquis non nulli Phyſicen, & Metaphyſicen vel non habuere quidem, vel certe leviter adtigerunt. Alii vero magna ex parte fuere Platonici, priuſquam converterentur ad Fidem. Quamobrem cum in Philoſophiæ quæſtiones incidunt, aut vulgi, & Rhetorum opiniones ſequuntur; aut etiam, quas a Platonicis acceperant, in Chriſtianorum ſcholam invehunt. Ita viri docti errores forte quoſdam [quod ad Philoſophiam quidem humanam adtinet] in Sanctis antiquis deprehendunt*. Melchior Canus *de Locis Theolog. L. VII. c. 3.* [2] *L. I. c.* 10.

lectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia: ut Monachos ſuos ad Sacrarum litterarum ſtudia præpararet, eoſque informaret ad omne genus eruditionis. Quo nobis probavit, ſe multo melius aliis judicaſſe, qui harum diſciplinarum notitiam tamquam ad Sacras litteras non accommodatam, rejiciunt & contemnunt.

Vergente ad finem eodem ſæculo quædam Theologiæ compendia, ſed non dum perfecta, condi cœperunt. *Iſidorus Hiſpalenſis* edidit *Libros III. Sententiarum* ex Gregorii Magni *Moralibus* decerptos: tametſi ex Auguſtino, aliiſque adjunxerit quædam. *Leontius Cyprius* conſcripſit *Locos Communes Theologicos*, [1] qui ex PP. ſcriptis erant depromti. Id ipſum fecerunt alii, qui ex Scriptura, & antiquis Doctoribus teſtimonia collegerunt: [2] velut Anaſtaſius ille, ut vulgo putatur, Sinaita, qui Acephalos refutavit.

Etiam ſæculo VII. invaluit idem mos, præſertim in Occidente. Documento ſit *Taio* epiſcopus Cæſarauguſtanus, qui ex Gregorii Magni ſcriptis libavit *Sententiarum libros V.* idque verbis Gregorii: ubi autem ea non occurrunt, ex Auguſtino verba ſumit. Diſputat in iis de Deo, & adtributis: deinde de incarnatione, deque paſtoribus: tum de Eccleſiæ ordinibus, de virtutibus, & vitiis, deinde de judiciis divinis, tentationibus & peccatis: ad extremum de damnatis, de judicio ultimo, de reſurrectione. [3]

Sed

[1] *Conſule Franciſcum Turrianum* de Hierarchicis Ordinationibus. L. I. c. 12. *& Sirmondum* in Adnot. ad Facundum p. 76.

[2] *Vide Paull. Colomeſium* in Paralipom. ad Guilelmi Cavei Chartophylac. Eccleſ. *p.* 8. 9.

[3] *Confer. Nic. Anton.* Biblioth. Hiſp. Tom. I. L. 5. c. 8.

Sed plerique omnes Theologi in expoſitione Sacrorum codicum operam & induſtriam ponebant: Humaniores litteras, & Philoſophiæ ſtudium prætermittebant. [1] Nec alia eſſe cauſſa videtur, cur B. Gregorius Magnus bibliothecam, quæ in æde Apollinis juxta palatium condita eſſet, flammis conſumeret. [2] Certe qui per id tempus Theologiæ vacarunt, ſi paucos excipias, qui ad refutandas reliquias Hæreticorum veterum, & Muhammedanorum, ſe applicarunt, enarratione Scripturarum occupati fuere. Primum hi ſequebantur Origenem: ſed poſtea quam graviſſimæ controverſiæ librorum Origenis cauſſa ortæ ſunt, Græci ad Chryſoſtomum animum adjecerunt; Latini vero Auguſtinum, & Gregorium Magnum in ſuis interpretationibus imitati ſunt.

Poſt Auguſtini, & Gregorii ætatem Sacræ ſcripturæ ſtudium ſenſim iminutum fuit: nam qui eidem operam dederunt, non niſi in cogendis deſcribendiſque eorum ſententiis, qui præcedentibus ſæculis floruerant, oſtenderunt ingenium ſuum, quas *Catenas PP.* appel larunt: nihil de ſuo addiderunt. Idque non in Theologia ſolum, ſed etiam in Philoſophia factum fuit. Quod Bedæ *Venerabilis* Benedictini Angli exemplo efficitur: qui utraque facultate valuit, & *Catenam* lucubravit ex dictis Patrum: ac Monachos ſuos excitavit ut in idem ſtudium incumberent: quod ipſi poſterioribus ſæculis diligentiſſime fecerunt. Obiit Beda ann. IↃCCXXXV.

Medium circiter VIII. ſæculum primus *Joannes Damaſcenus* juſtam Theologiæ epitomam condidit hoc titulo,

---

[1] *Conſule B. Gregorium Magnum* L. VIIII. Epiſt. 48.

[2] „ *Fertur tamen B. Gregorius bibliothecam combuſſiſſe Gentilem, quo divinæ paginæ gratior eſſet locus,* „ *& maior auctoritas, & diligentia ſtudioſior.* Sariſberienſis, Metal. L. VIII. c. 19.

tulo, de *Fide Orthodoxa*. [1] Hic liber in nullo Græcò codice in alios diviſus eſt. Ex quo Cl. le Quien [2] non injuria ſuſpicatur, hujuſmodi librum a Latinis in quatuor diſpertitum fuiſſe, inſtar *Magiſtri Sententiarum* Petri Lombardi. Ut ut eſt, primo libro de Deo, adtributis, perſonis diſputat *Damaſcenus*. In altero de rebus a Deo creatis, præſertim de homine, de providentia, præſcientia, prædeſtinatione, peccato Adami diſſerit. In tertio de incarnatione, perſona, & utraque natura Chriſti. In quarto de eodem argumento tractat: ubi etiam de fide, baptiſmo, ceteriſque Chriſtianæ fidei placitis ſermonem facit.

Totum hoc opus adverſus Hæreticos eſt conformatum. Ratio vero diſputandi talis eſt. Ex Scripturis, & Patrum teſtimoniis ſumit argumenta ad hæreſes labefactandas. [3] Verum cum *Damaſcenus* ex Arabum conſuetudine Ariſtotelis philoſophia præſertim Dialectica delectaretur; primus, vel ſaltim in primis, Theologiam methodo Philoſophica adornavit: & aliquas diſputationes

---

[1] „ *Primus Theologiam univerſam recto ordine comprehendit, ut loquitur Bellarminus*. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VI. p. m.* 42.

[2] *Dominicanus*, *in Præfat. ad* Libros de Fide Orthodoxa Tom. I. p. 119.

[3] „ *Ille* [Theodoretus] *ex proprii ingenii molimine, adductis S. paginæ teſtimoniis, adverſus Hæreticos varia componens argumentorum genera, compendiariam digeſſit Theologiæ tractationem. Noſter vero* [Damaſcenus] *non ex Scriptura ſolum, verum etiam ex conglobatis Sanctorum PP. ſententiis ea, qua par erat, brevitate, inexhauſtum* traditionis *promptuarium protulit*. Michael le Quien. Præfat. *L. c. qui exponit, ex quibus PP. ſua ſumſit Damaſcenus*.

nes ſubtiles adjunxit, quæ primos illos fugerant Theologiæ doctores. Ex quo non nullis videtur inter Scholaſticorum proavos referendus. [1] Præterea ſcripſit *Sacra Parallela*: quæ eamdem, quæ in ſuperiori libro, doctrinam complectuntur, ſed ſecundum ordinem litterarum poſitam. Et hæc prima Syſtematicæ theologiæ ætas vocari ſolet. Nolim tamen, Adoleſcentes, *Joannem Damaſcenum* hunc Monachum, & Sanctum, cum Joanne Meſue Damaſceno medico Arabo celeberrimo confundatis.

Jam vero in Occidente monachi Benedictini, præſertim Angli, Scripturis exponendis operam haud indiligentem navarunt. Etenim *Bedæ* diſcipuli præceptoris ſtudium pro ſæculi more feliciter expreſſerunt. Hinc *Flaccus Alcuinus* ſeu *Albinus*, [2] qui obiit inito anno IↃCCCIIII. Sacras litteras & in Anglia, & in Galliis, & in Germania interpretatus eſt. Ex cujus diſciplina plurimi profecti ſunt viri doctiſſimi, ut *Haymo Halberſtadienſis*, *Ludgerus Monaſterienſis*, *Rhabanus Maurus*, *Walafridus Strabo*, qui *Gloſſam ordinariam* in Scripturam ex Rhabani commentariis compoſuit. Et hoc *Strabone* ſchola *Scripturaria* Bedæ finem fecit.

Etiam Concilia, ut corruptæ diſciplinæ Eccleſiaſticorum occurrerent, curarunt, ut Divinæ litteræ in quibuſdam eccleſiis viris divino miniſterio mancipatis inſtillarentur. Quod ipſum *concilium Cloveshoviæ* & *Ca-*

[1] *Conf. le Quien. l. cit. Arnaldus* Perpetuitas Fidei L. II. c. 6. p. 229.

[2] „ *Albinum in omni latitudine Scripturarum ſupra* „ *ceteros modernorum temporum exercitatum, utpote di-* „ *ſcipulum doctiſſimi Bedæ, peritiſſimi poſt S. Gregorium* „ *tractatoris*: Vocat Monachus Sangallenſis *de Geſtis Caroli Imper. apud Launoium de Scholis celebrior. c. 2. p. 15.*

[1] & *Cabilonenſe* [2] & *concilium Tullenſe ad Saponarias* [3] & alia ſanciverunt. Et recte quidem Concilia malis ingruentibus obſiſtebant. Nimirum tanta ignorantia quorumdam mentes tenebat, ut Grammaticam noſſe eſſet miraculum. [4] Plurimi præterea ne legere quidem ſcirent, aut commode pronuntiarent. [5] Ex quo mini-

---

[1] „ *Scholas in Cathedralibus eccleſiis, & in Monaſteriis erigi, in quibus Sacræ lectionis, & Divinæ ſcripturæ ſtudio clerici, religioſique viri exerceantur*. Ita ſancitum fuit *in Concilio* Cloveshoviæ anno 747. can. 7. apud Natal. Alex. Hiſtor. Eccleſ. Sæc. VIII. cap. 4. art. 4.

[2] „ *Epiſcopi ſcholas conſtituant, in quibus & litteraria ſollertia diſciplinæ, & Sacra ſcripturæ documenta diſcantur*. Concilium Cabilonenſe anno 813. apud Launoium l. c.

[3] „ *Conſtituantur undique ſcholæ publicæ, ſcilicet, ut utriuſque eruditionis & divinæ ſcilicet, & humanæ in eccleſia Dei fructus valeat accreſcere: quia quod nimis dolendum eſt, & perniciosum maxime, Divinæ ſcripturæ verax & fidelis intelligentia jam ita delabitur, ut vix ejus extrema veſtigia reperiantur*. Coactum fuit anno 869. apud Launoium l. c. p. 53.

[4] „ *Litterarum & religionis ſtudia obſoleverant non paucis ante adventum Normanorum annis. Clerici litteratura tumultuaria contenti, vix ſacramentorum verba balbutiebant: ſtupore & miraculo erat ceteris, qui Grammaticam noſſet*. Guilelmus Malmesburienſis *de Geſtis Regum Angliæ L. III. Confer. Matth. Weſtmonaſter.* Chronic. ad ann. 839.

[5] *In Diſciplina Eccleſiaſtica Reginonis, inter alia, quæ de Presbyteris ſanciuntur, eſt hoc. Jubet ut interroge-*

minime mirum videri debet, ſi Veterum theologorum præſtantiam tales Theologi non ſunt adſecuti : ſi Sacros codices incommode interpretati ſunt, non enim poterant melius : ſi Theologiam ipſam non via ac ordine diſputarunt : ſi paucos in optimis diſciplinis fecerunt progreſſus. Miſera enim illa *Trivii* , & *Quadrivii* litteratura , de qua primo libro fecimus mentionem, nullo modo idonea videbatur ad acuendam mentem , & diſciplinas amplificandas ac poliendas .

I. Itaque quidquid a ſæculo VII. uſque ad finem X. plerique omnes Theologi præſtiterunt, ad tria capita referri commode poteſt . Primum ex præcedentium PP. ſententiis interpretationem Sacrorum codicum adornarunt . Id ſæculo VI. fecit *Procopius Gazeus* . [1] Id VII. *Aponius* , *Julianus Toletanus* . Id VIII. *Beda* , *Alcuinus* , *Antonius Meliſſa* , *Ambroſius Authpertus* . Id VIIII. *Paſchaſius Ratbertus* , *Smaragdus* , *Benedictus Anianenſis* , *Florus Lugdunenſis* , *Haymo Halberſtadienſis* , *Angelomus Luxovienſis* , *Maymonius* , *Rhabanus Maurus*, *Walafridus Strabo* , *Chriſtianus Drutmanus* , *Photius* , *Herricus Antiſiodorenſis* , *Remigius Antiſiodorenſis* . Id ſæ-

---

getur : ,, *Si Evangelium* , *& Epiſtolam bene legere poſſit* , ,, *atque ſaltim ad litteram ejus ſenſum manifeſtare* . *Item* ,, *ſi ſermonem Athanaſii de Fide SS. Trinitatis memoriter teneat* , *& ſenſum ejus intelligat* , *& verbis communibus enunciare ſciat &c.*

In quem locum exclamat Baluzius : ,, *Ea erat ſæculi illius infelicitas* , *ut neceſſe eſſet presbyteros ab* ,, *Epiſcopis interrogari* , *utrum bene legere noſſent* ! Confer. Baronius *Annal. Eccleſ. ad ann. 992. n. 25.*

[1] *Primus hic Catenam PP. conſcripſit* . *Confer*. *Fabricius* Biblioth. Græca . L. V. c. 17. *p*. 735. *qui Catenas Græcor. PP. enumerat* .

ſæculo X. *Moſes Bar Cepha* : & pauci alii, qui in hoc argumento deſudarunt.

II. Deinde vero Homilias ad populum vel ex eorumdem Patrum ſcriptis excerpſerunt, vel integras ſumſerunt, & recitarunt. [1] Quod præter aliquos eorum, quos nominavimus, præſtiterunt ſæculo VII. *S. Eligius* : VIII. *S. Germanus*, *S. Joannes Damaſcenus*, *Paullus Diaconus* : ſæculo VIIII. *Theodorus Studita* : ſæculo X. *Atto Vercellenſis*.

III. Præterea contra hæreſes, quæ per id tempus vel natæ, vel inſtauratæ ſunt, eorum plurimi ſtilum acuerunt. Sæculo VII. ſcripſere *contra Judæos* Iſidorus Hiſpalenſis, & Julianus Toletanus : contra alios Theodorus Raythuenſis. Sæculo VIII. contra *Muhammedanos* Theodorus Abucara, & Bartholomæus Edeſſenus : contra Hæreſes plures Damaſcenus. Etiam Alcuinus, S. Paullinus Aquileenſis, Etherius, Beatus, *Divinitatem Chriſti* contra Felicem, Elipandum, & alios defenderunt.

Sæculo vero VIIII. multo plures ſe offerunt theologi Polemici in utraque Eccleſia. Nam triplex controverſia per id tempus Theologos agitavit. Altera inter Occidentalem eccleſiam, & Orientalem ſub Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, quæ apertum ſchiſma evaſit. [2] Altera de *Corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia* apud Occidentales : utraque vehemens & diuturna. Sed vel altera graviſſima diſceptatio de *Prædeſtinatione* contra Gotteſcalchum Monachum, graviſſimorum Theologorum in Occidente curam & induſtriam excitavit. Scripſere enim de hoc argumento Amelius, Amolo Lugdu-

[1] *Sæculo VII. Epiſcopi plerique ſermonibus D. Cæſarii ad erudiendos Fideles utebantur.*

[2] *Eos, qui de cauſſa Photiana ſcripſerunt, numerat Fabricius* Bibl. Græc. Vol. VIIII. p. 372.

dunenſis , Lupus Servatus , Remigius Lugdunenſis , Hincmarus Rhemenſis, Rhabanus, ceteri. [1] De *Cultu imaginum*, & *crucis*, vel contra Iconomachos, vel alios ſcripta nobis reliquerunt Nicephorus, Dungalus, Theodorus Studita, Jonas Aurelianenſis, ceteri. Contra *Muhammedanos*, vel *Judæos*, vel *Hæreticos*, Theodorus Abucara, Abogardus, Anaſtaſius, Rhabanus Maurus, Photius. Demum ſæculo X. Moſes Bar Cepha, Herigenes, Ratherius Veronenſis vel de *Paradiſo*, vel de *Corpore, & ſanguine Chriſti*, vel alio dogmate diſſeruerunt. Pauci numero hisce ſæculis aliud Theologicum decretum ſibi ſumſerunt explicandum.

Hi vero Theologi, ut adverſarios refutarent, ad Patrum, qui ante ſe ſcripſerant, teſtimonia confugiebant, atque Hæreticorum errores ex traditione infirmabant: Philoſophiam non adhibebant. Neque vero in iis requiratis aut perſpicuitatem, aut modum, aut ordinem, aut ſyſtematicam docendi viam: erat enim illis temporibus res parum cognita: iiſque condonari debet, ſi ea recte non diſputarunt: quod ſæculi conſuetudini, non eorum tarditati, aut negligentiæ tribuendum eſt. Et quamquam *Joannes Damaſcenus* ſæculo VIII. uti diximus, viam monſtrarit, & lucem argumentis de *Deo*, de *Trinitate*, de *Chriſti perſona*, & *naturis* plurimam accenderit; tamen nullus, quod ſciam, idem inſtitit iter; ſi *S. Benedictum Anianenſem* ſcriptorem ſæculi VIIII. excipias, cujus nomine editum eſt opuſculum de *Forma Fidei*, quod veluti quædam Theologiæ epitoma haberi poteſt: ſed nihil ad

[1] *Confer. Gilb. Mauguinus* Veterum auctor. qui VIIII. ſæculo de Prædeſt. & Gratia ſcripſerunt, oper. Tomo II. c. 23.

ad *Damaſcenum* . [1] Ceteri incondito dicendi genere & forma uſi ſunt . [2]

Redeo ad ſæculum VIIII. Inclinante hoc ſæculo ad exitum ſuum , *Joannes Scotus Erigena* , vir in metaphyſica Orientali , & dialectica Contentioſa bene exercitatus , librum ſuum *de Prædeſtinatione* , & *de Natura rerum* notionibus Metaphyſicis , & ſubtilitatibus Logicis replevit : & earum , quæ ſæculo VI. controverſiarum auditæ ſunt , imaginem adumbravit . Quod placuit non nullis , qui cum nihil aliud , quam Dialecticam , amarent , nulli dubitarunt inanibus liticulis & contentionibus de vocabulo progreſſu temporis onerare Theologiam .

Nihil dico de ſæculo X. quod & morum perverſitate , & inſcientia litterarum *ferreum* nuncupatur . [3] Nolo in explorandis cauſſis ignorantiæ , multus videri . Hæc ſilentio præterire , & ab adoleſcentium oculis occultare , hoc loco puto conſentaneum . Hoc dico unum, ex Clericorum vita propudioſa multorum , cum deſidia , & inſcitia arcte conjuncta , tantas tenebras ſæculo X. ortas eſſe , quantas nulla umquam experta fuerat ætas Chriſtiana . Certe tanta bonarum litterarum inſcitia eo ſæculo dominata eſt , ut etiam in urbe Roma , qui litteras ſci-

---

[1] *Vide Natal. Alex.* Hiſt. ad ſæculum VIIII.Cap.3. art.12. p. m.229.

[2] *Conferatis quæ diximus primo libro de Philoſophia horum ſæculorum* , *&* *intelligetis* , *quæ cauſſa Theologiæ meliori ordine tradendæ obſtarit* .

[3] „ *Novum nunc incboatur ſæculum* , *quod ſui a-* „ *ſperitate* , *ac boni ſterilitate ferreum* , *malique exundan-* „ *tis deformitate plumbeum* , *atque inopia ſcriptorum ap-* „ *pellari conſuevit obſcurum* . Baronius ad ann. 900. num. 1.

ſciret, rarus eſſet. [1] Qui vero *trivium* addiſcebant, [Laici ſtudiis non vacabant] præcipuo in honore habebantur. Atque hi non niſi in Dialecticis ſubtilitatibus ſe exercebant. Quæ cum ad Sacram ſcientiam via ac ordine tractandam accommodata non ſint, mirandum non eſt, graviores diſciplinas hoc ſæculo non nihil damni feciſſe. Nam, ut ex hiſtoria Litteraria perſpicuum eſt, ubi litteris Humanioribus, & Philoſophiæ honos denegatus eſt, ibi barbaries, morum perverſitas, inſcientia dominata eſt: contra, cum eæ in honore haberi cœperunt, tum quaſi nova lux ſtudiis accenſa eſt: ac ex his, tamquam ex copioſo fonte, uberes fructus in homines manarunt, & quædam inducta eſt reipublicæ quaſi ætas integra & beatitas.

CAPUT VIII.

De Theologia a Sæculo X. uſque ad finem XV. ubi de Scholaſtica.

QUÆ ſæculo X. pæne extincta erat *trivii*, & *quadrivii* diſciplina, eadem ſæculo XI. revixit. Neque vero in ſingulis utriusque partibus recte verſabantur cupidi litterarum: ſed quaſdam perfunctorie adtingebant: & in ſola dialectica Alexandrina adeo exercebantur, ut hoc ſæculum merito ſuo *Dialecticum* nominetur. Cumque non niſi Theologi litteris vacarent, & in monaſteriis ludum litterarium aperirent; exſtitit, ut nulli Sacris litteris operam navarent, qui non Dialectica artē eſſent exercitati. Poſ-

---

[1] „ *Sed cum hoc tempore Romæ nullus pæne ſit, ut* „ *fama eſt, qui litteras didicerit; ſine quibus, ut ſcriptum* „ *eſt, vix oſtiarius efficitur; qua fronte aliquis docere au-* „ *debit, quod numquam didicit*. Concilium Rhemenſe apud Baronium ad ann. 992. n. 25.

Poſſum id plurimis exemplis Theologorum, qui hoc ſæculo tamquam ſtellæ fulgentiſſimæ micuerunt, conficere: quorum doctrinam & præſtantiam cum Hiſtorici illius ætatis deprædicant, duo conjungunt, ſcientiam Scripturarum, & peritiam Dialecticæ. [1] Sed hæc & nota ſunt, & primo libro jam diſputata. Certe tanta in veneratione Dialectica hoc ſæculo habita eſt, ut ſola nomine Philoſophiæ diſtingueretur. [2]

In hoc itaque Theologorum XI. ſæculi induſtria verſabatur, ut Dialectica ſedulo imbuerentur; & Sacras litteras, ſecundum interpretationem eorum, qui PP. teſtimonia decerpſerant, & ſparſa coegerant, explanarent. Non quod id commode efficerent, in iiſque exponendis limatum judicium, ac eruditionem reconditam oſtenderent; omniaque callide explorarent, accurateque diſponerent; ſed tantum faciebant, quantum per illius ſæculi conſuetudinem, & eruditionem licebat. Unus tamen & alter, præſertim Græci, in eo argumento haud inepte, ut iis temporibus, verſati ſunt, velut *Oecumenius*, [hunc vel ſæculo X. vel XI. eruditi ponere ſolent. Illud certum, poſt annum

---

[1] *De S. Fulberto Carnotenſi hæc prædicat Trithemius:* „ *In Scripturis divinis eruditiſſimus, & in ſæcularium litterarum diſciplinis omnium ſui temporis doctorum doctiſſimus, Poeta clarus, & Dialecticus*. De Scriptor. Eccleſ. c.315. p.82. *Adde quæ ipſe Trithemius de diſcipulis Fulberti, ac de aliis Benedictinis illius ſæculi narrat.*

[2] *De eodem Fulberto ait Jotſaldus* „ *eſſe ſanctitate laudabilem, in ſapientia mirabilem, in cujus morte ſtudium Philoſophiæ in Francia perierit, & gloria ſacerdotum pæne ceciderit. Apud Mabillonium* Sæcul. VI. Benedict. P.I. *Tamen illa Philoſophia, ut alii docent, erat tantum Dialectica.*

annum Chriſti IↃCCC. claruiſſe] *Theophilactus* , *Nicetas*, *Michael Pſellus* , ceteri . Latini vero, ut *Marianus Scotus*, *Anſelmus Lucenſis*,*Brunones* quidam,ceterique non æqualem peritiam , ac voluntatem , ad idem argumentum pertractandum contulerunt . Memorantur etiam non nulli, qui eo & ſequenti ſæculo ad Judæos refutandos ſe ſe applicarunt . [1]

At cum homines ea ætate magis a Dialecticis argutiis , [2] quam ab interiori Bibliorum notitia , plauſum captarent ; [3] paullatim , ut eſt animus humanus rerum novarum præter modum cupidus , Dialecticam cum Theologia conjunxerunt : & a Dialecticis tricis atque cavillationibus parati , Sacra dogmata in quæſtionem vocare auſi ſunt Theologi non nulli . Hinc medium circiter ſæculum XI. *Berengarius* Dialecticus valde exercitatus , *Tranſ-*

---

[1] *Sæculo X. & ſequentibus Judæi Arabum conſuetudine & exemplo incitati , Litteris operam diligentem navarunt . Cum autem XI. Babylone pulſi fugatique in Europam ac præſertim in Hiſpaniam ſe conferrent , frequens ipſis fuit occaſio certandi cum Chriſtianis , præſertim ſæculo XIII. Confer. Jacob. Baſnagius* Hiſt. Judæor. L. VII. c.10. ſeq.

[2] *Nomine* Dialecticæ *per id tempus non modo* Dialectica , *verum etiam* Metaphyſica *continebatur . Dialectica autem illa erat Stoica ex* Pſeudo-Auguſtino *deſumta. Metaphyſica vero nihil aliud erat quam* Iſagoge Porphyrii , *uti primo libro demonſtravimus .*

[3] *Lantfrancum hac laude mactat Sigebertus Gemblacenſis : „ Lantfrancus Dialecticus,& Cantuarienſis archie„ piſcopus , Paullum Apoſtolum expoſuit , & ubicumque „ opportunitatis locorum occurrit , ſecundum leges Diale„ cticæ proponit , adſumit , concludit .* De Scriptor. Eccleſ. c.155. p. 112.

Tranſſubſtantiationis dogma Dialecticis armis adgreſſus eſt. [1] Qui etſi ob acumen, & copiam dicendi difficulter confutaretur; [2] tamen a viris graviſſimis pro merito refutatus eſt, nempe ab *Hugone Lingovenſi*, *Durando Troarnenſi*, *Guitmundo*, *Algero*, & præter ceteros a *Lantfranco* Beccenſi abbate, viro doctiſſimo: qui cum Dialectica arte non minus, quam *Berengarius*, valeret, & magnam diſcipulorum vim eadem inſtitueret; [3] iiſdem adjumentis hominis argutias retudit, inpudentiam perfregit, & ex tradita doctrina Chriſtianum dogma firmavit.

Paullo poſt *Roſcelinus* Compendienſis ſacerdos, vir ad ſubtilitates Dialecticas factus, & non minus a ſecta Nominalium, quam ab erroribus, percelebris; cum novis notionibus, & vocabulis Dialecticis uteretur, viſus eſt diſſe-

[1] „ *Dum Dialecticis ſophiſmatibus contra ſimplicitatem fidei Apoſtolicæ abutitur, nec ſe excuſare, nec alios* „ *ædificare videtur: quia magis interpolat clara, quam* „ *dilucidat obſcura.* Sigebertus Gemblacenſis *de Scriptor. Eccleſ.* c. 154.

[2] „ *In Synodo Romana neminem Berengario valuiſſe* „ *obſiſtere, ideoque Albericum evocatum fuiſſe ad ſynodum,* „ *eumque poſt multos verborum conflictus, cum neuter ce-* „ *deret, unius hebdomadæ acceptis induciis, librum* „ *adverſus Diaconum edidiſſe, & omnes ejus aſſertiones* „ *deſtruxiſſe.* Leo Oſtienſis *in Chronico Caſſinenſi L. III. c.* 35.

[3] „ *Publicas ſcholas ac Dialecticas profeſſus eſt,* „ [Lantfrancus] *ut egeſtatem monaſterii ſcholarum libe-* „ *ralitate temperaret.* Malmesburienſis *de Geſtis Anglorum Pontif.* apud Launoium de S. Cel. c. 42. p. 137. *Notandum eſt, in ſchola Beccenſi, Laudunenſi, Pariſienſi tum temporis Dialecticam doceri.*

diſſerendo pro tribus Perſonis divinitatis tres Deos ponere. Hanc, ut meritus erat, confutavit *B. Anſelmus* Cantuarienſis, in libro *de Trinitate, & Incarnatione contra Roſcelinum*, aliique.

Hæ ſunt duæ illæ celeberrimæ diſceptationes, quæ Theologos, jam Dialecticæ plus æquo deditos, demum moverunt, ut eam cum Theologia copularent, Theologiamque ſubtiliter diſputarent. Exemplo ſint libri ejuſdem *Anſelmi*, nimirum *Monologium*, *Proslogium*, & *contra Inſipientem*, in quibus vir acutiſſimus, & ingenio ad Metaphyſicas notiones præditus, docte & ſubtiliter argumentatur: Dialectica enim, & Metaphyſica frequenter utitur in ſcriptis ſuis. [1] Quare non inepte ſentiunt illi, qui aiunt, Scholaſticam philoſophiam, & theologiam, quarum quædam indicia & veſtigia jam VIIII. & X. ſæculo viſa fuerant, tamdem fine XI. eſſe natas. Nam ab eo tempore, quo Dialectica principia, & concluſiones, & Univerſalium doctrina ad Theologica placita exponenda deflexa ſunt, utraque ſenſim innotuit, & quaſi per gradus vires adquiſivit. [2] Quapropter di-

 ɗuri

---

[1] *Mabillonius ait, Anſelmum primum fuiſſe, qui argumentum Theologicum methodo ſcholaſtica tractaverit*. de Studiis Monaſticis. Part. II. c.6. p. 285. *Sed fallitur: nam ejus adverſarii, & Lantfrancus in hoc ante Anſelmum operam poſuerant*.

[2] „ *Ex altercationibus Berengarianis, & Nominalium* [Roſcellini] *Realiumque diſputationibus, prava* „ *quædam in ſcholas artium, & Theologiæ auditoria ir-* „ *repſit docendi ratio, & conſuetudo, a veteri tramite* „ *omnino deflectens. In iis enim tunc nihil niſi clamores* „ *audiebantur, altercationes, novarum ſubtilitatum in-* „ *ventiones: iſque ceteris præminere & præcellere puta-*
ba-

ſturi nos de Scholaſtica theologia, temperare non poſſumus, quin aliquid de Philoſophia admiſceamus. Utriuſque enim cauſſæ, ortus, incrementa, viciſſitudines eodem tempore exſtitere: nec altera ab altera ſeparari poteſt.

Iiſdem auſpiciis incepit ſæculum XII. Regnabat enim ubique in Occidente Dialectica ſubtilitas, [1] & Theologi eadem diligenter exercebantur, quo Sacros codices adoleſcentibus vendibiliores facerent. [2] At cum ea non nulli intemperantius uterentur, & argumentum Theologicum non modo rationibus Dialecticis in utramque partem explicarent; verum etiam principia Dialectica, & Metaphyſica ad myſteria, quæ non niſi divina locu-

---

„ *batur, qui aliquid ingenioſius, & ſubtilius, etiam cum* „ *veritatis diſpendio, comminiſcebatur. Quem morem valde improbat Joannes Saresberienſis, qui ſequente ſæculo floruit.* Bulæus *Hiſt. Univerſit. Pariſienſ. Tom. I. ſæcul. 3. meth. docendi.*

[1] *Confer. quæ diximus de Abælardo L. I. c.8.*

[2] „ *Quod profeſſioni meæ* [vitæ Monaſticæ] *convenientius erat, Sacræ plurimum lectioni ſtudium intendens, ſæcularium artium diſciplinam, quibus amplius adſuetus fueram, & quas a me plurimum requirebant, non penitus abjeci: ſed de his quaſi hamum quemdam fabricavi, quo illos Philoſophico ſapore ineſcatos ad veræ Philoſophiæ lectionem adtraherem: ſicut & ſummum Chriſtianorum philoſophorum Origenem conſuevisſe, hiſtoria meminit Eccleſiaſtica. Cum autem in Divina ſcriptura non minorem mihi gratiam, quam in ſæculari, Dominus contuliſſe videretur; cœperunt admodum ex utraque lectione ſcholæ noſtræ multiplicari, & ceteræ omnes vehementer attenuari.* Ita de ſe ſcribit Abælardus *in Hiſtor. Calam. ſuar. p.217.*

locutione conſtant, accommodarent; plurimi iique graviſſimi errores inde profecti ſunt, qui meliores Theologos permoverunt, ut ejuſmodi temeritatem confringerent. [1] Hinc *Abælardi*, hinc *Arnaldi Brixienſis*, hinc *Gilberti Porretani*, hinc *Almarici*, hinc *Davidis de Dinanto*, hinc ceterorum fluxere placita pernicioſa, quæ ſanctiſſimi homines, & Concilia damnarunt. [2] Quæ omnia odioſam præter modum graviſſimis ac ſanctiſſimis viris fecerunt Dialecticam ſubtilitatem.

His acceſſit, quod cum poſt medium ſæculum XII. aliqui Ariſtotelis libri Phyſici, Dialectici, Metaphyſici, partim ex Arabico, partim ex Græco converſi ad ſcholas Pariſienſes pervenirent; atque non nulli Theologi dialecticam Ariſtotelis hominis Gentilis anteponerent Dialecticæ illi vulgatæ, quæ ſub *Beati Auguſtini* nomine tradebatur; id tam ægre reliqui tulerunt, ut nihil ſupra. Cumque animadverterent, ex novis iſtis libris Ariſtotelis multo peſtilentiores errores manare, ut illi erant *Almarici*, & *Davidis de Dinanto*; [hi duo ex Alexandrino ſyſtemate aliquid ſumſerunt] impetum in novam Philoſophiam fecerunt, & omnino in Ariſtotelem invecti ſunt. Nec prius ceſſarunt, quam *concilii Senonenſis* decreto Ariſtotelis libri Phyſici, & Metaphyſici igni conſumerentur: & lege ſancitum eſſet, nequis deinceps auderet eos adtingere: quod anno CIƆCCVIIII. evenit, ut alio loco demonſtravimus. [3] Sed redeo ad ſæculum XII.

Cum Dialecticæ ſtudium altas radices egiſſet, vix tam blandis remediis evelli potuit, & funditus extirpari malorum omnium radix; nimirum pruritus ille contro-

[1] *Conſule B. Bernardi* Epiſt. 195. 190. *&* *alias contra Abælardum, & Porretanum*.

[2] *De his primo libro diſputavimus, & verba Conciliorum adduximus*. [3] *Parte I. L. I. c. 12.*

verſandi, & res ſubtiles, ac inauditas effundendi, etiam in argumento Sacro, more Dialecticorum. Itaque eodem ſæculo XII. plurimi epitomas Theologiæ [1] condiderunt ſub nomine *Sententiarum*: id eſt, conſcripſerunt ſyſtemata Theologica Dialecticis & Metaphyſicis quæſtionibus abundantia. Fuere in his *Guilelmus de Campellis*, *Petrus Abælardus* [2] *Simon Tornacenſis*, *Gilbertus Porretanus*, *Petrus Pictavienſis*, *Hugo de S. Victore*, & qui ceteros longe gloria ac honore anteceſſerunt, *Robertus Pullus*, & *Petrus Lombardus*. Et quamquam horum non nulli ab Theologis novitatis, temeritatis, hæreſeos poſtularentur; [3] vicit tamen major pars, & nova

[1] *Antiquiſſimum Theologiæ compendium, quod ſciamus, conditum fuit ab Hildeberto Cenomacenſi, auditore Berengarii, quod & brevitate, & perſpicuitate commendari ſolet: & ex quo Pullus, & Lombardus hauſerunt. Vide Jeſuitas conditores* Memor. Trivultienſium Anno 1708. Julii art. 93. p. 1018.

[2] *Guilelmus de Campellis ante Abælardum, & Lombardum ſcripſit* Sententias Theologicas, *ſeu epitomam quæſtionum Theologicarum. Exſtat Mſſ. in Galliæ bibliothecis, ut ſcribit* Oudinus de Scriptor. Ecclеſ. Tom. II. p. 964. *Ejus diſcipulus Abælardus condidit librum ſententiarum, h. t.* Sic & non, *ut ait Mabillon.* Iter German. p. 64. & Theologiam Chriſtianam, *editam a Martene* Anecdot. Tom. V. *in quibus ſyſtema Theolog. methodo Philoſophica adornavit. Ex hoc plurima ſumſit Lombardus diſcipulus.*

[3] *Gualterus Prior S. Victoris Pariſienſis librum vulgavit h. t.* „ *Contra Manifeſtas & damnatas etiam in* „ *Conciliis hæreſes, quas ſophiſtæ Abælardus, Lombar-* „ *dus, Petrus Pictavinus, & Gilbertus Porretanus libris*

va quædam Theologiæ tractandæ ratio ſub nomine Scholaſticæ ex his controverſiis nata eſt ; quæ ſequenti ſæculo juſtum habitum , & veluti complementum habuit . Hæc Scholaſticæ theologiæ adoleſcentia nominari ſolet ab hiſtoricis Eccleſiaſticis. Quod cum in ſchola Pariſienſi,quæ per id tempus celeberrima habebatur, eveniret, facile ab ejuſdem alumnis in ceteras orbis Chriſtiani partes inducta eſt eadem philoſophandi ratio in diſciplinis Sacris.

Hæ *Summæ* nihil aliud erant, quam ſententiæ PP. quas excerptores ordine collocabant , ut Catholicæ doctrinæ partes ſingulas inluſtrarent : & quæſtiones , quæ diſputari ſolebant, facilius definirent : quibus addebant ſubtiles aliquas diſceptationes, quas vocabulis Metaphyſicis expediebant. [1] Moderatior tamen ceteris fuit Lom-

„ *bris Sententiarum ſuarum acuunt,limant, roborant . Extat Mſſ. in bibliotheca S.Victoris Pariſienſ. ut refert Bulæus* Hiſt. Univ. Pariſienſ. Tomo II. p. 402. *Hujus fragmenta excerpſit Launoius de* Fortuna Ariſtotelis.

De Simone Tornacenſi, qui Pariſiis docuit Theologiam, hæc refert Henricus Gandavenſis : „ *Dum nimis* „ *& in hoc, & in aliis ſcriptis ſuis Ariſtotelem ſequitur,* „ *a non nullis modernis hæreſeos arguitur*. De Scriptor. Eccleſ. c.24. *Conſule Trithemium de* Script. Eccleſ. c.467.

[1] „ *In medio tamdem ſæculi XI. philoſophiam Ariſtotelicam* , ait, *ad Arabum methodum in ſcholis publicis doceri cœpiſſe, eamque ab initio uſum tantum in Philoſophia habuiſſe : ſed homines principiis iſtis infectos paullo poſt eamdem in Theologiam pedetentim intuliſſe : iiſque non ſolum ad enucleandas decidendaſque quæſtiones Theologicas ordinarias, ſed etiam ad formandas magno numero novas, de quibus antea ne auditum quidem*

Lombardus, qui quamquam Ariſtotelem præ Pſeudo-Auguſtino ſequeretur, tamen a vocibus Dialecticis, & rationibus Philoſophicis, & teſtimoniis Philoſophorum, quantum per conſuetudinem fieri poterat, abſtinuit.

Occurrunt tamen in eo quædam Dialectica, & Metaphyſica: e. g. cum quærit: *Utrum Deus Pater ſe ipſum genuerit, an alium Deum*. [1] *Num Pater genuerit eſſentiam Divinam, an eſſentia Divina Filium*. Tum, *an una eſſentia alteram produxerit; an vero eſſentia nec producta ſit, nec producens*. [2] Præterea, *num Deus Pater Filium genuerit volens, an nolens*. [3] Item cum copioſe & in utramque partem diſputat, *an Chriſtus ſecundum quod homo ſit perſona, vel aliquid*. [4] Quæ etſi aliquorum PP. auctoritate confirmare, & explanare conatur, tamen ex iis aperte conficitur, quanto Metaphyſicæ ſtudio occuparetur Lombardus: tametſi cautius præceptore ſuo Abælardo loqueretur ad invidiam fugiendam.

Lombardo adjungo *Robertum Tullum*, qui *Sententiarum de Trinitate libros VIII.* conſcripſit: in quibus magis Scripturæ locis, & rationibus, quam Patrum auctoritatibus, ſententias confirmat: & Metaphyſicas, ac Dialecticas ſubtilitates quantum poteſt explodit: certe ipſi

---

„ *dem fuerat, uſos fuiſſe. Joannem Sophiſtam, Roſcellinum, & S. Anſelmum inter primos fuiſſe: & poſt eum*
„ *Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum, alioſque*
„ *complures vulgatiſſimam ac celebrem illam reddidiſſe,*
„ *lectionibus publicis ad eam inſtitutis*. Dupinius Meth. Stud. Theol. C. II. p. 21. *Errat tamen Dupinius putans, medio XI. ſæculo Arabum philoſophiam Gallis notam fuiſſe: cum id non niſi inito XIII. evenerit*.

[1] *Lib. I. diſt. 4.* [2] *Ib. diſt. 5.*
[3] *Ibid. diſt. 6.*
[4] *L. III. diſt. 10. q. 1.*

ipſi Lombardo a non nullis anteferri ſolet. [1] Ceteri magis de Dialectica, quam de Theologia, ſolliciti fuere. [2]

Quamquam vero *Lombardus* ea moderatione in ſcribendo uteretur, tamen diſplicuit ejus methodus non modo *Magiſtro Gualberto*, ut ante diximus, ſed etiam plurimis Theologis, qui pro ſtudio Sacrarum litterarum, id eſt, pro Veteri theologia mirandum in modum pugnabant. [3] Hinc non modo *Alexander III. P. M.* an-

---

[1] *Conſule Dupinium* Nova Biblioth. Script. Eccleſ. Tom. VIIII. p. 213.

[2] *Vide Bulæum*, Hiſt. Univ. Pariſ. Tom. II. diſſ. 4. de Facult. Theologiæ.

[3] „ *Lapſa ſunt* [inquit cadente ſæculo XII. Stephanus Tornacenſis epiſcopus, in epiſt. ad Pontificem Max.] *apud nos in confuſione officinarum Sacrarum ſtudia litterarum: dum & diſcipuli ſolis novitatibus applaudunt, & magiſtri gloriæ potius invigilant, quam doctrinæ. Novas recenteſque ſummulas, & commentaria firmantia ſuper Theologiam paſſim conſcribunt: quibus auditores ſuos demulceant, detineant, decipiant. Quaſi non dum ſufficerent SS. opuſcula PP. quos eodem ſpiritu Sacram ſcripturam legimus expoſuiſſe, quo eam compoſuiſſe credimus Apoſtolos, & Prophetas . . . . Diſputatur publice contra Sacras conſtitutiones de incomprehenſibili Deitate. De incarnatione Verbi verboſa caro & ſanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas in triviis ſecatur, & diſcerpitur. Ut tot jam ſint errores, quot doctores: tot ſcandala, quot auditoria: tot blaſphemiæ, quot plateæ . . . . Hæc omnia, Pater, correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant: ut uniformitas diſcendi, docendi, diſputandi, auctoritate* Ve-

no CIƆCLXIIII. quo obiit *Lombardus*, hiſce novitatibus occurrendum eſſe putavit; [1] ſed etiam *concilium Lateranenſe III.* anno CIƆCLXXX. ſubtilem quandam *Lombardi* ſententiam condemnavit. [2]

Verum tam magna de *Lombardi* doctrina concepta erat opinio; tanta ille auctoritate valebat & Pariſiis, & in aula regia; tam avide ipſius ſcripta diſcipuli arripuerant, propterea quod ſi non primus, in primis ſaltim Theologiam in ſchola Pariſienſi publice docuit; ut vix de gradu illo, quem ſemel occuparat, dejici potuerit. Quibus cum acceſſerit epiſcopatus Pariſienſis honor, & ſplendor, tam bene ſe probavit Scholaſticis *Lombardi* labor & ratio philoſophandi, ut eam plerique omnes Theologi paucis poſt annis amplexati ſint, & in ſcholis eoſdem libros tradiderint Juventuti.

Ita-

„ *veſtra certam redigatur ad formam; ne ſermo divinus* „ *adtritione vulgari viléſcat*. Apud Natal. Alex. *Hiſt. Ecclеſ. Tom. VII. c. 6. p. m.* 144.

[1] „ *Ipſo anno* 1164 *cum per totam Franciam multæ* „ *& variæ ſententiæ haberentur de Fide inter Magiſtros* „ *Francigenas, Alexander Papa, convocatis in unum* „ *Scholaſticis, & quibuſque litteratis, in ipſa vigilia Nativitatis Domini uſque ad tria, ut fertur, millia, vel* „ *ultra, cum adſentientibus ſibi Dominis Cardinalibus;* „ *condemnavit, & omnino interdixit omnes tropos & in-* „ *diſciplinatas quæſtiones in Theologia: Pariſienſique epi-* „ *ſcopo ſub obedientia præcepit, ut per totam Franciam eas* „ *compeſceret*. Auctor Chronici Reicherſpergenſis apud Pagium, *Breviar. Geſt. Pont. Rom. Tom. II. p. m.* 44.

[2] „ *Litteras Alexandri Papæ ad epiſcopum Pariſienſ. habes apud* Pagi L. c. p. 64. *Vide* Baronium ad hunc annum. *Propoſitio autem erat*: Quod Chriſtus ſecundum quod eſt homo non eſt aliquid.

Itaque quamquam *Lombardus* a *Campellenſi*, & *Abælardo* acceperit methodum & rationem tradendi Sacram doctrinam tamen ipſe præter ceteros Dialecticæ adjumento ex Scripturæ, & Patrum locis ſyſtema Theologicum compoſuit, ornavit, polivit, atque auctoritate ſua probavit ceteris, & propagavit. Qua de cauſſa inter coryphæos Scholaſticæ theologiæ, qui prima illius ætate floruere, primum locum occupat: immo vero tamquam parens & conditor ipſius Scholaſticæ prædicatur.

Hac ætate Scholaſtica theologia non dum in artis formam redacta erat, nec Peripateticam philoſophiam ſecundum methodum Averroeſianorum ſibi opitulari coegerat. Etenim utebantur quidem Theologi libris dialecticis Ariſtotelis; at Metaphyſicam non niſi ex Porphyrii *Iſagoge* hauriebant. Verum cum vergente ad finem ſæculo XII. metaphyſica Ariſtotelis in Gallia appareret, quæ notiones generales & obſcuras ſuppeditabat; eaſque ad Theologica dogmata quidam adhiberent; mirandum in modum crevit, & amplificata eſt Scholaſtica tum philoſophia, tum theologia. Quod ſæculo ſequenti potiſſimum obtinuit.

Non defuere Theologi, qui Sacros codices XII. ſæculo dedita opera interpretarentur. Sed quam jejuna eſſet talis interpretatio, vel una *Hiſtoria Scholaſtica* Petri Comeſtoris fidem facit: quæ diu in Gallia hermathenæ inſtar iis fuit, qui Sacram ſcripturam plane cognoſcere & interpretari cuperent. Plerique more Dialecticorum etiam in Hermeneutica theologia diſputabant: quæſtiones aliquas Scholaſtico modo inſtituebant, & diſſolvebant, ac locos Communes adferebant: [1] immo vero ſub-

---

[1] „ *Duodecimo ſæculo elapſo Scripturæ ſtudia eamdem, ac ceteræ ſcientiæ, ſortem nata ſunt: de illis Schola-*

ſubtiles, & inanes diſputatiunculas adhibuerunt, quibus Sacros codices onerarunt. Excipio *B. Bernardum Clarevallenſem*, qui ſapientiſſime in hoc argumento verſatus eſt. Et hæc præſertim in Gallia, & Anglia.

Inito ſæculo XIII. cum *Ariſtotelis*, & *Averroeſii* libri ex Arabico converſi Chriſtianis innoteſcerent; iis mirifice placuerunt: cum quod eamdem philoſophandi viam repræſentarent; tum quod Averroeſii opinio de *intellectu univerſali* Realibus, quibus plenæ erant ſcholæ, admodum probaretur. Hinc tanto ardore libros *Averroeſii* lectitarunt, ut omnes fere Scholaſtici, præſertim Itali, evaderent Averroeſiani. Ex hoc tempore quaſi diluvium quoddam ſubtilitatum, & Metaphyſicarum contentionum ſcholas inundavit, quod progreſſu temporis in immenſum crevit.

Plurimi Theologi *Alexandri Haleſii* exemplo commoti [primus hic Lombardum commentariis ſuis explanavit] in Lombardi *Sententias* commentarios conſcripſerunt, ut *Albertus Magnus*, aliique nimis multi: [1] & tot eos novis diſſertationibus repleverunt, ut qui cum iis Lombardi conferat ſcripta, Anti-Scholaſticum eum eſſe putet. [2] Alii, tametſi Pontificum, & Conciliorum

---

„ *laſticorum ritu agere cœptum eſt, varias agitando quæ-* „ *ſtiones, plurimoſque communes locos adferendo*. Calmetus *Præfat. Bibl. p. 5. Edit. Ven.*

[1] *Plus quam trecenti Theologi Lombardum interpretati ſunt. Vide Bulæum l. c.* Tom. II. in Catal. Academic.

[2] „ *Scholaſtici doctores ſimplicitati hujus libri* „ [Lombardi] *non ad quieſcentes, vaſtos in ejus textum* „ *commentarios ediderunt, quibus litium & contentionum* „ *crambem centies recoxerunt, principiaque Philoſophica,* *nec*

rum ſanctionibus Ariſtotelem ab ſcholis Chriſtianorum ejectum eſſe intelligerent, [1] tamen cum Ariſtotele, & Averroeſio ſuis ineptire malebant, [2] quam cum tot Pontificibus, & graviſſimis Theologis ſapere. Quæ qui faciebant, ii quidem dum ſe ad Theologiam tractandam applicabant, temperare ſibi non poterant, quin aliquas adjungerent quæſtiones novas, & inanes, quas ipſi copioſe diſputabant, & in quibus ſummum faſtigium doctrinæ & eruditionis ponebatur. [3] Cumque philoſophia

---

„ *nec non Ariſtotelis axiomata, quorum nullam* Sententiarum Magiſter *rationem habuiſſet, in Theologiam denuo intruſerunt: proque eo, quod ejus methodum ſequerentur, notaſque quæſtiones Patrum dictis diſſolverent, non niſi principiis Philoſophicis ac ſubtilitatibus Metaphyſicis militaſſe*. Dupinius *Meth. Stud. P.II. p. 23.*

[1] *Vide quæ diſputavimus P. I. L. I. c.12.*

[2] „ *Plerique enim tum Ariſtotelicis regulis nimium tribuentes, ſupra Paullum, & alios Evangeliſtas magiſtrum ſuum Ariſtotelem extollebant. Et fraudulente Philoſophiæ principiis, & axiomatis innixi, ſcientiam Chriſti evertebant. Inpoſitus itaque modus diſputationibus, & ut occurrerent hæreſibus ubique pullulantibus, ſtatuerunt, ut myſteria Fidei Sacræ ſcripturæ auctoritate, & SS. Doctorum teſtimoniis, & rationibus explicarentur*. Bulæus l. c. Tom. III. ad ann. 1208.

[3] „ *His temporibus incipiebant magiſtri Theologiæ, præcipue tamen præcipui Prædicatorum, & Minorum Lectores diſputare & diſſerere ſubtilius & celerius, quam decuit, aut expedivit. Qui non verentes tangere montes a gloria Dei opprimendi, nitebantur ſecreta Dei inperveſtigabilia temere perſcrutari: & judicia Dei, quæ ſunt abyſſus multa, nimis præſumptuoſe indagare.*

Unde

phia illa Saracenica ex ſingulis notionibus abſtractis ſingula entia comminiſceretur; cum hæc diſputandi ratio ad noſtram Theologiam traduceretur, nova entia, nova nomina, &, ut verbo dicam, novam diſciplinam generavit: quæ aliquas illius temporis Theologis querelas extorſerunt. [1]

Fortiter huic Theologiæ perniciei reſtitit *B. Thomas Aquinas*: qui cum fædatos nobiliſſimæ diſciplinæ vultus videret, [2] aliquam medicinam huic malo adhibendam

„ *Unde defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, & erraverunt in*
„ *invio Dei inveniendo: cui plus placet firmæ fidei ſimpli-*
„ *citas ſobria, quam nimis tranſcendens in Theologia ſub-*
„ *tilitas*. Matthæus Pariſienſis *Hiſt. Angl. ad ann. dict.*

[1] *De Alberto Magno ait Henricus Gandavenſis*:
„ *eum, dum ſubtilitatem ſæcularis Philoſophiæ nimis ſe-*
„ *quitur, ſplendorem aliquantulum Theologicæ puritatis*
„ *obnubilare*. De Script. Eccleſ. c. 23.

Et Paullus Langius monachus Cizenſis ita ſcribit.
„ *Ob amplitudinem omnifariæ doctrinæ Magnus dictus*
„ *fuit in omni philoſophia Peripatetica peritiſſimus. Hinc*
„ *& a pleriſque ſimia Ariſtotelis appellatus eſt, qui & ni-*
„ *mium vino ſæcularis ſcientiæ inebriatus, ſapientiam hu-*
„ *manam, ne dicam philoſophiam Profanam, Divinis lit-*
„ *teris copulare auſus eſt: quique Dialecticam contentio-*
„ *ſam, ſpinoſam, & garrulam ſacratiſſimæ, & puriſſi-*
„ *mæ non pertimuit commiſcere Theologiæ: novum &*
„ *Philoſophicum modum Sacras docendi & explanandi*
„ *litteras ſuis tradens ſequacibus: Theologiſtarum ſectæ,*
„ *quæ ab eo Albertiſtarum dicitur, dux & monarcha ex-*
„ *cellens*. In Chronico ad Ann. 1258.

[2] *Confer eumdem Thomam* Prolegom. in Primam Partem: *quod produximus Parte I. L. III. cum de Thoma diceremus*.

dam eſſe putavit. [1] Itaque cum facta ſibi poteſtate a P. M. Ariſtotelis libros interpretaretur; non ille quidem ejuſdem principiis in Theologia ſua omnino abſtinuit; quod nec ipſe ſcite efficeret, in ſchola *Alberti Magni* educatus; nec ferre poſſent Scholaſtici illius ætatis, Averroeſianorum principiis innutriti. At quod pro ſuo ſtudio, proque magna pietate, qua valebat, facere potuit, fecit, ut Averroeſii errores patefaceret: ut Ariſtotelis libros recte interpretaretur: ut in *Summa Theologica* nos doceret, Sacram doctrinam ex Scriptura, Conciliis, Patribus duci debere, rejectis inanibus contentionibus. [2] Nec id ſolum, ſed etiam oſtendit, poſſe quædam ex Ariſtotele ſumi, quin dogmata a majoribus accepta contaminarentur. Recte ille quidem ac ſapienter. Nam quemadmodum qui in magnis tenebris verſantur, ſi ad meridianam lucem illico ducuntur, cæcutiunt; & illa ipſa copia lucis impedimento eſt ne videant: ſin autem a loco obſcuro ad mi-

[1] *Sixtus Senenſis Dominicanus vocat Thomam*, Scholaſticæ theologiæ inſtauratorem. *Biblioth. Sanct. L. IIII.*

[2] „ *Si eo, quem deſcripſimus, modo* [nimirum exploranda ex quibus fontibus doctrinam ſuam ducit „ D. Thomas, & an recte ex iis argumentatus ſit] *le-* „ *geretur D. Thomas, innumeris fortaſſe difficultatibus* „ *intercluderetur aditus, quæ inaniter ingenia torquent:* „ *ſeditioſæ quoque factiones comprimerentur: finem habe-* „ *rent inutilia commentaria: atque incredibilis altercatio-* „ *num numerus componeretur, a quibus Angelicus Doctor* „ *perinde alienus eſt, ac Sol a litigioſis Philoſophorum di-* „ *ſputationibus de quibuſdam effectibus, quos ipſe nullo mo-* „ *do producit*. Bonaventura Argonenſis Chartuſianus, *de Optima legendor. Patrum methodo. Part. II. cap. 9. pag.* 137.

minus obſcurum veluti per gradus manuducuntur, vident illi quidem & clarius, & ſine ullo damno oculorum; ita qui in tantis ignorantiæ tenebris diu vivebant non illi quidem tantam lucem ferre poſſent, ut ad ſanam philoſophandi rationem, & ad antiquiſſimorum Theologorum diſputandi formam ſine ulla præparatione, & veluti inviti revocarentur. Quare erant illi quidem primum monendi, & veluti muniendi, ut facilius tempore procedente ad veram viam redirent.

Hæc ſane ego cum conſidero aliquando, cumque graviſſimi ac ſanctiſſimi Theologi ſcopum, & adjumenta, quibus ad eum pervenire volebat, animo colligo, facere non poſſum quin tantum virum laudibus extollam, qui in tanta caligine bonarum litterarum, atque in ea ætate, in qua fere omnes ad inanes liticulas ferebantur; ipſe maximo animo novitatibus ſtudiorum ſe oppoſuit periculoſis: & peracri judicio utens, remedium commode excogitavit, quo eos ab illo morbo liberaret. Quod conſilium ſi æquales pro merito æſtimaſſent, non illi in tales altercationes poſt Aquinatis obitum incidiſſent.

At beatiſſimi hominis ſapiens conſilium fructum non tulit: immo vero cauſſa fuit aliis cur contentioſa illa Theologia diligentius exercerentur. Nam cum animadverterent ipſi, talem, tantumque virum locum aliquem philoſophiæ Ariſtotelico-Saracenæ in ſua Theologia feciſſe; cumque accurate non expenderent, quo fine, quamque prudenter id præſtitiſſet; exiſtimarunt, licere ipſis per Aquinatem Metaphyſicas ſubtilitates ad Theologiam deflectere: & non modo veteres diſceptationes renovare, verum etiam novas & inauditas excogitare ſine ullo fine. Quare paullo poſt obitum Sanctiſſimi Thomæ in id toto pectore plurimi vacarunt, ut Scholaſticam theologiam ad formam Ariſtotelico-Saracenæ reducerent.

rent. [1] Quare haud injuria aiunt viri docti, Scholaſticam theologiam poſt medium ſæculum XIII. id eſt, poſt *Albertum* [2] & *Thomam* maturitatem ſuam eſſe adeptam. Nam ab eo tempore Saracenis pigmentis & cincinnis compta & ornata apparuit orbi litterario. Ex quo ſecundam ætatem poſſumus auſpicari Scholaſticæ theologiæ, idque uſque *ad Durandum a S. Porciano*, qui ſequenti ſæculo nobilis habitus eſt.

Ex operibus *S. Thomæ* præter cetera laudatur *Summa Theologica* in tres partes diviſa: quarum ſecunda in alias duas ſubdividitur, nimirum in *primam ſecundæ partis*, & in *ſecundam ſecundæ*. In *prima* parte agit de Deo, & proprietatibus divinis, beatitudine, trinitate, ceteris. In *prima ſecundæ*, de ultimo hominis fine, de actionibus humanis, earumque fontibus, virtutibus, vitiis: item de lege, & gratia. In *ſecunda ſecundæ*, de vir-

[1] „ *Verum cum ea ſit infeliciſſima rerum omnium* „ *condicio, ut vix ad ſummum perductæ, ſtatim relabantur; Scholaſtica, principio tam laudabilis, in turpiſſimam cavillationem, ſcholarum Chriſtianarum majeſtate* „ *indignam, turpiter abiit. Quamobrem, inquit doctiſſimus epiſcopus Gallus D. Godeau in* Hiſt. Eccleſ. *Scholaſticos recentiores ſubtilitati rerum magis, quam firmitati, ſtudentes, D. Thomam ſuperandi cupidos, veritatem, quam inluſtrare ſuſceperant, omnino turbaſſe:* „ *Scripturarum, Patrum, ac Conciliorum ſtudia ſuſdeque* „ *vertiſſe: depravaſſe ingenia: ſuaque explicandarum rerum exilitate pietatis ſpiritum in animis Fidelium paullatim extinxiſſe*. Idem Bonaventura Argonenſ. l. c. p. 134.

[2] *Albertus & ipſe* Compendium Theologiæ *edidit, &* Summam Theologicam: *ſed minus a Theologia ſua, quam Philoſophia, laudis habuit*.

virtutibus ſingulatim Theologicis, & Moralibus. *Tertia* parte, de incarnatione Chriſti, & ſacramentis, ac noviſſimis rebus hominis ediſſerit. Ex ſecunda parte plurima exſcripſit Vincentius Bellovacenſis *in Speculo Morali*. Scripſit itidem Thomas in Lombardum pro more ſui ſæculi, & alia plurima. Non mediocrem laudem habent libri *Contra Gentiles*: in quibus de Naturali theologia optime meritus eſt: & nobis probavit, quantum ipſe in ſingulis Philoſophiæ, & eruditionis univerſæ partibus efficere potuiſſet, ſi ad id animum adjungeret: adeo ſelecta ſunt, quæ de ſingulis argumentis reliquit.

Jam ratio diſputandi in theologia Scholaſtica, quam ſequitur *Thomas*, talis eſt. Scripturæ, & Patrum teſtimoniis utitur in finiendis quæſtionibus: eaſque confirmat rationibus Metaphyſicis, & teſtimoniis Philoſophorum, ubi locus eſt. Tum controverſias aliquas ſubtiles & intricatas de rebus divinis adjungit, quas ſecundum Arabum conſuetudinem, quæ eo tempore obtinebat, exponit, & ſolvit. Itaque mediam viam tenet inter antiquos illos PP. & Scholaſticos ſui temporis.

Hujus æqualis *B. Bonaventura* cardinalis præter commentarios in libros complures S. Scripturæ, & alia opera multa, ſcripſit in *Quatuor Sententiarum libros*. Haleſium, ac Thomam imitatus: quod opus ab ſcholæ ſtudioſis magno in pretio habitum eſt. Certe Bonaventura a diſputationibus Dialecticis multo plus, quam ceteri, abſtinet. [1] Quo planum fecit, Averroeſianam diſciplinam non omnibus probari. Ab

[1] „ *Profundus, non verboſus; ſubtilis, non curioſus;* „ *diſertus, non vanus; flammantia, non inflantia verba* „ *proferens: unde & ſecurius legitur, facilius ab aman-* „ *te intelligitur, utilius frequentatur, dulcius & fru-* „ *ctuoſius retinetur*. Trithemius *de Scriptor. Eccleſ. c. 446. p. 113.*

Ab hoc tempore Theologi in tres claſſes diviſi ſunt. Quidam libros *Sententiarum* Lombardi explicarunt: & hi *Sententiarii* vocati ſunt. Alii vel novas *Summas* compoſuerunt, vel Thomæ Aquinatis *Summam* ad verbum ſecuti ſunt, & commentariis expoſuerunt: & hi nominati *Summiſtæ*. Non nulli ſyſtemata non condiderunt, ſed de variis Theologiæ diſputationibus in utramque partem diſputarunt more *Academicorum*, facientes adverſariis poteſtatem, quam liberet ſententiam, confutandi: & hi vocati ſunt *Quodlibetarii*: quorum parens & auctor non nullis videtur *Gualterus epiſcopus Pictavienſis*, quem *Aquinas* imitatus eſt. Et his tribus claſſibus tota Theologia ſecundæ, & tertiæ ætatis definitur.

Fuere tamen quibus Aquinatis diſputandi ratio in Theologia non placeret. [1] Immo paucis poſt ejus obitum annis non nullos, ipſumque *Stephanum Pariſienſem* epiſcopum quædam illius placita non admiſiſſe, qui dicat, auctorem habeo. [2] Sed fortaſſe contra alios Theologos ſancita ſunt hæc. Certe *Aegidius Columna* eodem ſæculo eum contra vituperatores ſtrenue conſcripto libro defendit. [3] Et hæc ſæculo XIII.

[1] *Facultas Theologica Pariſienſis in libro ſcripto contra Joannem Monteſonum Dominicanum, quem P. M. obtulit, hæc late perſequitur: cujus verba legi poſſunt apud Launoium de* Fortuna Ariſtotelis c. x. *p.* 213. *Videndus etiam Bulæus* Hiſt. Academ. Pariſ. Tom. III. p. 433.

[2] *Richard. Simon* Biblioth. Critic. Tom. II. c. 25. *p.* 371. *Epiſtolam autem Stephani Pariſienſis epiſcopi datam anno* 1277. *producit Oudinus* de Script. Eccleſ. Tom. III. p. 365. *& Bulæus l. c. p.* 408.

[3] Defenſorium librorum S. Thomæ contra Guilelmi

Jam XIIII. ſæculo ineunte *Joannes Duns Scotus* Franciſcanus, cum Pariſiis Theologiam traderet, propoſuit ſibi *Thomæ*, *Bonaventuræ*, aliorumque argumenta & concluſiones ad incudem revocare; &, quæ ſibi infirma videbantur, argumentis ſubtilibus refellere. Cumque plures pro *Thoma* decertarent, acres decertationes ſuſcitatæ ſunt inter Scholaſticos, quorum alii *Thomiſtæ*, alii *Scotiſtæ* ſunt nominati: qui tanto animorum æſtu contenderunt inter ſe, ut plura ſæcula hæ lites perduraverint. [1] Notatur *Scotus* hoc nomine, quod & nimis ſubtiliter, atque adeo obſcure diſputaret; & cum de aliquibus in utramque partem diſputando, in iis judicium cohiberet, *Scepticiſmum* amplificare præter modum viſus eſt.

Hæ autem diſceptationes Metaphyſicæ immane quantum onerarunt Theologiam. Nam cum præcipua Theologorum laus non in imitando Thoma, aut reformanda Theologica diſputandi ratione ſecundum illius mentem, uti par erat, ſed in novis quæſtionibus ingenioſe & acute excogitandis, ac definiendis conſiſteret; neutri autem alteris faſces ſubmittere vellent; ex una diſputatione innumeræ genitæ ſunt, & ſine ullo fine pro-

---

mi Lamarenſis, Thomæmaſtigis, Corruptorium. *Editus eſt Venetiis* 1501. *& alibi*.

[1] „ *Quidam Theologi poſtpoſitis vel neglectis neceſſa-* „ *riis, utilibus, & ædificativis doctrinis, curioſis, inu-* „ *tilibus, & ſupervacaneis Philoſophiæ quæſtionibus, &* „ *ſubtilitatibus ſe inmiſcent: ex quibus ipſius ſtudii di-* „ *ſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offenditur,* „ *& per conſequens ſtudentium utilitas impeditur*. Verba ſunt Joannis XXII. P. M. in epiſtola ad Pariſienſes theologos data anno 1317. *Apud Natal. Alex.* H. E. Tom. VIII. p. 52.

productæ. Cumque in his fere omnes ætatem agerent, vix aliquid otii erat illis, qui Theologica dogmata recto ordine exponere cupiebant. Quod ſi aliqua ipſi adtingebant, breviter faciebant, & in diſceptationibus nullius momenti conſumebant ætatem. Nullus ſubtilitatum, nullus contentionum modus erat. Præſtantiſſimus is habebatur, qui nova fundere, quique a nemine non niſi poſt multum laborem percipi poſſet. [1]

Auxerunt has contentiones viri duo celeberrimi, *Guilelmus Durandus a S. Portiano*, & *Guilelmus Occam*, alter Dominicanus, alter Franciſcanus, qui paullo ante medium XIIII. ſæculum præſtantes habiti ſunt. Ille Thomam ſuum deſeruit, & adverſum eumdem acriter ſcripſit, atque ſine ullo duce philoſophari conatus eſt.

 Hic,

[1] „ *Methodum S. Thomæ ſecuti ſunt plerique poſt* „ *ipſum Scholaſtici. Verum qua ipſe uſus eſt ob neceſſitatem jam dictam, ea non pauci poſt ipſum abuſi ſunt.* „ *Nam cum debuiſſent, ceſſante jam neceſſitate, ad ſimpliciorem tractandæ Theologiæ methodum redire, neſcio qua vel curioſitate ducti, vel oſtentandi ingenii cupiditate incitati, relictis Fidei, & Morum dogmatibus, aut leviter tantum delibatis, Theologiam prope totam ad quæſtiones, & pugnas de verbis, contentioneſque de ſpeculationibus quibuſdam Metaphyſicis redegerunt. Novas præterea quæſtiones ex ipſis S. Thomæ quæſtionibus, articulis, argumentis, ſententiis, verbis, ſine ulla neceſſitate, vel utilitate excitarunt: tantoque ſibi doctiores viſi ſunt, quanto ſubtilius poterant novam diſputandi materiam invenire: minime profecto in hoc imitati S. Thomam.* Joannes Opſtraetus, Belga, qui floruit fine elapſi ſæculi, *in Theologo Chriſtiano P. II. c. 3. Vide Cl. Mabillon. de* Studiis Monaſticis P. II. cap. 3.

[1] Hic, diſcipulus *Scoti*, inſtauravit ſectam *Nominalium*, eamque oppoſuit doctoris ſui placitis, qui a Realibus ſtabat: multaque alia in præceptorem effudit. [2] Ex quo inter Reales, & Nominales non modo contentiones litterariæ natæ ſunt acres & vehementes, ſed plus quam litterariæ, ad convicia, ad verbera uſque. [3] De iis nos jam primo libro verba fecimus: ſed cum Philoſophicæ

---

[1] „ *Nos igitur plus rationi, quam cuicumque aucto-*
„ *ritati humanæ, conſentientes, nullius puri hominis*
„ *auctoritatem rationi præferimus: adtendentes, quod,*
„ *omnibus exiſtentibus amicis, ſanctum eſt perhonorare*
„ *veritatem.* Durandus, *Præfat. in Libr. Senten. Lombardi.*

[2] *Occami effigiem nobis adumbravit Paullus Langius monachus Cizenſis hoc modo:* „ *Occamus Scholaſtici cer-*
„ *taminis agonotheta excellentiſſimus, agmen peregrini*
„ *exercitus, id eſt, Philoſophicum contra hoſtes Iſrael*
„ *pugnans, in Scripturarum campum adducit, ſacriſque*
„ *Theologorum copiis aſſociat, ſacra profanis, divina hu-*
„ *manis, domeſticis exotica, orthodoxis ethnica, cæca*
„ *præſumptione commiſcens & copulans, & adeo uſque*
„ *quidem, ut auxiliares domeſticas pæne excedant, ſu-*
„ *perentque copias: multo plures videlicet Philoſopho-*
„ *rum, quam divinæ paginæ, in ſuis ſyntagmatibus au-*
„ *ctoritates producendo. Quaſi arma lucis, utpote ſcu-*
„ *tum Fidei, galea ſalutis, & gladius Spiritus Sancti,*
„ *utriuſque teſtamenti aurea teſtimonia, ad reſiſtendum*
„ *diabolo, & ſatellitibus ejus Hæreticis, minime ſuffi-*
„ *cerent. Utrum fauſte, & prudenter id fecerit, ipſe*
„ *viderit.* In Chronico Cizenſi Tom. I. edit. Piſtor. pag. 833.

[3] *Conſule Aventinum in* Annalibus Boiorum L. VI. pag. 624.

loſophicæ diſceptationes etiam in Theologia inſtaurarentur, fieri non poteſt quin eadem interdum parce repetamus: uſque adeo philoſophia, & theologia Scholaſtica vinculo quodam neceſſario conſtrictæ ſunt.

Atque hinc tertia & poſtrema Scholaſticæ theologiæ ætas ducitur ad finem uſque ſæculi XV. quæ priores ſuperavit acumine, & altercationibus. Nam laxatis habenis ingeniorum nulli amplius dubitarunt Philoſophi, atque adeo Theologi novas opiniones pro ingenio, pro lubitu, pro gloria captanda excogitare. Quare magis illi in argutiis Dialecticis, quam in dogmatibus exponendis, verſati ſunt: immo interdum propter Dialecticas ſubtilitates in errores nimis multos offenderunt. [1] Plerique exiſtimarunt, non niſi Dialecticæ pugnacis & contentioſæ beneficio ad Theologiæ faſtigium perveniri poſſe: quod ipſum de *Petro Aliaco* cardinali prædicarunt æquales. [2]

Jam ſingula percenſere, quæ hac ſecunda, & ter-

[1] *De Eccardo Teutonico, qui hoc ſæculo floruit, ita ſcribit Tritbemius: „ Vir in Divinis ſcripturis eruditus, „ & in philoſophia Ariſtotelica omnium ſuo tempore do- „ ctiſſimus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio: ſed dum „ nimis Philoſophiam inſequens novitatem terminorum „ contra Theologorum conſuetudinem ubique curioſe inmi- „ ſcuit, varios errores inducit, inter quos exſtant de- „ cem & ſeptem articuli a S. Pontifice* [Joanne XXII.] „ *damnati*. De Scriptor. Eccleſ. c. 537. p. 130.

[2] „ *Quis umquam ad illum apicem Theologiæ, quo „ Petrus de Aliaco conſcendit, abſque definitionibus, di- „ viſionibus, argumentationibus, inſtantiis Logicalibus „ perveniret? ... opus igitur Theologicis Logica inferre*. Weſſelius apud Launoium *de Fortuna Ariſtotel. p. 469.*

tia ætate, id eſt a fine XIII. uſque ad XV. ſæculum ab Scholaſticis ſunt perpetrata; & moleſtum eſſet, & minime neceſſarium. Qui enim præcipuos in ſingulis ætatibus habet exploratos, is de reliquis poteſt judicare, qui ex eadem diſciplina profecti ſunt. Omnes ſiquidem in præceptorum verba jurarunt, eaque totis viribus defenderunt: præſertim Thomæ, & Scoti ſectatores: quorum iccirco res geſtas narrare ſingulatim id eſſet abuti patientia lectoris. Quare de ſingulis partibus, nempe de *Scholaſtica*, *Polemica*, *Hermeneutica*, breviter dicemus.

I. *Scholaſticam* plerique omnes Theologi in Occidente ſunt amplexati: & qui ceteris doctrina præſtabant, Lombardum interpretati ſunt: quod in magna eruditionis, ac ingenii laude ponebatur. Qui vero ex ſuo aliquid novum promere cupiebant, *Summas* aliquas condebant vel de re Speculatrice, vel Morali. Id XIII. fecere ſæculo *Guilelmus de Seliniaco*, *B. Raymundus de Pennaforti*, *Udalricus*, *Hoſtienſis*, *Gandavenſis*. XIIII. *Aſteſanus*, *Monaldus*, *Alvarus Pelagius*, *Bartholomæus a S. Concordia*. XV. *S. Antoninus*, *Baptiſta Salvis*, *Trovamalis*, *Angelus a Clavaſio*, *Pacificus Novarienſis*, reliqui. Interdum vero ex aliorum *Summis* epitomas ſeu *Summas* decerpebant: quod in primis fecit *Joannes Teutonicus* quidam, qui ex *Summa* Thomæ, & Petri de Tarentaſia, & Hoſtienſis, & S. Raymundi, aliorumque ſuam delibavit.

II. Non nulli, ſed pauci numero, theologiæ Polemicæ operam dederunt. In id incubuerunt ſæculo XIII. *Thomas Aquinas*. [1] Sæculo vero XIIII. *Guido de*

[1] *In Summa contra Gentiles, & contra errores Græcorum, & contra Saracenos.*

de Perpiniano, *Pelagius*. XV. *Paullus Burgenſis*, *Hieronymus a S. Fide*, *Porchetus de Salvaticis*, *Alfonſus de Spina*, & alii, qui Judæos refellere adorti ſunt. Non nulli eodem ſæculo Wickleſſianos, & Huſſianos refutarunt: alii vel contra Græcorum errores, vel in defenſionem Florentini concilii libros ediderunt. Quos inter referuntur Græci quidam, ut *Georgius Trapezuntius*, & *Scholarius*, *Joſephus Methonenſis*, *Protoſyncellus*, *Beſſario* cardinalis, *Iſidorus Theſalonicenſis*, ceteri.

III. Etiam in Hermeneutica, ſeu enarratione Scripturarum non nihil Theologi prædicti temporis & intelligentiæ poſuerunt. In his numerantur XIII. *B. Antonius Ulyſſiponenſis*: qui primus apud Franciſcanos Sacros codices, idque ſapientiſſime, interpretatus eſt. *Hugo de S. Caro*, qui in primis *Concordantias* lucubravit. *Petrus de Tarentaſia*, ceterique. XIIII. vero *Engelbertus*, *Aureolus*, *Ludolphus Saxo*, *Gorram*, *Eymericus*, ſed præter ceteros *Nicolaus de Lyra*, primum Judæus, dein Franciſcanus, qui Scripturarum ſtudia hoc ſæculo ſuſcitavit, & *Poſtillam*, uti vocant, ad *Gloſſam Ordinariam* conſcripſit: Multo plures ſe offerunt ſæculo XV. qui eamdem materiam diligenter perſecuti ſunt: hujuſmodi ſunt *Paullus Burgenſis*, *Hieronymus a S. Fide*, *Thomas Anglicus*, *D. Chartuſianus*, & *Alfonſus Toſtatus* epiſcopus Abulenſis, qui copioſa in Scripturam commentaria reliquit.

Horum plerique, quod linguas Orientales ignorarent, operam ſuam in explicanda vulgata verſione Latina tantum poſuerunt, idque ſecundum interpretationem Latinorum Patrum: quidam fuſius, alii brevius. Aliam viam inſtitit *Toſtatus*, qui quæſtiones aliquas ſumſit ex textu, eaſque Scholæ ritu fuſe diſſolvit: quem morem ſequenti ſæculo alii tenuere. Quare fere omnes

conſuetudinem ſui ſæculi ſatis produnt in ſuis interpretationibus. [1]

Sed ad Orientalem eccleſiam ab Occidentali paulliſper divertamus. Longe aliter ſe habuit in Oriente Sacram diſciplinam tradendi ratio ab ſæculo XI. uſque ad medium XV. Non enim ex Metaphyſica diſciplina Scholaſticorum more, ſed alio modo diſputabant Græci. Exemplo ſit *Euthymii Zigabeni*, qui initio XII. floruit, *Panoplia adverſus Hæreticos*, præſertim ſuæ ætatis: in qua quoddam Polemicæ theologiæ ſyſtema ſe offert. [2] Nempe cum quidam Theologi ſententias aliquot ex PP. Græcis decerperent, ut Hæreticos, Judæos, & Saracenos confutarent; eas Euthymius ordine poſuit & digeſſit, quo facilius lectoribus opitulari poſſent. Itaque non novas & ſubtiles quæſtiones & controverſias inſtituit, exponit, diſſolvit, quod erat Scholaſticorum; ſed plane, quod ſibi propoſuit refutandum, conficit.

Ad eumdem modum *Conſtantinus Harmenopulus* in libro inſcripto, *de Opinionibus Hæreticorum, qui ſingulis ætatibus exſtiterunt*: qui poſt expoſitas hæreſes ſingulas

[1] *Qui hiſtoriam Scholaſticorum noſcere cupit, præter eos, qui de* Scriptoribus Eccleſiaſticis *agunt, ut ſunt, Caveus, Warthonus, Dupinius, Natalis Alexander, Oudinus, ceteri, legat eos, qui Religioſorum hiſtoriam condiderunt: nam plerique omnes ex his familiis Scholaſtici ſunt profecti. Jacobus Quetif, & Jacobus Echard idſputant de* Dominicanis: *Wadingus de* Minoritis *ſeu* Franciſcanis: *Mabillonius de* Benedictinis *in* Actis Sanctorum, *& in* Annalibus. *His addi poteſt Bulæus* Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis, *ubi inluſtres Academicos percenſet. Nobis ad alia tendentibus hæc monuiſſe ſat eſt.*

[2] *Exſtat in* Bibl. Max. Patrum Tomo XVIIII. pag. 1.

gulas, refutationem unicuique plane atque aperte ſubjungit. Præterea cum eodem ſæculo acriter diſputatum eſſet ab eccleſia Orientali, & Occidentali, præſertim *de proceſſione Spiritus Sancti a Patre, Filioque*; nihil non fecerunt Græci pro ſuis erroribus defendendis: [1] veluti *J. Furnus*, *Nicolaus Methonenſis*, *Euſtratius Nicænus*, *Nic. Seidus*, ceteri, quorum nomina ſatis ſunt nota. Non eos tamen reperimus, ab ea diſputandi ratione, quæ præcedentibus ſæculis obtinuerat, receſſiſſe: immo vero id unum egiſſe eos, ſcripta, quæ ſuperſunt, fidem faciunt.

Nec aliter XIII ſæculo ſe ſe res habuit: ut oſtendit præter ceteros *Nicetæ Acominati* θησαυρὸς ὀρθοδοξίας *Theſaurus Orthodoxæ fidei*: in quo vir doctiſſimus hæreſes omnes diligentiſſime confutat. Mitto Theologorum infinitam vim, qui vel ante concilium Lugdunenſe II. anno CIƆCCLXXIIII. coactum, vel poſt ad Florentinum uſque ſæculo XV. Græcorum ineptias & errores contra Latinos defenderunt: in quibus tamen numerantur non nulli, qui a Latinis ſteterunt: nam hæc ex Leone Allatio [2] & Fabricio [3] cognoſci poſſunt: nec his detinere tirones puto conſentaneum. Satis fuerit monere, hos omnes etiamſi in argumento & ſubtili & copioſo verſarentur, nihilo ſecius non id Dialectica ratione perſecutos eſſe; ſed ex coactis PP. Latinorum, & Græcorum ſententiis, quas ad ſuam ſententiam inflectere conabantur, quæ ſibi propoſuerant, effeciſſe. Quod eo magis mirabile eſt, proterea quod ex hiſtoria Orientali cognoſcimus, extremis Orientalis imperii ſæculis

---

[1] *Confer. Leo Allatius* de Occident. & Orient. eccleſ. conſenſ.

[2] Libro citat.

[3] Biblioth. Græcæ L.V. c.43. ſeqq.

culis [funditus periit Conſtantinopolitanum imperium anno cIↃccccLIII. cum a Mahometo II. imperatore Turcarum Conſtantinopolis eſt expugnata] Ariſtotelicam philoſophiam ſed magis puram & intemeratam, quam apud Scholaſticos, regnaſſe. Fuere etiam Græci non nulli, qui *Catenas Patrum* condiderunt eadem ætate, veluti *Nicetas*, *Andreas*, *Macarius*, *Aretas*, *Theophylactus*, *Euthymius*. Itaque in Hermeneutica theologia eamdem methodum, ac Occidentales, ſecuti ſunt, cogendi nempe ſententias præcedentium, & etiam catenas PP. condendi. In hoc differunt, quod a Dialectica, & Metaphyſica tum in Hermeneutica, tum in Dogmatica & Polemica theologia abſtinuerunt: nec inutiles quæſtiones diſputarunt. Scholaſtica enim ratio in Oriente erat ignota. Sed ad Occidentalem plagam redeundum eſt.

Quamquam fere omnes *Scholaſtici* acutis in quæſtionibus diſputandis otium conſumerent; tamen aliqui inventi ſunt XV. ſæculo, qui nævos hujuſmodi ſcite agnoverunt, atque in medio Scholaſticorum cætu, in ipſis ſcholis, ubi Scholaſtica tanto opere erat exculta, maximo animo condemnarunt. Fuere in his *Joannes Gerſo* cancellarius Pariſienſis [1] *Nicolaus Clemangius*

[1] „ *Deinde*, inquit, *cur ob aliud appellantur Theologi noſtri ſophiſtæ verboſi, & phantaſtici, niſi quia, relictis utilibus, & intelligibilibus pro auditorum qualitate, transferunt ſe ad nudam Logicam, vel Metaphyſicam, aut etiam Mathematicam: ubi, & quando non oportet, nunc de intenſione formarum, nunc de diviſione continui, nunc detegentes ſophiſmata Theologicis terminis obumbrata, nunc prioritates quaſdam in divinis, menſuras, durationes, inſtantia, ſigna naturæ*,

gius [1] aliique, qui non modo de Dogmatica, de Morali, de Diſciplina, rejectis Scholæ argutiis, ſobrie diſputarunt; verum etiam ipſas inutiles diſputationes tamquam vero Theologo indignas projiciendas eſſe dixerunt. [2] Nam cum eo tempore theologi Latini cum Græ-

---

„ *turæ, & ſimilia in medium adducentes. Quæ etſi vera eſſent, & ſolida, ſicuti non ſunt; ad ſubverſionem* „ *tamen magis audientium, vel irriſionem, quam ad rectam Fidei ædificationem ſæpe proficitur*. Gerſo Lect. VIII. in Marcum.

Et loquens de B. Bonaventura, ita ait: „ *Recedit* „ *a curioſitate quantum poteſt, non inmiſcens poſitiones* „ *extraneas, vel doctrinas ſæculares Dialecticas, aut* „ *Phyſicas more multorum .... Unde factum eſt, ut ab indevotis Scholaſticis, quorum, pro dolor! major eſt numerus, ipſe minus exſtiterit frequentatus*. In fine Libri de Exam. Doctrinar.

[1] „ *Miror*, inquit, *Theologos noſtri temporis paginas Divinorum teſtamentorum ita negligenter legere,* „ *& neſcio quarum ſterilium ſubtilitatum indagine ſua ingenia conterere: &, ut ait Apoſtolus, languere circa* „ *quæſtiones & pugnas verborum: quod Sophiſtarum eſt,* „ *non Theologorum*. In Mſs. de Inſtituendo Theologiæ ſtudio apud Launoium loc. cit.

[2] „ *At vero quæret aliquis, quales materiæ dicendæ ſint proprie & pure Theologicæ? Reſpondeat non* „ *ego, ſed Auguſtinus, quod illæ per quas Fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Fides, Spes, & Caritas quemadmodum ſolum nominantur,* „ *& ſunt virtutes Theologicæ; ita materia illa proprie* „ *dicenda eſt Theologica, quæ Fidem ædificat, Spem erigit, Caritatem inflammat. Propterea pœnitentibus di-* „ *ctum*

Græcis, & Wickleffianis, & Uſſianis diſputantes, coacti fuerint Scripturam, Traditionem, & PP. conſulere ſcripta, ut ex iis errores conficerent; plane deprehenderunt, non niſi ex prædictis fontibus veram Theologiam duci oportere.

Viam etiam ſeverioris ſupercilii diſciplinis inluſtrandis ſtravit humaniorum litterarum ſtudium, velut Latinæ linguæ, & Græcæ, quæ labente eodem ſæculo coli cœpere: quod cauſſam dedit plurimis, ut PP. Græcorum libros pervolutarent, ex iiſque ducerent germanas reſponſiones. Verum hæc tametſi non nullis opitularentur, tamen plerique contrariam tenebant viam. Immo vero eadem ætate *Caſuiſtæ* fere omnes nati ſunt, quorum plurimi quæſtiones quaſdam inutiles inſtituerunt, commenti etiam opiniones intolerandas, ex quibus plurima mala ſunt nata: quibus Romani pontifices diligenter, uti ſolent, occurrerunt. [1] Et hæc de Scholaſtica: nunc de Scholaſticorum ſectis dicendum eſſe videtur.

Quamquam Scholaſtici ex Ariſtotelis diſciplina diſputent, eamdemque rationem philoſophandi ſequantur omnes; tamen ex diverſis principiis, quæ ponunt, diverſas diſciplinas faciunt: quæ ab inventore, qui eas excogitavit, nominatæ ſunt. Celebriores ſectæ ſunt *Thomiſtica*, *Scotiſtica*, *Moliniana* ſeu *Jeſuitica*, *& Auguſtiniana*.

Prima originem ducit a *B. Thoma Aquinate*: altera ab

„ *ctum eſt, non ut conquirant diſpoſitionem orbis terra-*
„ *rum, & cæli, & ſiderum: Pœnitemini, ait; & cre-*
„ *dite Evangelio. Deuteronomii 4. notatum eſt.* Gerſo
„ *Tom. I. Lect. 2. contr. Vanam Curioſit. Conſ.4.*

[1] *Conſule Dupinium* Biblioth. Auct. Eccleſ. Tom. XII. c.4.

ab *Joanne Duns Scoto*: tertia a *Ludovico Molina Jeſuita* Hiſpano, qui vixit ſæculo XVI. quarta a *S. Auguſtino*, ſeu ab iis, qui proximis duobus ſæculis Auguſtini doctrinam inluſtrarunt: quos inter excellunt ex Franciſcanis *Franciſcus Macedo*; ex Auguſtinianis ipſis eruditiſſimi viri, *Chriſtianus Lupus*, *Noriſius* cardinalis, *La Foſſe*, *Bellelli*, *Joannes Laurentius Bertius*, ceteri; ut alios omittam vel Religioſos, vel Laicos, qui eamdem ſententiam defenderunt.

Neque vero graviſſimæ familiæ, quas nominavimus, in omnibus ſcholæ controverſiis contrarias ſententias tuentur: ſed in iis differunt, quæ ad *gratiæ Chriſti* diſputationem pertinent, ex eaque conſequuntur. Hæc tamen a nobis in præſentia fuſius explanari non nulli fortaſſe cuperent: ſed a propoſito noſtro eſſet alienum: ſaltim a tironibus, in quorum gratiam ſcribimus, percipi non poſſent. Satis fuerit per viam monere, controverſiam fere omnem ad unum caput revocari, nimirum *ad concordiam gratiæ, & liberi arbitrii*. Nam certum eſt, dari aliquam gratiam efficacem, cujus adjumento bonum facimus: item certum eſt, libertatem noſtram ab illa gratia non tolli, ſed cum ea componi. In hoc eſt diſſidium, quo modo componi poſſit, ſeu ex quo fonte hauriri queat gratiæ efficacitas. Quod ut explicent Theologi, alias & alias opiniones eruditiſſime excogitarunt: quæ apud eos videri poſſunt, qui in hoc argumento cum laude verſati ſunt. [1] Nos pergimus ad alia.

CA-

---

[1] *Ex* Thomiſtis *legi poteſt Alvareſius*, *Gonetus*, *Contenſonus*, & *Cl. Gottius cardinalis*. *Ex* Jeſuitis *Bellarminus cardinalis* L. I. de Gratia & lib. Arb. *Suareſius* de Auxiliis L. III. *Tannerus* de Gratia Tom. II. diſp. 6.

Caput VIIII.

De Theologia XVI. ſæculi, ſeu de theologiæ Dogmaticæ & Polemicæ inſtauratione.

QUamquam rerum Divinarum notitia ab Apoſtolorum ætate uſque ad præſens tempus pura & incorrupta in eccleſia Catholica remanſerit; tamen pro varia temporum diſciplina alia via ac methodo, uti diximus, tradita eſt. Atque illud ex hiſtoria exploratum habemus, ubi Philoſophia in ſcholis Chriſtianorum dominata eſt, ibi Theologia accurate & cum pretio exculta fuit & tradita, velut III. & IIII. & V. ſæculo nominis Chriſtiani. Ubi vero Philoſophia damnum fecit, ibi & Theologica diſciplina, quod ad methodum adtinet, mutata fuit: ut a VI. ſæculo ad XII. uſque. Et quo deterior Philoſophia facta eſt, id eſt argutiis & inanibus diſputationibus depravatior, eo magis Sacra ſcientia extraneis ac inutilibus quæſtionibus ad faſtidium uſque onerata eſt: atque a veteri majeſtate & dignitate, quæ primis ſæculis admirationi fuerat Gentilibus, ad neſcio quam inanium quæſtiuncularum indaginem delapſa eſt, quæ germanam pulcritudinem, ut ita dicam, fœdavit: quod ſæculo XIIII. & XV. in more poſitum fuit. Contra a quo tempore Philoſophia quaſi per gradus e tenebris egreſſa eſt, & ad lucem perducta; etiam Theologia ipſa ſuo lumini reſtituta, multis & validiſſimis præſidiis ſe muni-

---

ceterique Congruiſtæ, qui a Molinæ, Montemajoris, Leſſii, Hamelii ſententia non nihil receſſerunt. Ex Scotiſtis, *Pontius, Maſtrius, Fraſſenius, Du Paſquier. Ex* Auguſtinianis, *illi, quos nominavimus, La Foſſe, Bertius, Noriſius, Lupus, Gavardius, Piette, Caſalius, ceterique.*

munivit, quibus ſe defenderet ab impetu adverſariorum. Adeo verum eſt, bonam Philoſophiam ad Theologiam inluſtrandam omnino eſſe accommodatam. Hoc quam vere dicatur, duorum ante hac ſæculorum hiſtoria nos docet: de qua nos accurate hoc tempore, quantum per epitomæ leges poterimus, dicemus.

Sæculo XVI. non nihil detrimenti fecit Scholaſtica theologia. Cauſſa fuere hæreſes nefariæ, quas male feriati homines eo tempore excogitarunt, & quæ non modo Theologos exercuerunt, ſed etiam Eccleſiam acerrimis contentionibus agitarunt. Nam cum eorum anteſignanus *Martinus Lutherus*, ut errores ſuos & inpias ſententias abſconderet, anno CIƆIƆXXII. Novum teſtamentum plurimis in locis interpolatum Germanice ederet; & hæc translatio non modo ab doctoribus, qui Luthero adhæſerant, ſed etiam a feminis continenter legeretur, & memoriæ mandaretur; exſtitit ut Lutherani homines noſtris doctoribus, & concionatoribus audacius inſultarent; quaſi turpia mendacia pro concione dixiſſent. Cumque nimis multi ex noſtris Theologis in argutiis Dialecticis magis, quam in Sacris codicibus, eſſent verſati; adeo crevit apud ſemidoctos de Lutheranorum eruditione opinio, adeo noſtrorum contemptus, ut nihil ſupra.

Huic alia & graviſſima acceſſere incommoda. „ Nam cum antiqui Theologi multis retro annis peri- „ tiam linguarum, & politiores litteras neglexiſſent, „ *Lutherus* mox ab initio per *Melanchthonem*, *Zuin-* „ *glium*, *Oecolampadium*, & *Bucerum*, antea quam „ ab eo in non nullis articulis diſſentire cœpiſſent, to- „ tam juventutem Eloquentiæ litteris, linguarumque „ ſtudio deditam in partem ſuam traxit. Juvenes vero „ & ingenio alacres, & laboris patientes mox in Sacris „ litteris [quibus Lutherus unicum tribuebat ſenſum,

„ eum-

„ eumque litteralem] ita profecerunt litteraliter, ut „ vel triginta annorum Theologi tam prompti in Scri- „ pturæ locis proferendis non viderentur, quam illi. „ Qui & de peritia linguarum, & de ſtili elegantia ſu- „ perbientes, mox quoslibet veteris farinæ Theologos „ non ſolum contemnere, verum etiam provocare cœ- „ perunt, maxime quando ad populum verba facie- „ bant. [1]

His de cauſſis cum aliqui noſtrorum Scholaſticis adjumentis haud feliciter in Lutherum ſcriberent, cauſſam dederunt maledicentiſſimo homini, ut Scholaſticos irrideret. [2] Nam cum veros ab adſcripticiis Theologos non ſecerneret, nec vitia, & virtutes internoſceret, propter vulgarium Scholaſticorum inperitiam Theologorum omnium auctoritatem rejecit: audacter ajens, theologiam Scholaſticam eſſe nihil aliud, *quam ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam*, quam ad *Coloſſenſes c.2.* Apoſtolus præcavet. [3] Idem oppoſuit ejus diſcipulus *Philippus Melanchthon*, qui dixit, *Lutetiæ natam eſſe prophanam Scholaſticen, qua admiſſa, Evangelium obſcu-*

---

[1] *Ita Natalis Alexander* in Hiſt. Eccleſ. Tom. VIIII. c. 2. art. 10. p. m. 112.

[2] „ *Silveſter Prieras, Ordinis FF. Prædic. profeſ-* „ *ſor, S. Palatii magiſter, Lutheri ſophiſmata detexit* „ *potius, quam confutavit, Dialogo S. Pontifici dicato.* „ *Huic ſtatim reſpondit Lutherus, Scholaſticam & Tho-* „ *miſticam theologiam, in qua exercitatiſſimus erat Prie-* „ *ras, contemnens; ſeque in errore pertinacius obfir-* „ *mans, quod SS. litterarum, veterum Conciliorum te-* „ *ſtimoniis ab adverſario non ſatis premeretur*. N. Alexander ibidem p. m. 107.

[3] *Lutherus in libro* Adverſus Jacobum Latomum.

ſcuratum, ac Fidem extinctam. [1] Id ipſum noſtris oppoſuere fere omnes Novatores, qui eodem ſæculo orti ſunt, ut Sacramentarii, Anabaptiſtæ, Anti-Trinitarii ſeu Sociniani, qui ſummo conſenſu Theologos noſtros irriſerunt, quaſi ſoli iſti eſſent Sophiſtæ.

Præterea Novatores, ut noſtris probarent, opiniones ſuas antiquitate ſe defendere, vetera monumenta, & PP. ſcripta diligenter examinarunt, ut inde efficerent, decreta, quæ ipſi profitebantur, perpetua traditione conſtare. Id præſertim fecit Martinus Flacius Illyricus, qui & *Centurias Magdeburgenſes* conſcripſit, & *Catalogum teſtium veritatis*; [2] in quo ab Apoſtolorum tempore uſque ad annum CIƆIƆXVII. teſtimonia collegit, quibus Catholicis perſuaderet, doctrinam ſuam graviſſimorum hominum, qui ſingulis ſæculis floruerunt, teſtimonio confirmari. Quod etiam eodem ſæculo Martinus Chemnitius in *Locis Theologicis* efficere adortus eſt: & copioſius adhuc Michael Neander, qui in PP. teſtimoniis cogendis deſcribendiſque induſtriam omnem collocavit. [3] Alios prætereo, qui in eodem argumento examinando deſudarunt Hæreticos.

Inficiandum non eſt, Hæreticos multa per calumniam effudiſſe in noſtros, quæ falſa ſunt: multa etiam ad pravos ſenſus detorſiſſe, quæ ab Scholaſticis alio intellectu dicta erant: veruntamen Theologiæ illius vulnera tetigerunt, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe Theologiam, & Scholaſticam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimum., Nam quo tempore adverſum ingruentes „ ex Germania hæreſes oportebat Scholæ theologos „ optimis eſſe armis inſtructos, eo nulla prorſus habe-

 „ bant,

[1] Apologia contra Pariſienſes.
[2] *Editus eſt Baſileæ* 1556.
[3] *In* Theologia Chriſtiana. Lipſiæ 1595. 4.

„ bant, niſi arundines longas, arma videlicet levia „ puerorum. Ita irriſi ſunt a pleriſque, ac merito irriſi, „ quoniam veræ Theologiæ imaginem nullam tenebant: „ umbris utebantur, & utinam eas ipſas ſequerentur. „ Quocirca homines verbo tenus in Theologia magiſtri, „ pugnavere illi quidem adverſum Eccleſiæ inimicos, „ ſed valde tamen infeliciter. Errabant illi autem a „ principio ſtatim ſtudiorum ſuorum. Cum enim facul- „ tates eas, quæ linguam expoliunt, mirum in mo- „ dum neglexiſſent; cumque ſe ſe in Sophiſtica arte „ torſiſſent diutius; tum demum ad Theologiam ag- „ greſſi, non Theologiam, ſed fumum Theologiæ ſe- „ quebantur. Nam cum rem perditam ſua reſtituere „ auctoritate deberent, tempori, ut inquiunt, ſervien- „ tes, non modo ſophiſmata non profligarunt, verum „ etiam auxerunt. Quæ nimirum cum a Philoſophia, „ tum vero magis a Theologia tollenda ſunt. [1]

Id cum animadverterent graviſſimi Theologi, fateri non dubitarunt, in Scholaſtica theologia, quæ per id tempus regnabat, parum ſe ſe habere præſidii ad hæreſes labefactandas. [2] Non enim extraneis & inanibus diſputationibus, non argutiis Dialecticis inpudentiſſimi Hæretici erant confringendi: ſed Scripturarum teſtimoniis, ſed perpetua Eccleſiæ traditione, ſed Patrum auctoritate, atque recta ratione, id eſt, bona Scholaſtica, quæ fal-

---

[1] *Ita loquitur Melchior Canus gente Hiſpanus Dominicanus, epiſcopus Canarienſis, nobilis Scholaſticus XVI. ſæculi, in libris* de Locis Theologicis L. VIIII. c. 1.

[2] *Ludovicus Carvajal, qui Trident. interfuit*, de Reſtituta Theologia c. 8. *qui editus eſt Coloniæ an.* 1545. 8. *hæc dolet. Quod ipſum profeſſi ſunt theologi Pariſienſes. Lege Bulæum* Hiſtor. Univ. Pariſ. Tom. VI. ad ann. 1330.

fallacias detegeret, mendacia & calumnias redargueret, coercendi erant. Hoc ipſum Tridentini patres agnoverunt. Nam cum tot tantiſque malis, quæ Hæretici perverſi illi quidem, ſed eloquentes, & docti, & in diſputando admodum exercitati, in Eccleſiam invexerant, occurrere vellent; operam dederunt, ut, miſſis Scholaſticorum diſputationibus, ac contortis & aculeatis ſyllogiſmis, ex puriſſimis Theologiæ fontibus, nimirum Scriptura, & Traditione, bonæ Dialecticæ auxilio controverſias finirent. [1] Hæc enim eſt unica medicina, quam eccleſia Catholica a primis temporibus adhibuit ad ſanandos Fidelium morbos, & frangendam proterviam Hæreticorum.

Fuere etiam Scholaſtici & nobiles, & in bona Theologia valde exercitati, *Jeſuitæ* [2] *Franciſcani*

---

[1] *Sancivit Concilium, ut Theologi in exponendis ſententiis hac methodo uterentur. Primum ut eas ex Sacra ſcriptura ſumerent, & traditionibus Apoſtolicis, & Conciliis probatis, & Conſtitutionibus Pontificum MM. & SS. PP. & ex conſenſu eccleſiæ Catholicæ. Deinde ut breviter id facerent, ſemotis inanibus & ſupervacaneis quæſtionibus, & clamoſa contentione. Ita Pallavicinus Cardinalis* in Hiſt. Concil. Trid. L. XII. c. 1. & 10.

[2] „ *Nolim equidem eas quæſtiones in Theologicis* „ *ſcholis audiri, an* corpus Chriſti potuerit eſſe in Eu- „ chariſtia ante incarnationem eodem modo, quo nunc „ eſt: *an* filius Dei fieri potuerit femina: *an* potuerit „ aſſumere naturam neſcio quam, quam pudet me ſane „ nominare. *Deinde rebus aut inutilibus, aut alienis,* „ *aut ridiculis abſtinendum eſſe cenſeo. D. Aug.,* *quem* „ *merito Theologi tamquam optimum magiſtrum ac ducem* „ *ſequuntur, curioſam & ſupervacaneam quæſtionem vo-* „ *cat,*

ni [1] *Dominicani* [2] ceteri ; [3] qui cum animadverterent, emendationi Theologiæ non nihil obſtare obſequium

---

„ *cat*, quomodo corpus Chriſti in cælo locatum ſit : „ *inprudentem vero*, *an* D. Paullus una cum corpore „ in tertium cælum raptus ſit : *inutilem & hominum in-* „ *prudentium*, qua figura ſit cælum : *quæ tamen omnia* „ *non omnino a divinis litteris aliena videri potuerant*. „ *Quod ſi nunc in frequentiſſimis, ac celeberrimis Theo-* „ *logiæ ſcholis, ubi nihil videri, nihil audiri, niſi ſa-* „ *pientiæ, niſi gravitatis, niſi pietatis, niſi utilitatis* „ *plena oportebat, magnis nos clamoribus altercantes* „ *vir ſapientiſſimus audiviſſet* : *an* in materia ſint ratio- „ nes ſeminales : *an* materia ſit principium individua- „ tionis : *an* elementa maneant formaliter in mixto : „ *an* caritas augeatur per additionem gradus ad gra- „ dum, *an* per maiorem radicationem in ſubjecto. „ *Quid ? ſi illa ridicula* : *an* Sacramenta ſint in aliquo „ prædicamento : *an* aſinus poſſit bibere Baptiſmum : „ *quid, inquam, vir prudentiſſimus dixiſſet, niſi nos* „ *magno cum clamore & contentione tempus perdere* : „ *quod ad minimam partem earum rerum comprehenden-* „ *dam, quæ non ſolum utiles ſunt, ſed etiam neceſſariæ,* „ *ſi multo longiorem haberemus vitam, minime ſufficeret.* „ *Quid, inquam, dicere potuiſſet, niſi quod de Sophi-* „ *ſtis ſapienter dixit, valde eos ſerio & ſubtiliter delira-* „ *re ? Non eſt Theologia, mea quidem ſententia, ita* „ *tractanda, ut Hæreticis riſum moveat, ſed ita ut ter-* „ *rorem incutiat : maleque de ea mereri mihi videntur* „ *ii, qui dum eam maxime augere, & amplificare iſtis* „ *non neceſſariis volunt, maxime ridiculam faciunt.* „ *Non refert, quam longa, quam lata, quam ſubtilis* „ *ſit habenda : ſed refert, quam vera, quam utilis Eccle-*

„ *ſiæ*,

quium illud, quod Scholaſticis doctoribus adſeclæ ſui præſtabant, Theologos admonuere, ut intellectum non
D d 3 niſi

„ *ſiæ, quam gravis, quam fortis, quam Hæreticis for-*
„ *midabilis*. Maldonatus in Oratione habita Lutetiæ in Collegio di Clermont Soc. Jeſ. anno Chriſti 1574. *Exſtat hæc Oratio cum aliis epiſt. Mſs. Lutetiæ in Biblioth. Puteana. Confer. Launoius* de Fortuna Ariſt. p. m. 164.

Etiam Salmeron Prolegom. 9. in Com. in Hiſt. Evangel. *&* *Poſſevinus* Bibl. Select. L. III. c. 9. *errores & abuſum notant eorum*.

[1] 1. „ *Mihi non probantur, qui ſuorum doctorum ſen-*
„ *tentias per fas & nefas propugnant: in hoc enim e dia-*
„ *metro Evangelio adverſantur, in quo non Nominales,*
„ *aut Reales, ſed Chriſtum imitari jubemur. Ubicum-*
„ *que veritatem invenero ipſam amplectar: nec patiar,*
„ *ut quiſquam me juratum Scotiſtam, aut aliquo quovis*
„ *nomine appellet...... Solius Chriſti verba ſub Eccle-*
„ *ſiæ gremio juravi, reliqua nomina contemno*. Ludovicus Carvajal. *de Reſtituta Theolog. & a ſophiſtica, & barbarie pro virili repurgata ſpecimen.* in Epiſt. ad Carol. V.

2. „ *Ego enim miſerrimam hanc dico ſervitutem, ſic*
„ *eſſe humanæ ſententiæ addictum, ut non liceat ullo*
„ *modo illi repugnare: qualem patiuntur hi, qui ſe tan-*
„ *tum B. Thomæ, aut Scoti, aut Occami dictis ſubjiciunt,*
„ *ut ab eorum placitis, in quos juraſſe videntur, nomina*
„ *ſortiantur, quidam Thomiſtæ, alii Scotiſtæ, alii Occa-*
„ *miſtæ appellati. Paullus quidem juſſit captivare intel-*
„ *lectum in obſequium Chriſti, non autem in obſequium*
„ *hominis*. Et infra: *Valde enim diſplicet etiam mihi,*
„ *quod & noſtrum ſodalitium in verba Scoti fere juraſſe*
„ *videatur*. Alfonſus de Caſtro *Contra Hæreſes L. I. c. 7. l. c.*

[2] 1.

niſi in obſequium Catholicæ fidei captivarent: ceterorum vero teſtimonia modeſte quidem, at libere expenderent, & ad examen revocarent.

Hi-

---

[2] 1. „ *In hoc tamen diſciplinarum genere Theologiæ „ profeſſoribus & honeſto, & neceſſario, duo illa vitia „ maxime vitanda ſunt, quæ Cicero commemoravit. „ Unum, ne incognita pro cognitis, incertaque pro cer- „ tis habeamus. Qua in re etiam in Theologia multa pec- „ cantur. Ut illi, qui D. Thomæ, Scotique opiniones „ vel indiſcuſſas amplectuntur, proque iis non aliter pu- „ gnant ac pro aris & focis........ Alterum enim eſt „ vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium multam- „ que operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, „ eaſdemque non neceſſarias. Quo in genere multos etiam „ e noſtris peccaſſe video: ut eas quoque quæſtiones la- „ tiſſime perſequerentur, quibus Porphyrius abſtinuit, „ homo inpius, ſed in hac re prudens tamen, ut Plato- „ nis, Ariſtoteliſque diſcipulum poſſis agnoſcere. Qui „ nec quidquam niſi opportunis & loco, & tempore tra- „ ctaverunt: nec quæſtiones ullas perſecuti ſunt, quæ ju- „ venum ingenia obruerent, non juvarent.*

„ *Noſtri autem Theologi opportunis vel locis, longa „ de his oratione diſſerunt, quæ nec juvenes portare poſ- „ ſunt, nec ſenes ferre. Quis enim ferre poſſit diſputa- „ tiones illas de univerſalibus, de nominum analogia, de „ primo cognito, de principio individuationis, ſic enim „ inſcribunt; de diſtinctione quantitatis a re quanta, de „ maximo & minimo; de infinito; de intenſione & re- „ miſſione; de proportionibus & gradibus, deque aliis „ hujuſmodi ſexcentis, quæ ego etiam, cum nec eſſem „ ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum tem- „ poris, & intelligentiæ adhibuiſſem, animo vel infor-*

„ *mare*

Hiſce exemplis excitati Theologi anxie curarunt, ut iis ſe munirent præſidiis, quibus Hæreticis & malis, & erudititiſſimis cum operæ pretio reſiſtere poſſent. Itaque & in ea incubuerunt, quæ ad Theologiam ſunt neceſſaria, & Theologiam ipſam tricis ac gerris liberatam in priſtinum decus reſtituerunt. Principio Græcæ, & Hebrææ linguæ addiſcendæ operam dederunt; ſine quibus Theologia manca eſt & elinguis. Deinde Sacros codices emendatiores ediderunt, & etiam Polyglotas editiones adornarunt: quod *Santes Pagninus*, *Arias Montanus*, cæteri præſtiterunt. Tum hiſtoriam præſertim Eccleſiaſticam excoluerunt: quod præ ceteris fecit Baronius

„ *mare non poteram. Puderet me dicere, non intellige-* „ *re, ſi ipſi intelligerent, qui hæc tractarunt.* Canus ibid. L. VIIII. c. 7.

2. „ *Attollit ſtudiis ſuum quiſque auctorem, & mori* „ *citius exoptat, quam auctoris ſui patrocinium deſerat.* „ *Platonicos, Pythagoricos, Academicos, Stoicos, Cy-* „ *nicos, Peripateticos, Averroiſtas, Thomiſtas, Scoti-* „ *ſtas ſe eſſe jactant, illorumque dogmata penitus habent* „ *cognita, memoriter tenent, de inſtantibus, de rela-* „ *tionibus, de quidditatibus, ac formalitatibus diſpu-* „ *tant. Hæc ſolum ſtudia erudita, ſubtilia, ſeraphica* „ *arbitrantur.* Santes Pagninus *Prolegom. Biblior.*

[3] „ *Etenim ſi confidit Sanctitas tua, res bene pro-* „ *ceſſuras horum Theologorum ope, qui in Doctoribus* „ *iſtis recentioribus* [Scholaſticis vulgaribus] *tantum* „ *exercitati ſunt; credat mihi ipſa, in quo mentiri cu-* „ *pio, acerbiore diſſidio, & multiplicatis hæreſibus nos* „ *e Concilio* [Tridentino] *eſſe diſceſſuros. Quamobrem,* „ *& quomodo hoc futurum putem aut alias dicam, aut* „ *res ipſa indicabit.* Sadoletus cardinalis, *in Epiſtola ad Paullum III. P. M. quæ exſtat* Epiſtol. L. XII. epiſt. 7.

ronius cardinalis *Annalium Eccleſiaſticorum* parens, qui eos tali conſilio lucubravit, ut *Centuriatoribus Magdeburgenſibus* occurreret. Ad extremum Sacras litteras, & Veterum epiſcoporum, ac doctorum ſcripta curioſe ſcrutati ſunt, ut inde promerent argumenta, quæ Hæreticorum fallaciis & ſophiſmatis opponerent. Cumque Hæretici XVI. ſæculo non unum & aliud dogma, ſed fere omnia in dubium vocaſſent; curarunt Theologi noſtri, ut ſingula inluſtrarent, novis rationibus munirent, & ab hoſtium aggreſſione defenderent. Quare facete commodeque dixit quidam Scholaſticus graviſſimus, [1] Catholicos theologos multum Hæreticis debere, qui eos ab illo veterno ſuſcitarint, & meliora perſequi docuerint: quod fortaſſe non facerent, niſi ab Hæreticis laceſſiti. [2]

Circiter medium XVI. ſæculum Theologi quidam nobiles de locis illis accurate diſputarunt, ex quibus Theologus ſumit argumenta tum ad dogmata noſtra con-

[1] „ *Lutherus hoc tantum boni ſuos inter errores in-* „ *tulit, ut Sacris litteris, & illarum inluſtrationi Theo-* „ *logi profeſſores ſincerius inſudarent, & aliena ſtudia* „ *rejicerent.* Joannes Maior theologus Pariſienſis *in Epiſt. præced. L. 2. Sent. edit. ann. 1528.*

[2] „ *Multi Catholici per Lutheranos, & Calviniſtas* „ *de ſomno excitati ſunt, & fidem ac religionem Chri-* „ *ſtianam doctiſſimis libris ac commentariis inluſtrarunt.* „ *Et ſane ſi hæc noſtra tempora conferantur cum ſuperio-* „ *ribus proximis ætatibus, quibus vel nulli, vel pauci* „ *Hæretici Eccleſiam turbarunt; facile conſtabit, tan-* „ *tum lucis ac ſplendoris ad Catholicæ eccleſiæ doctrinam* „ *acceſſiſſe, quantum, ſi Hæretici nulli eſſent, acceſſiſ-* „ *ſet numquam.* Martinus Becanus Jeſuita *Præfat. Opuſcul. Tom. III.*

confirmanda , tum ad refellendos adverſarios . [1] Præter ceteros eſt memorandus *Melchior Canus* , qui Tridentino concilio interfuit , obiit vero anno CIƆIƆLX. , qui in primis *Locos Theologicos* conſcripſit , idque puro ac eleganti dicendi genere , qui bonorum Theologorum judicio mirandum in modum probantur . [2] Huic addo *Jacobum Paivam Andradam* Luſitanum , qui etiam Tridentino adſuit , virum doctiſſimum , qui edita *Defenſione Tridentinæ Fidei Catholicæ* contra Novatores , præſertim Chemnitium , præclarum ſibi nomen fecit . Diſputat in ea de auctoritate concilii Generalis , Scripturæ , Traditionum , librorum Canonicorum , Latinæ vulgatæ : præterea de peccato Originis , & quæ ex eo ſunt conſecuta , & de conceptione Virginis . [3] Et quamquam nec omnia , quæ neceſſaria ſunt , perſecutus fuerit ; nec ordine , ac diligentia Canum reddiderit ; tamen viam ſtravit reliquis , qui in eodem argumento ſe exercuerunt . Quibus addi poteſt *Gregorius de Valentia* Jeſuita , propter *Analyſin Fidei Catholicæ* , aliique . Etiam *Tridentini patres* , ut inpudentiam frangerent Hæreticorum , qui ſuo Luthero , & Melanchthone gloriabantur , curarunt , ut compendium univerſæ theologiæ Dogmaticæ , quem *Catechiſmum Romanum* vocant , accuratiſſime conſcriberetur , & ederetur publico

---

[1] *Loca ex quibus Theologi ſumunt argumenta habes infra L. II. c. 2.*

[2] „ *Idemque primus fuit , reor , qui docuerit , & ,* „ *quod minus eſt , Latinam linguam in Lyceo divina effari ; & , quod maximum , Catholicos Novatoribus* „ *bellum , & cladem inferre* . Cardinalis Pallavicinus Jeſuita , *Vindiciæ Societatis Jeſu , cap.* 18.

[3] *Editus Ulyſſipone* 1578. 4. *& alibi* .

blico bono, ut haberent Theologi juſtum Dogmaticæ corpus; quo Chriſtianos imbuerent.

Ab hoc tempore doctores noſtri Veteri theologiæ inſtaurandæ, id eſt Dogmaticæ, & Polemicæ Scholaſtica methodo tradendæ ac inluſtrandæ, operam dederunt: atque Scholaſticam ab inutilibus quæſtionibus ſepararunt, & revocarunt ad germana principia, ex quibus Theologia omnis duci debet. Tum demum facto periculo oſtenderunt Hæreticis, Scholaſticam theologiam, quæ modo hoc nomine digna eſt, nihil aliud facere quam dogmata noſtra ordine explicare, ac methodo ſcholarum: utens etiam, ſed ſobrie, profanis diſciplinis ad dogmata confirmanda, & Hæreticos profligandos. Adeoque reapſe eamdem eſſe Poſitivam, ſed diſputandi ratione differre. [1]

Hinc aliqui Scholaſticam theologiam accuratius, quantum illa tempora ferebant, pertractarunt, ut *Sylvius; Eſtius*. Alii Polemicam novo ordine ac ratione diſputarunt, ut *Bellarminus cardinalis*, Hæreticorum malleus; *Perronius cardinalis*, *Pighius*, *Becanus*. Alii in condendis Catechiſmis ſudarunt, ut *Petrus Caniſius*, *Bellarminus*, *Coſterus*, *Granatenſis*, ceteri.

Etiam Romani pontifices, qui probe noſcerent, quantum intereſſet Eccleſiæ juvenes valde exercitatos in rebus Theologicis habere, operam dederunt, ut Polemica

[1] „ *Theologiam Scholaſticam dicimus, quæ certiore* „ *methodo, & rationibus in primis ex Divina ſcriptura,* „ *ac Traditionibus; ſeu decretis Patrum in Conciliis de-* „ *finitis, veritatem eruit, ac diſcutiendo comprobat:* „ *quod cum in ſcholis præcipue argumentando compare-* „ *tur, id nomen ſortita eſt. Quamobrem differt a Poſi-* „ *tiva theologia non re, ſed modo*". Poſſevinus Jeſuita, qui eodem ſæculo floruit, *Biblioth. Select. L. III. c. I.*

lemica theologia lectiſſimæ juventuti in Urbe traderetur: & *Gregorius XIII.* perpetua lege ſancivit, ut eadem Theologia in collegio Germanico, & Hungarico iis inſtillaretur adoleſcentibus, qui ex Germaniæ provinciis Romam ſe conferunt, ut ibi Sacris litteris perpoliantur: [1] iiſque inſtituendis Bellarminum præfecit.

Quamquam vero doctiores Theologi hæc tentarent, & de Theologiæ ſtudio ad veterem formam exigendo cogitarent, tamen illud effecerunt, ut Recentiores ſcholaſtici temperarent ſibi ab aliquibus diſputationibus inanibus: omnes ut evitarent, non effecerunt. Nam cum Theologi prædicti in magiſtrorum ſuorum verba juraſſent, religioni duxerunt ab eorum philoſophandi ratione vel tantulum declinare. Hinc poſt medium XVI. ſæculum tot occurrunt Scholaſtici vel *Caſuiſtæ*, vel *Speculativi*, ut enumerari vix queant. [2]

CAPUT X.

De Theologia ſæculo XVII. & XVIII.

JAM ſuperiori ſæculo alia & graviſſima cauſſa Theologos incitavit ad bonam Theologiam amplificandam & poliendam. Nam cum fere omnes Novatores diuturnis prœliis exercitati cognoſcerent, quantum auxilii Catholicis eſſet in Patrum teſtimoniis, & Eccleſiæ traditione;

[1] *Vide P. Fuligatum* in Vita Bellarmini c.9.

[2] *Bellarminus cardinalis in ſuo* de Scriptor. Eccleſ. *libello non niſi XII.* Summiſtas *ſeu* Caſuiſtas *uſque ad ann.* 1550. *numerat. Verum quam multi in præſentia ſint Caſuiſtæ nemo non videt. Eorum vero, qui de Scholaſtica ab eo tempore ſcripſerunt, iniri numerus non poteſt.*

ne; nihil non fecerunt, ut vel Patres ad ſuas ſententias obtorto collo reducerent, vel eorum auctoritatem infirmam facerent & abjectiorem. Primum fecere *Balthaſar Bebelius*, *Antonius Corvinus*, *Antonius Reiſerus*, *Mayerus*, & alii Lutherani: atque ex Reformatis [ita vocant illi, nos verius Pſeudo-Reformatos vocamus] ii qui in Anglia Epiſcopales nominantur, ut *Scrivenerius*, *Wotonus*, ceteri: qui vel in unius Patris explicandis opinionibus, vel in ſingulorum ſententiis colligendis, & ad ſuos errores flectendis multam operam poſuerunt. In aliam partem diſputarunt plerique Pſeudo-Reformati, velut *Joannes Dallæus* [1] qui PP. auctoritatem elevare contendit. Quod tanto apparatu eruditionis, tam multis ſophiſmatis, iiſque intricatiſſimis, tanta argumentorum, dicam melius errorum ubertate ac varietate efficere adorti ſunt; facile ut tirones, & harum rerum inperitos decipere poſſent.

His ut reſiſterent Theologi noſtri vetera monumenta ſtudioſe expenderunt: veros a ſuppoſiticiis libros ſejunxerunt: ſingulorum ſenſum ex hiſtoria expoſuerunt, quo facilius & germanam doctrinam Chriſti inluſtrarent, & perfringerent inpudentiam Novatorum, qui eccleſiam Catholicam apud ſe exſtare mentiebantur.

Hæc ut noſtri Theologi facilius adſequerentur, plurima eaque laborioſa ante moliti ſunt. Ac primum viri graviſſimi, Græcæ, ac Latinæ linguæ, artiſque Criticæ periti, præſertim Benedictini monachi [2] & in Gal-

---

[1] *Præſertim in opere* de Uſu Patrum ad ea definienda Religionis capita, quæ ſunt hodie controverſa.

[2] *Quid egerint Benedictini in emendandis, edendiſque ſcriptis Patrum, narrat vir doctiſſimus Bernardus Pez* in Bibliotheca Benedictino-Mauriana, ſeu de ortu, vitis,

Gallia, & alibi deſcribendis Patrum operibus, & ad incorruptæ Fidei codices Mſs. exigendis vacarunt, interpretationibuſque inluſtrarunt, ut eorum ſenſum vel tirones haud ita magno negotio percipere poſſent: velut Cotelerius *Conſtitutiones Apoſtolicas*, Valeſius *Euſebium Cæſarienſem*, Petavius *Epiphanium*, Pamelius *Tertullianum*, Fevardentius *Irenæum*, Le Quien *Damaſcenum*, Huetius *Origenem*, Sirmondus *Theodoretum*, alioſque; Ducæus utrumque Gregorium *Nazianzenum*, *&* *Nyſſenum*; *Baſilium*, *Chryſoſtomum*. Deinde *Apparatus* conſcripſerunt, quo tirones præpararent ad Patrum, qui primis Eccleſiæ ſæculis clari exſtiterant, libros penitus, faciliuſque intelligendos: ut *Nourri*, & *Honoratus a S. Maria*. Quod mirandum in modum amplificavit Poſitivam, & Polemicam theologiam.

Alii in *Conciliis* exſcribendis, edendiſque quam accurate & emendate fieri poteſt, feliciter laborarunt: in his ſunt *Labbeus*, *Sirmondus*, *Aguirre*, *Bail*, ceterique. Non nulli *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* in univerſum perſecuti ſunt, idque judicio peracri: ut *Baronius* cardinalis, uterque *Pagius*, *Godeau*, *Natalis Alexander*, *Dupinius*, *Tillemontius*, *Fleuryus*: quibus noſtra ætate adjungi poteſt vir in multis elegans & eruditus *Joſephus Auguſtinus Orſius* e Dominicana familia, qui Eccleſiæ hiſtoriam Italica lingua politiſſime ac limato judicio perſequitur univerſam. Sunt qui partem aliquam Hiſtoriæ inluſtrare ſibi propoſuerunt: ut *Valeſius*, *Launoius*, *Mabillonius*, qui in *Critic. Eccleſiaſtica* amplificanda poſuerunt induſtriam ſuam. Alii *Antiquitatem Eccleſiaſticam* fuſe ac eleganter expoſuerunt: inter quos referri debet *Martene*, *Gavantus*, *Durantus*, *Fronto Ducæus*, *Fleuryus*, & amicus noſter

---

vitis, ſcriptis Benedictinorum e Congr. Sancti Mauri in Francia. Auguſtæ Vindel. 1716. 8.

noſter vir clariſſimus *Thomas Maria Mamachius*, qui *Origines Eccleſiaſticas* apte, ſi quis alius, collocavit in lumine ſuo. [1]

His copiis muniti theologi Catholici rationem tractandæ Theologiæ ad meliorem formam revocarunt, præſertim a medio ſæculo decimo ſeptimo uſque ad finem. Ac plerique dogmata noſtra reſectis argutiis ordine conſcripſerunt, Patrumque auctoritate confirmarunt. Quod in primis fecit *Petavius*, [2] ceteroſque rationibus ſuis, ut id efficerent, excitavit. [3] Tum *Natalis Alexander*,

---

[1] *Eos qui antiquitates Hebraicas, Græcas, Chriſtianas tractarunt enumerat potiores J. A. Fabricius* Bibliographia Antiquaria. Hamburg. 1716.

[2] „ *Petavium* [ait Cl. Huetius epiſcopus Abrincenſis.] *hocce opere Theologiam tricis Scholæ & peditis expeditam, ad liberos & patentes Priſcæ eccleſiæ campos, Sanctorumque patrum tritos veſtigiis, revocaſſe*. Comment. de rebus ad ſe pertinentibus. L. I. p. 61.

[3] „ *Quin etiam ſi ſapiat* [Theologus] *& laboris, ac temporis facere compendium velit, mihi iſtud animadvertat, ut in communibus etiam, & ſcholarum uſu detritis controverſiis, ne ſit in inquirendo nimius: altiuſve, quam neceſſe ſit, mentis defigat aciem: ut propoſitæ quæſtionis oras omnes & ſinus, ac receſſus peragrare cupiat: ne quid ſit, cujus illi ratio non conſtet. Habet enim infinita illa curioſitas tum ingratam, ac faſtidii plenam operam; tum jacturam rei omnium prætioſiſſimæ temporis, quod utilius in rebus aliis hac impenſa dignioribus occupari potuit. Tum male apud homines audit eo nomine plerumque Theologia,*

„ *& in*

xander, *Joannes Baptiſta Du Hamel*, *Thomaſſinus*, *Boucatus*, ceteri. Alii adverſum Hæreticos acerrimo ingenio & exquiſita eruditione pro avita religione pugnarunt: ut *Adrianus*, & *Petrus de Walemburch*, *Jacobus Benignus Boſſuetus* contra Baſnagium, Jurieum, Claudium, ceteros. Item Auctor libri *de Perpetua Fide Eccleſ. Cathol. quod ad Eucharistiam*, aliique nimis multi, quibus ne infinite excurramus, ſuperſedemus. Qui quidem omnes tota animi contentione curarunt, ut Hæreticis eriperent laudem eruditionis reconditæ, & judicii limati: & ſi quid ab illis commode dictum erat, ad uſum Catholicum, inſtar Veterum epiſcoporum, revocarent, ſibique ſumerent.

Sed & errores Janſenii, qui turbas in Belgio, & in Gallia nimis multas excitarunt, occaſio fuerunt, cur de mente Auguſtini in cauſſa Pelagianorum, Theologi fuerint ſolliciti. Nimirum magno animorum æſtu inter viros doctiſſimos de eo argumento diſputatum eſt, idque uſque ad præſens ſæculum: cumque ex una plures naſcerentur diſceptationes, cauſſam dedere Theologis noſtris ut ſingula accuratius examinarent, & Auguſtini Hipponenſis placita liberarent a calumniis Janſeniſtarum. Quod fecerunt Noriſius cardinalis [1] & Hieronymus Torrenſis Jeſuita, nec non alii. Multas præterea Recentiorum ſententias adfines hæreſi Janſenianæ damnarunt Summi pontifices: eaſque multi Theologi expoſuerunt: quos nominare non eſt neceſſe, ſunt enim ſatis noti.

Nec ſolum in Dogmatica theologia; verum etiam in Mo-

„ *& in eorum ſermones ac reprehenſiones non prorſus ne-*
„ *gligendas incidit*. Petavius *Dogm. Theolog. T. I. proleg. c. 6. n. 7.*

[1] *In* Vindiciis Auguſtin. & in Hiſtor. Pelagiana.

in Morali diſciplina operam poſuerunt theologi Recentiores, eamque accuratius pertractarunt. Occaſionem præbuere philoſophi Juniores: qui cum diſciplinam de *Officiis* ex germanis rectæ rationis fontibus derivarent, viam monſtrarunt aliis per quam ad vera Ethices principia naturæ lumine pervenire poſſent. His acceſſere theologi Dogmatici, qui cum partim ex Revelata, partim ex Eccleſiaſtica diſciplina fontes aperirent, ex quibus ea proficiſcuntur, in quibus deficit philoſophia Moralis; cauſſa fuere Theologis cur in hoc argumento diligentius exercerentur: quod præſertim fine elapſi ſæculi uſuvenit.

Quamquam vero recentiſſimi labores virorum doctiſſimorum minuerent ſtudium ſcholaſticæ Peripateticæ etiam apud ſodalitia Religioſorum, præſertim in Gallia; tamen obtinuit Scholaſtica apud eos uſque ad finem ſæculi ſuperioris, & etiam in præſentia: vel quod iis litteris a prima ætate eſſent inutriti; vel quod doctorum ſuorum placita ex animo amplecterentur, a quibus recedere fas non eſſe putabant. Et hæc ſæculo vicino.

Jam noſtro ſæculo idem mos apud pleroſque Theologos, & graviſſimos Scholaſticos inveteravit, ut in Poſitiva theologia ſedulo exerceantur, eamque magis magiſque augeant, & confirment. Eam non nulli nudam & puram ab omni contentione diſputarunt, & Scholaſtica inveſtigatione: alii, ut morem gererent ſuis, quædam Metaphyſica, & de Schola petita admiſcuere dogmatibus, ea nimirum, quæ ad dogmata facilius intelligenda ſibi videbantur accommodata. Quod præ ceteris Religioſis fecit Cl. *Gottius* cardinalis: [1] qui nimium ſcholaſticæ Peripateticæ amorem in pleriſque Theologis reprehendit: *Bouca-*

[1] Theologia Scholaſtico-Dogmatica juxta Mentem D. Thomæ ad uſum diſcipulorum ejuſdem. *Bononiæ* 1727. 4. *plurimis volum. Vide primi Tomi præfat.* §. 4.

[1] *Boucatus*, & vir clariſſimus, *Joannes Laurentius Bertius*. Quibus addi poſſunt ex Sæculari clero *Honoratus Tournelly*, *Carolus Witaſſe*, ceteri: nec non illi qui epitomas aliquas ediderunt ad uſum Seminariorum, ut *Jueninus*, *Habertus*, *Hermenierius*, &, qui ceteros longe antecellit, *Carolus du Pleſſis*.

Itaque theologi Recentiores ſyſtemata ſua vocant *Poſitivo Scholaſtica* hac de cauſſa, quod dogmata ratione ac via diſputant. Ex Scholaſtica itaque duo ſumunt. Primum ordinem diſputandi: nam primo loco munimenta ſuæ ſententiæ ponunt: tum adverſariorum argu-

---

[1] *Multi ſane, & quidem docte elaborati Theologici Cur-*
,, *ſus apud Noſtrates ſive prelo jam editi, ſive manu exarati, in dies diſcipulorum, & noſtris oculis ſubjiciuntur. Sed quorum non modica pars pure Scholaſticis quæſtionibus, & Metaphyſicis ſubtilitatibus ac tricis plus æquo indulgens, Juvenes pæne jejunos dimittat in veritatibus vere Theologicis, & ſolum ad nauſeam uſque refertos diſputationibus ad Fidei negotium, aut Sacram eruditionem minime conducentibus: adeo ut interrogati de Catholica veritate adverſus Hæreticos, & de controverſiis, quæ a Lutheranis, Calviniſtis, Anabaptiſtis, Socinianis, & id genus hominibus Catholicos ſecernunt, nec controverſiæ ſtatum, ne dicam nomen, exponere norint: ac Theologicam metam adtigiſſe ſibi adulentur, etiamſi quid inter illos, & nos, ſeu quid illos invicem interſit, nec e limine conſpexerint. Verum utinam novum hoc eſſet infortunium! Utinam hoc præcaviſſent, animumque ad ſeria, veroque Theologo digna convertentes, magis, quam Ariſtotelem, Scripturam Sacram, Traditiones, Concilia, Patres conſuluiſſent Theologi quidam, qui cum Luthero negotium ſuſcepere.* Cardinalis Gottius l. c. præfatione.

menta ordine conſcribunt, & ſingula e veſtigio diſſolvunt, non id quidem ſemper ſyllogiſmis, ſed plerumque methodo Dialectica. Deinde paucas adjungunt quæſtiones Theologico-Metaphyſicas, quæ ad dogmata commodius explicanda accommodatæ videntur, idque ſobrie.[1] Quod ſibi perſuadeant, diſputationes ejuſmodi non alio nomine eſſe addiſcendas, niſi quod dogmata inluſtrare poſſunt, & confirmare. [2] Et hæc de Theologia ſuperna.

Nec inmerito Recentiores theologi Poſitivæ theologiæ ſedulo hac ætate dant operam. Tot enim exſtant Hæreticorum ſcripta, qui continenter in noſtros invehuntur, atque argumenta ab aliis Novatoribus excogitata nova ipſi arte, & novis machinis communire conantur; ut e re ſit Catholicæ eccleſiæ tam pernicioſis erroribus occurrere. Et eo magis eſt neceſſarium eos e veſtigio confutare, quod tum novitate ſententiarum, tum exquiſita eruditione, tum peracri illo judicio, quo de rebus aliis judicant, ſemidoctis hominibus ſe commendant. Atque haud ſcio an hæ peſtes, quæ longe lateque ſerpunt, non nullos etiam Theologos rudiores inficiant;

---

[1] „ *In Scholaſticis quæſtionibus, quas pertractare* „ *neceſſe fuerit, eas eligam, quas alicujus utilitatis fore* „ *dignoſcam, ceteras vel omittens, vel calamo ſtrictiori* „ *percurrens*. Gottius l. c. § ultimo.

[2] „ *Theologo quidem in famulatum Philoſophica interdum accerſere S. Thomas non damnat, nec ego im-* „ *probo. Eos ſolum repudio, qui quæſtiones vere Theo-* „ *logicas aut omittunt, aut aliis inutilibus toti va-* „ *cant: aut ſi Theologica tractant, ea non Theologice,* „ *ſed vanis invalidiſque ratiunculis, magnum pondus re-* „ *bus graviſſimis detrahentes, abſolvunt*. Gottius l. c. §. 4.

ficiant: qui cum a bona Philoſophia, & Theologia parati non ſint, fuco illo & calamiſtris tamquam hamo quodam trahuntur, nec latens venenum poſſunt internoſcere. Certe, quod non ſine ingenti animi mœrore commemoro, plurimos apud Catholicas gentes hujus farinæ homines inveniri, viri graviſſimi auctores mihi ſunt: utinam & ipſi interdum non fuiſſemus experti.

Sed bene eſt, quod plurimi viri doctiſſimi pro Catholica doctrina ſtrenue contra Hæreticos pugnarunt, eamque mirifice inluſtrarunt, & illorum machinationes funditus everterunt. Hi ut multi ſunt, ita eos enumerare hoc tempore & operoſum eſſet, & inutile, cum ex Catalogis celebrioribus facile cognoſci poſſint. Ex Italis excellunt Cl. *Gottius* cardinalis, in ſuis de *Eccleſia* libris contra Jacobum Piccininum; *Antonius Venetus* ex Obſervantium Franciſcanorum familia, diſputator acerrimus, in opere cui titulus idem adverſus eumdem Piccininum; & amicus noſter *Ludovicus Antonius Muratorius*, vir clariſſimus, & eruditiſſimus, qui Burnetum pro merito refutavit.

Etiam Naturalis theologia fine ſuperioris ſæculi, & hoc noſtro Recentiorum opera ſuo ſplendori reſtituta eſt, noviſque præſidiis communita. Nam cum Hæretici quidam & plane inpii, ſed a Recentiori philoſophia inſtructi, unum & aliud Naturalis religionis placitum infirmare arroganter ſibi propoſuiſſent; id eſt, tum Dei exiſtentiam vel clarius, vel obſcurius aggrederentur; tum illius proprietates aliquas negaſſent, vel perperam interpretati fuiſſent; quos vel *Atheos*, vel *Deiſtas* nuncupamus; ad hæc deliria profliganda graviſſimi Theologi, & optimis ſtudiis politi animum adjunxerunt: qui elegantiſſimos & omni ex parte abſolutos libros condiderunt, in quibus theologia Naturalis eo ordine, ea perſpicuitate, & argumentorum firmitate expoſita eſt, ut nihil jam videam,

quid amplius deſiderari poſſit. Sed de his jam primo libro aliqua.

Habetis hic, lectiſſimi Adoleſcentes, brevem Theologiæ hiſtoriam ab orbe condito ad noſtra uſque tempora: ex qua facile cognoſcetis, Sacram doctrinam a prima mundi ætate uſque ad Chriſti tempora per quater mille annos, & eo amplius veluti per gradus creviſſe: qua ætate maturitatem ſuam adepta eſt; Chriſto ea omnia tradente, & exponente, quæ ad ſalutem erant neceſſaria. Ab eo tempore eadem Theologia in Eccleſia duravit, & tradita eſt: nec niſi alia & alia ratione explicata fuit, pro varia diſciplina & conſuetudine populorum. Plura addere poſſemus, ex quibus ea, quæ ſtricte percenſuimus, abundantiorem lucem acciperent: ſed hæc præterire conſentaneum propoſito noſtro judicavimus. Et fortaſſe plura ſunt dicta, quam inſtituti ratio poſtulabat. Quare, quæ reliqua ſunt, deinceps quam breviſſime perſequemur.

LIBER SECVNDVS

IN QUO

DE NATURA, ET USU THEOLOGIAE

Caput I.

Docet theologiæ Revelatæ notitiam eſſe neceſſariam omnibus, iis præſertim, qui vel Fideles docere, vel hoſtes religionis Catholicæ confutare ſibi proponunt.

QUONIAM Chriſtiana religio Sacris codicibus utriuſque Teſtamenti præſertim continetur, oportet eos, qui Chriſtiano nomine cenſentur, quid in iis contineatur, cognoſcere; ut ad illa vel præcepta, vel conſilia actiones ſuas conforment. Quanta autem ignoratione laborent plerique omnes Fideles eorum, quæ in Sacris bibliis ſe offerunt; quam rudem & confuſam religionis habeant ideam, qui eorum inſtitutioni vacarunt, viri graviſſimi ſæpiſſime conqueſti ſunt. Atque non modo pueri, non feminæ, non indocti, ſed etiam ſacerdotes ipſi, & qui Theologi nominantur, [1] tan-

[1] „ *Multum falluntur, qui rerum inutilium ſtudiis „ occupantur. Hoc errore non pauci laborant. Quis enim „ ex*

ta interdum in ignoratione Sacrarum litterarum verſantur, etiam apud nationes cultiſſimas, ut credi vix poſſit. [1] Ex quo infiniti errores naſcuntur, quibus & morum perverſitas inducitur, & reipublicæ tum Civilis, tum Eccleſiaſticæ pernicies ac deſtructio.

Quis enim umquam vera pietate ſe munitum putet, niſi principia religionis noſtræ penitus cognoſcat, niſi divinæ legis præſtantiam habeat exploratam? Quis ſacros ritus, quis apparatum Chriſtianæ religionis externum cum veneratione excipiat, cum pietate meditetur, qui illorum interiorem cognitionem adſecutus non fuerit? Contra, quis Catholicam doctrinam recte meditatus eſt, qui non ſentiat ſe ad eam amandam, & prædicandam, vel invitum rapi? Nolo, Adoleſcentes, exiſtimetis, me, dum divinæ legis perſcrutationem, & meditationem ſingulis Fidelibus commendo, velle, ut indocti quique abſolutiſſimi Theologi evadant: quod nec mihi umquam venit in mentem, nec facile ſperari poteſt. Hoc breviter dico, eos, qui nec religionis noſtræ hiſtoriam, nec præcepta recte cognoſcunt, hos, inquam, levi aliqua pietatis notitia tinctos eſſe poſſe: aliquid egregium moliri non poſſe. Hoc ipſum Sacra ſcriptura commendat Fidelibus, eoſque monet, ut in lege Domini ſedulo exerceantur. [2] Quod

---

„ *ex iis, qui ſtudio Theologico per tot annos diſtinentur,*
„ *vanas, ne dicam ineptas, quæſtiones non potius ver-*
„ *ſet animo, aut agitet in ſcholis, quam paſcat mentem*
„ *lectione Scripturarum, quibus ſedulam operam impen-*
„ *diſſe videtur ſibi, cum horis ſubciſivis in unum aut alte-*
„ *rum caput oculos parum attentos conjecerit.* Bernard. Lamy *Præfat. ad Appar. Biblic.*

[1] *Vide Claudium Fleuryum in* Præfat. ad Catechiſmum Hiſtoricum Gallic.

[2] Pſalm. I. 2. Pſalm. CXVIII. 2.

Quod ſi condemnandi ſunt illi, qui vel publicis, vel domeſticis negotiis intenti, de religione perfecte cognoſcenda non cogitant; quid de illis dicemus, qui populis inſtituendis ſunt conſtituti? Certe tanto pernicioſior eorum erit ignorantia; quanta ipſi maiori diligentia alios inſtituere debent rudimentis Catholicæ doctrinæ. Non hic ego, Adoleſcentes, unum, aut alium nomine deſigno, ſed omnes collectim excito, ut & ipſi recte inſtituantur, & ceteros, pro eo ac debent, germana doctrina recte erudiant. Nos ipſi, qui in ſortem Domini vocati ſumus, ac divino miniſterio mancipati, nos maiori diligentia, quam ceteri, hæc præſtare debemus. Noſtrum eſt in Sacras litteras incumbere, ut alios recte erudire ſciamus. Qui ſi nobiſcum reputaremus, quam grave onus ſuſcepimus Eccleſiaſtici muneris, profecto daremus operam, ut legem Domini dies ac noctes meditaremur: noſque non verbo tenus, ſed reapſe doctores & diſpenſatores præſtaremus verbi divini. [1]

Certe Paullus eum, qui velit eſſe Epiſcopus, doctorem eſſe jubet, qui ſcilicet aut *ab infantia ſacras litteras didicerit,* aut *in lege domini die ac nocte meditetur:*[2] *ut potens ſit Fideles exhortare in doctrina ſana, & eos, qui contra dicunt, arguere.* [3] Nihil enim Sacris ſcripturis ad id conſequendum accommodatius reperiri poteſt. [4] Presbyteros autem tales eſſe cupit, qui digne Epiſcopis queant opitulari, & una cum iis adminiſtrare Eccleſiaſticam rempublicam. Quod ſine rerum divinarum notitia efficere quis poteſt? E e 4 Jam

[1] I. Corint. IIII. 1. ad Titum I. 7.

[2] II. Timoth. III. 15.

[3] Ad Titum I. 9.

[4] „ *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt* „ *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad* „ *erudiendum in juſtitia.* Paullus II. Timoth. III. 16.

Jam vero Hæreticos refutare quis umquam ſanus ab omni memoria non dico potuit, ſed ne ſibi quidem in animo propoſuit, qui non interiori, ac vaſtiſſima Sacrarum litterarum cognitione inſtructus eſſet? Teſtes ſunt tot libri Hæreticorum, qui cum ex Scripturarum teſtimoniis contra noſtros pugnent, non niſi iiſdem armis proſterni poſſunt & funditus labefactari. Non illi ex tradita ore tenus doctrina, non ex Conciliorum, non ex Pontificum decretis ſumunt argumenta: ſed ex utriuſque Fœderis libris, ex hiſtoria cum Sacra, tum Profana, ratiocinationes ſuas compingunt. Quos propterea non niſi iiſdem monumentis, eadem argumentandi ratione infirmare poteris & enervare.

Quid Judæi? nonne Veteris teſtamenti auctoritates in eorum libris utramque faciunt paginam? Hos vero quo modo refutare, & redarguere poterimus, niſi ex iiſdem libris, ex quibus ipſi ſumunt argumenta? Quare fixum & ratum ſit, utriuſque Teſtamenti notitiam, eamque non vulgarem, ſed interiorem, & reconditam, Theologo penitus eſſe neceſſariam, ſi non nomine tenus graviſſimæ diſciplinæ doctor, ſed Theologiæ laude cupit eſſe perfectus.

Caput II.

Una tantum eſt Revelata theologia, ſed pro varia methodo tradendi vel Poſitiva, vel Scholaſtica nominatur.

JAM cum Revelata theologia principiis a Deo traditis nitatur, [1] Deus autem non alia & alia dogmata, ſed certa & invariabilia vel voce, vel ſcripto tradiderit Eccleſiæ;

[1] *Theologia Naturalis de Deo, de proprietatibus Divinis, de religione Naturali agit: ubi etiam veritatem*

cleſiæ; conſequens eſt, ex iiſdem fontibus eſſe hauriendum quidquid Theologia nominatur.

Omnino autem duo ſunt fontes, ex quibus revelatio omnis ducitur, *Scriptura, & Traditio*: id eſt, quidquid Deus Eccleſiæ manifeſtavit, id vel ſcriptis continetur, vel voce. Hi rurſum in alios derivantur rivulos, ex quibus Theologus promit argumenta ad dogmata confirmanda: quibus alia addi poſſunt, quæ argumenta ſuppeditant ad refellendos adverſarios. Quare ſi omnes communes locos percenſemus, ex quibus omnis argumentatio invenitur, ſive ad confirmandum, ſive ad refellendum, decem omnino a Theologis numerantur.

I. Auctoritas Sacræ ſcripturæ, quæ libris canonicis continetur. II. Auctoritas traditionum Chriſti, & Apoſtolorum, quæ quoniam ſcripta non ſunt, ſed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectiſſime dixeris. III. Auctoritas eccleſiæ Catholicæ. IIII. Auctoritas Conciliorum præſertim Generalium, in quibus eccleſiæ Catholicæ auctoritas reſidet. V. Auctoritas eccleſiæ Romanæ, quæ divina inmunitate & eſt, & vocatur Apoſtolica. VI. Auctoritas Sanctorum veterum. VII. Auctoritas Theologorum, quibus adjungi poſſunt juris Pontificii interpretes: nam Juris hujus doctrina quaſi ex altera parte Theologiæ reſpondet. VIII. Ratio naturalis, quæ per omnes ſcientias Naturæ lumine inventas latiſſime patet. VIIII. Auctoritas Philoſo-

---

tem Chriſtianæ religionis demonſtrat: id eſt argumenta expendit, quibus movemur ut credamus, religionem noſtram a Deo traditam eſſe: quæ Schola vocat motiva credibilitatis. *Hæc naturæ rationibus omnia conficiuntur. Hoc autem loco de illa Theologia eſt diſputatio, quæ Fidem ſequitur, & divina auctoritate fundatur, ac* Revelata *nuncupatur.*

loſophorum, qui naturam ducem ſequuntur: in quibus ſunt etiam Cæſarei juris Conſulti, qui veram & ipſi Philoſophiam profitentur. X. Humanæ auctoritas hiſtoriæ, ſive per auctores fide dignos ſcriptæ, ſive de gente in gentem traditæ, gravi conſtantique ratione. [1]

Horum quidam proprii Theologorum ſunt, quidam extranei. Proprii ſunt, auctoritas Scripturæ, & Traditionis: ad quos quinque alii referuntur, Auctoritas eccleſiæ Catholicæ, conciliorum Generalium, pontificum Romanorum, omnium SS. Patrum, & omnium Theologorum in una aliqua re ad Fidem ſpectante concorditer, ac perpetuo conſentientium. Ex his enim argumenta Theologorum propria ſumuntur, propterea quia Theologus ex auctoritate ſeu revelata doctrina, uti diximus, potiſſimum argumentatur. Extranei ſunt, Ratio naturalis, auctoritas Philoſophorum, auctoritas Hiſtoricorum. Hæc enim propria Philoſophorum ſunt: iis tamen commode utitur Theologus, cum ei per argumenti naturam uti non licet propriis: velut in refutatione adverſariorum: in expendendis rationibus, quæ nos movent in hanc magis, quam in illam ſententiam: & hujus generis aliis.

Quare cum principia Theologorum propria ſint, Scriptura, & Traditio, quæ in omni Theologiæ parte dominantur; inepte ſentiunt, qui plures Theologiæ diſciplinas prorſus differentes faciunt. Ex his enim principiis una tantum & germana naſcitur diſciplina, una Theologia, quæ divina auctoritate continetur tota. Id ipſum hiſtoria Theologiæ demonſtrat: nam omnibus Eccleſiæ ſæculis ad Scripturam, & Traditionem confugerunt Theologi, vel ut dogmata Catholica in Con-

[1] *Conſule Melchiorem Canum* de Locis Theologicis L. I. c. 3.

Conciliis firmarent definirentque, & a prava doctrina ſecernerent; vel ut Hæreticos labefactarent. Non illi ex aliis, & aliis principiis argumentationes ſuas promebant: ſed ex certis, ex invariabilibus fontibus, ex verbo Dei vel ore tenus Prophetis, & Apoſtolis tradito, vel monumentis mandato, diſciplinam ſuam Theologicam hauſerunt. Una fides eccleſiam Catholicam occupavit: una Theologia, quæ fide Catholica, id eſt, iis decretis, quæ Catholica eccleſia tenet, nititur, & ex his argumentando concluſiones ſuas deducit, omni tempore rexit Fideles.

Verum poſtea quam ab XII. ſæculo nominis Chriſtiani Theologica dogmata in ſcholis novo ordine diſputari cœperunt, alio & alio nomine, pro diverſa ratione tradendi, Theologia, uti diximus, vocata eſt. Nam cum priſci illi Theologi non omnia complecterentur, quæ ad idem argumentum pertinent; nec ea ipſa, quæ perſequebantur, ordine ſcriberent; ſed pro varia occaſione Hæreticos confutandi, dogmata inluſtrarent, libroſque fuſe conderent & copioſe: contra Theologi juniores inmenſam dogmatum multitudinem ad certa capita revocarent, ſtricte preſſeque differerent; adverſariorum autem rationes ordine ponerent, & ſingulas e veſtigio diſſolverent; idque plerumque Syllogiſtica methodo, quæ ratio ac via in ſcholis Philoſophorum vigebat; exſtitit ut Theologia, quod in ſcholis hac methodo traderetur, *Scholaſtica* ſit nominata. Et quamquam progreſſu temporis Scholaſtica theologia, Theologorum vulgarium vitio, in meram Sophiſticen abierit; tamen cum prædicta methodus multum adferat adjumenti ad diſciplinas inluſtrandas, Scholaſticæ vocabulum ſummo ſemper fuit in pretio.

Duplex igitur ab eo tempore Theologiæ diſciplina, &, ut ita dicam, facies exſtitit. Altera Patrum ſcri-

ſcriptis continebatur, vel eorum qui ex iiſdem PP. rationes, & ordinem hauſerant: qui Dogmata exponebant fuſiori ſtilo ac plane Hiſtorico, & eodem modo contrarias rationes infirmabant. Hæc vocata eſt *Poſitiva*, hoc nomine, quod fundamenta ponat, ex quibus Theologi argumenta deſumunt. Altera ſtricte ac breviter id faciebat, idque ſcholarum methodo illa, quam diximus. Hæc eſt *Scholaſtica*, quam graviſſimi viri laudant & extollunt. [1]

Quare ſi rem ipſam conſideramus, & Theologiæ naturam, una tantum eſt Theologia: ſin modum conſideramus, quo illa vel ad Veterum diſputandi formam exigitur, vel Recentiorum ritu explicatur; duplex profecto eſt, Poſitiva, & Scholaſtica. Quæ duæ modo tradendi variant, re ipſa conſentiunt.

Ne ergo exiſtimetis, Adoleſcentes, Theologos noſtros hiſce nominibus diverſas reapſe diſciplinas ſignificare: ſed diverſam diſputandi, explicandique viam. Quod quia non nulli non advertunt, miras ineptias fundunt, albumque ab atro ſecernere nequeunt. Neque vero id ſolum, ſed etiam aliis & aliis nominibus tum Poſitiva, tum Scholaſtica diſputandi ratio ſignificari ſolet, ut

---

[1] „ Scholaſtica *vero ſic hodie dicta, quod in ſcholis* „ *tradatur, atque diſcatur, eadem eſt in re, idemque* „ *præſtat ac* Poſitiva, *diverſo tamen modo, ab Scholæ* „ *magiſtris ſucceſſu temporis inducto, maiori videlicet* „ *cum methodo, hoc eſt, accuratius, ſubtilius, & ad* „ *artis Syllogiſticæ regulas acommodatius: ſuaſque concluſiones interdum, & per accidens, extraneis confirmans* „ *& illuſtrans argumentis: ut ſic facilius iis, qui de foris ſunt, Catholicam perſuadeant fidem: & omni poſcenti de ea, quæ in nobis eſt, fide, rationem reddat.* Annatus *Apparatus ad Poſitivam Theolog. Tom. I. art.* 1.

ut alio loco demonſtravimus . Nam ſi ſenſum Sacrorum codicum unaquæque inveſtigat , vocatur theologia *Hermeneutica* , ſeu *Interpretativa* . Sin hoſtes religionis Catholicæ confutandos ſibi ſumit , vocatur *Polemica* , quaſi dicas *bellatrix* . Sin ea perſequitur , ex quibus morum inſtitutio ſumitur , nominatur *Moralis* . Poſtremo ſi viam ſternit , ut in virtute magis magiſque proficiamus , & adfectus noſtros ad Deum amandum referamus , *Aſcetica* nuncupatur .

Non quod alia , & alia ſint principia , alius & alius finis earum ; nam omnes argumenta ſua ex Sacris libris deſumunt , & etiam ex ratione naturæ , ubi locus eſt : omnes ad Deum tamquam finem referuntur : [1] ſed quod alia , & alia ratione Sacra doctrina exponatur : ex quo multiplex illa naſcitur diſciplina explicandi ratione dumtaxat diverſa . Itaque quemadmodum qui in ſtatuam aliquam oculos convertens , primum e regione , tum a latere , tum a tergo , alio & alio ſitu & poſitione , videt ille quidem ſemper eamdem ſtatuam , ſed alio & alio modo , ita ut diverſas quaſi figuras adſpiciat : Ita qui Theologiæ doctrinam alia & alia methodo tractatam animadvertit , diverſas quaſi diſciplinas videre ſibi perſuadet : cum tamen reapſe ſit una ; quæ , ſi rem fuſe perſequitur , *Poſitiva* : ſin autem preſſe , *Scholaſtica* nominatur . [2]

Ca-

[1] *Ex principiis iiſdem , atque eodem fine* , *identitatem ſcientiæ deſumi , vulgatum eſt apud Peripateticos.*

[2] Libro ſuper. c. 8.

Caput III.

Oſtenditur germanam Scholaſticam longe diſtare ab argutiis Peripateticorum.

HAEC fuit germana Scholaſticæ theologiæ notio, cum illa novo conſilio XII. ſæculo in ſcholis Pariſienſibus publice tradi cœpit. Quod ſcripta Petri Lombardi, quem Scholaſtici omnes quaſi parentem & conditorem ſuum venerantur, declarant. Cum enim Lombardus ea ætate aliquid melius, quam Abælardus, & Porretanus, aliique fecerant, lucubrare, & edere ſibi propoſuiſſet juventutis commoditati; nihil aliud fecit, quam Patrum ſententias ad certa capita revocare, eaſque ordine certo explicare atque via: tametſi interdum aliquid ſubtile & Metaphyſicum, ut tempori ſerviret, adhiberet. Quare, qui poſt fuere, graviſſimi Theologi, dum Scholaſticam theologiam laudarunt, hoc laudarunt, Dogmata ordine ac via diſputata, quod Magiſter fecerat. Nam cum Scholaſtici pluſquam tercentum [1] iique nobiles ac graves, per tria ſæcula ad finem uſque ſæculi XV. Lombardum commentariis ſuis expoſuerint, *Magiſtrumque* vocarint, & habuerint; perſpicuum eſt, talem per id tempus opinionem inveteraſſe, Scholaſticæ germanam ideam ex Lombardi libris ſumi debere. Quod ipſum concilium Oecumenicum Lateranenſe IIII. anno cIↃCCXV. coactum probavit: in quo [2] Lombardi ratio ſcribendi atque methodus vehementer laudata fuit.

Quamquam vero hæc ita ſe habuerint, tamen Scho-

[1] *Vide Bulæum* Hiſt. Univerſ. Pariſienſ. Tom. II. in Catalog. Academic.

[2] Can. 2.

Scholaſtica docendi ratio vel a prima ſui ætate, quorumdam vitio depravata eſt, uti antea demonſtravimus. [1] Nam cum plerique Theologi Peripateticæ principiis occupati, Arabicam illam philoſophandi ſubtilitatem, quæ ſub idem tempus obtinuerat, [2] ad Theologiam adhiberent; ut ſunt homines novarum rerum cupidi, uſque adeo ea delectati ſunt, ut relicta pæne Dogmatica theologia, in quæſtionibus nullius momenti explicandis, quas ex Sacris dogmatibus ducebant, induſtriam omnem ſuam poſuerunt: dogmata vero vix adtigerunt: [3] quod ex ſæculi more putaſſent, ſubtilibus quæſtionibus diſputandis ingenii laudem præcipuam contineri.

Hinc duplex nata eſt Scholaſticæ theologiæ diſciplina: quarum altera dogmata tradebat, addens non nihil ex humanis diſciplinis: quamque *Germanam ſcholaſticam* vocare ſolent. Altera quæſtionibus acutis excogitandis diſputandiſque detinebatur: quæ ipſa *Scholaſtica Peripatetica,* ne ex ambiguo diſputemus, nominari debet.

Quæ duo qui non animadvertit, alteramque ab altera Scholaſticam non ſejungit, numquam in concordiam revocabit Theologorum graviſſimorum, & Conciliorum loca, in quibus Scholaſticos aliquando laudant, aliquando vituperant vehementer: [4] immo ne ipſa quidem loca plane percipiet. Nempe cum eodem pæne tem-

[1] *Libro ſuper. c.8.*

[2] *Conſule quæ diximus Lib. ſup. c. 8.*

[3] *Confer, quæ Libro ſuperiori cap.8. adduximus teſtimonia Stephani Tornacenſis epiſcopi, & Alexandri III. Pont. Max. qui duo hæc vitia in Scholaſticis illius temporis graviſſimis verbis reprehendunt.*

[4] *Conſule quæ Libro ſuperiori c. 8. dedimus Theologorum loca, in quibus abuſum Dialecticæ in Theologia condemnant.*

tempore & Methodica theologia, ſeu germana Scholaſtica, & Peripatetica orta ſit, ac propagata; Theologi autem graviſſimi iſtam eo nomine reprobarint, quod ex ea inſignes errores profectos eſſe cognoſcerent; [1] occaſio ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inperitis, ut, vocum ſimilitudine decepti, talia interdum obtrudant, quæ ſine riſu audiri nequeunt. Quare operæ pretium eſt penitus cognoſcere, quid utraque diſciplina ſit, quantumque inter Peripateticam, & germanam Scholaſticam interſit; ne aut judicando fallamur ipſi, aut alios inprudenter decipiamus.

Jam vero ſi rem a principio ducere, atque germanæ Scholaſticæ ætatem venari conamur, ejus vel primis Eccleſiæ ſæculis adumbratam imaginem inveniemus. Cum enim vera Scholaſtica nihil aliud ſit niſi Sacra doctrina ordine pertractata, atque humanis diſciplinis utens ad dogmatum inluſtrationem, defenſionemque; [2] cumque priſci illi ac ſanctiſſimi Theologi cum Infidelibus, & Hæreticis diſputantes, hæc patraſſent; conficitur Scholaſticæ vel a primis ſæculis vim quamdam obtinuiſſe. Quis enim legens Clementis Alexandrini, Origenis Adamantii, Euſebii Cæſarienſis, Arnobii, Lactantii ſcripta aliqua: quis Auguſtini Hipponenſis libros *de Civitate Dei*, Joannis Damaſceni *de Fide Orthodoxa*, ceterorum-

---

[1] *Vide quæ diximus Libro ſuperiori. c.8.*

[2] *Theologiæ Scholaſticæ triplex ſecundum Melchiorem Canum munus eſt. Primum eſt, ex rebus a Deo revelatis vel ſcripto, vel voce, concluſiones in iis latentes elicere, & in aprico ponere. Alterum, Chriſti & Eccleſiæ doctrinam humanis diſciplinis inluſtrare, aut etiam confirmare. Tertium, Fidem noſtram adverſus Hæreticos, ceteroſque adverſarios defendere. Conſule eumdem de* Locis Theologic. L. VIII. c.2.

rorumque commentaria, non animadvertat, graviſſimos Theologos non ſolum dogmata diſputaſſe, eaque ordine, ut iis temporibus, diſpoſuiſſe; ſed etiam confirmaſſe humana Philoſophia, ubi locus erat: atque ex ea adverſarios perfregiſſe. Itaque dubitare nullo modo poſſumus, veram Scholaſticam aliquam omnibus Eccleſiæ ſæculis obtinuiſſe.

Sed talis Scholaſticæ acceptio latiſſime patet, & etiam theologiam *Poſitivam* comprehendit. Nam *Poſitiva* theologia non in nuda dogmatum narratione ac expoſitione, ut indocti plerique putant, conſiſtit; ſed aliqua addit, quæ ad diſciplinam rationalem pertinent. Etenim nuda narratio rerum eſt hiſtoria dogmatum, non vero theologia Poſitiva: ad ſummum catecheſis aliqua dici poteſt. [1] Theologia enim eſt diſciplina, quæ & principia divinitus tradita ponit, & ex iis, quid conſequens, quid repugnans ſit, argumentando concludit. Quare & hiſtoriam dogmatum complectitur, & ea addit, ex quibus diſciplina rationalis componitur.

Quemadmodum itaque hiſtoria Naturalis eſt illa quidem fundamentum Phyſicæ, ſeu principia ſuppeditat, ex quibus Phyſica diſciplina argumentando concluſiones ſuas deducit, & rerum naturalium tradit explicationem; Phyſica tamen nude ac ſimpliciter dici nequit: Ita hiſtoria, vel nuda expoſitio dogmatum, ſine ulla argumentatione, non illa quidem theologia Poſitiva, ſed fundamentum, &, ut ita dicam, baſis Theologiæ dici debet: quatenus revelata decreta percenſens, fundamenta ponit, in quibus Poſitiva theologia nititur.

[1] *Nuda dogmatum expoſitio, etſi ordine ac via conſcripta*, catecheſis *eſt, quæ catecheſes eo conſilio conduntur, ut Fideles inſtituantur. Quare ejuſmodi enarratio non niſi in* catecheſibus *nunc temporis ſe offert.*

Et certe quidem ſi Patrum ſcripta, in quibus theologia Poſitiva præcipue continetur, pervolutamus, reperiemus eos non dogmata mere exponere, ut catechiſtæ noſtri faciunt; ſed omni argumentorum genere ex Scripturis, & Traditione ſumtorum confirmare: tum etiam ex ratione naturæ, ubi neceſſe eſt, pugnare contra Infideles: atque ex vera Dialectica contraria argumenta infirmare.

Exemplo rem inluſtrabimus. Qui credit Deum eſſe unam naturam, & tres perſonas, is quidem Fidem habet, quod auctoritate Dei dicentis nititur: non Theologiam, propterea quia ex revelatis nihil deducit. Qui vero declarat, *Trinitatem* eſſe unam naturam, & tres perſonas, Catholicum dogma tantum exponit. Quod ſi rem minutatim perſequitur, ac enarrat, quo tempore hoc decretum in ſuo lumine poſitum ſit, quaque de cauſſa in concilio Nicæno, aliiſque confirmatum & declaratum; is hiſtoriam dogmatis texit: ſed nondum hic Theologiæ veſtigium.

Contra, qui ex Scripturis, in quibus hoc myſterium non tam diſerte tradebatur, perpetua traditione ab Chriſto deducta, aliud ex alio colligendo, oſtendit, Deum eſſe unam naturam, & tres perſonas reapſe diſtinctas; item quædam prædicata perſonis, quædam naturæ tantum convenire; hic quidem theologiam Poſitivam profitetur: nam & principia a Deo manifeſtata ponit, & inde eas concluſiones per argumentationem deducit, quæ in illis vere continebantur.

Ex his autem duo manifeſte inferuntur: Alterum, Poſitivam theologiam, quæ ſingulis Eccleſiæ ſæculis obtinuit, non in mera dogmatum hiſtoria, & expoſitione conſiſtere; ſed reapſe eſſe diſciplinam per argumentationem adquiſitam, ſeu, ut Schola vocat, *Scientiam*.

Alte-

Alterum, eamdem Poſitivam lata ſignificatione appellari poſſe *Scholaſticam*, ſtricta non poſſe.

Quod ſi *Scholaſticæ* vocabulum preſſe ac ſtricte accipimus, pro facultate, quæ & dogmata omnia complectitur, & ea ordine ponit, explanat, confirmat humanis diſciplinis, idque Scholæ ritu; non niſi ſæculo XII. nata videtur, uti ſuo loco demonſtravimus. Nam tametſi Patres, qui ante prædictum ſæculum ſcripſerunt, dogmata quædam ordine exponerent, confirmarentque ſæcularibus diſciplinis; tamen cum fere omnes non ad otium conſumendum, ſed ad Hæreticos profligandos, ſcriberent; non ea ratione tradidere Theologiam, qua ſæculo XII. tradita eſt. Quare ſi Origenem excipias, ſcriptorem III. ſæculi, & Damaſcenum ſæculi VIII. qui dogmata ad ordinem aliquem revocarunt; nullum reperiemus, qui Theologicæ doctrinæ corpus perfectum reliquerit. Quamquam hi duo inpolitas epitomas & rudes lucubrarunt.

At ſæculo XII. Theologiæ epitomæ aliquot conditæ ſunt multo illis antiquioribus accuratius: ut illa erat Lombardi, Pulli, aliorumque, in quibus dogmata omnia faciliori ordine ſcripta ſunt, rationibuſque confirmata: tum contrariæ rationes plane ac perſpicue diluuntur, non id quidem fuſe ac oratorie, ſed ſtricte ac preſſe, atque ad artis Syllogiſticæ regulas accommodate. [1] Hæc germana fuit Scholaſtica, quæ progreſſu temporis præſertim a tempore concilii Tridentini perfectionem ſuam adepta eſt, magno Catholicæ reipublicæ commodo.

Quare [ut rem iſtam omnem iterum ſub uno adſpectu ponamus] ſi germanam *Scholaſticam* cum *Poſitiva*

[1] *Lege, quæ ſcripta reliquimus Libro ſuperiori capite 8.*

tiva conferimus, non niſi modo tradendi differunt. Illa preſſe id facit, hæc fuſius. Eadem tamen principia, iidem fontes, idem ſcopus, eadem partitio eſt utriuſque: tum demum ex utraque eædem concluſiones per ratiocinationem inferuntur. Ex quo efficitur, utramque reapſe conſentire, modo vero, & *accidentaliter*, uti vocant Scholaſtici, differre inter ſe.

Quod ſi germanam iſtam *Scholaſticam* cum *ſcholaſtica Peripatetica* comparamus, toto cælo inter ſe differre nullo negotio intelligemus. Quod vel ipſa aliorum cum aliis Scholaſticis comparatio ſine ullis argumentationibus facit manifeſtum. Nam ſi *Summam* Lombardi cum iis, qui eum expoſuerunt, conferimus, reperiemus longo intervallo diſtare. Ille enim ſententias Patrum ordine ponit, & argumentis confirmat: temperans ſibi, quantum per conſuetudinem poterat, a vocabulis Dialecticis, ac Metaphyſicis, & rationibus Philoſophicis. Contra hi Dogmata, Patrumque ſententias vix aut nullo modo exponunt, vel in tranſcurſu tangunt: ac in quæſtionibus Dialecticis, & Metaphyſicis diſputandis intelligentiam ſuam ponunt, ac ingenium oſtentant; idque tam libere ac copioſe, ut Dialecticam, & Metaphyſicam diceres, non Theologiam.

Nempe Lombardi interpretes fere omnes cum ſibi perſuaderent, ſe ſe, niſi ſinus omnes & oras quæſtionum perveſtigarent, & aliquid novum & inauditum effunderent, interpretis officio non defungi; non hoc ſibi propoſuerunt, ut ſcriptoris, quem ſibi ſumſerant explanandum, ſententiam plane exponerent, ac inluſtrarent, reſectis inutilibus rebus, quæ ad propoſitum non faciunt; quod erat boni interpretis: Illud curarunt, ut ingenium ſuum oſtentarent, excogitandis novis & ſubtilibus quæſtiunculis in argumento ſacro, quas more Dialecticorum expediebant. Cumque diſputatio-

num

num, atque acuminum modus nullus eſſet; is autem præcipue prædicaretur, qui nova fundere ac ſubtilia in re Theologica poſſet; exſtitit, ut relictis utilibus & neceſſariis diſputationibus, quæ dogmata declararent, quaſque germani Scholaſtici perſequebantur; in rebus nullius momenti otium Theologi iſti adſcripticii conſumſerint. Ex quo commentaria illa vaſtiſſima nata ſunt, quam ſcholaſticam *Peripateticam* nominant; uti ſuperiori libro ſuſius demonſtravimus.

Parum hæc eſſent, ſi hic conſiſteret eorum ſtudium: verum ulterius progreſſi, commentaria ipſa novis commentariis explanare in animo propoſuerunt. Nam cum B. Thomas Aquinas circiter medium XIII. ſæculum, ut aliquam medicinam adferret tanto malo, [1] non modo Lombardi libros ſapientiſſime explicaret, verum etiam *Summam Theologicam* conſcriberet, atque ederet, in qua mediam quamdam viam inſiſtens, non meram theologiam Methodicam tractavit, ſed aliqua etiam addidit ex ſcholaſtica illa *Peripatetica*, quæ dominabatur; ut ſi qua eſſet alios aliis conciliandi via tentaret; Theologi tamen, qui poſt fuere, non intelligentes nec perpendentes tanti viri ſapiens conſilium, tam vaſtæ molis commentarios in eum ediderunt, ut ferri vix poſſint. Quæque ſanctiſſimus Thomas non niſi

 ut

[1] „ *Conſideravimus hujus doctrinæ* [Theologiæ] „ *novitios in his, quæ a diverſis conſcripta ſunt, plurimum impediri. Partim quidem propter multiplicationem inutilium quæſtionum, articulorum, & argumentorum .... Hæc igitur & alia hujuſmodi evitare ſtudentes, tentabimus cum confidentia divini auxilii, ea, quæ ad Sacram doctrinam pertinent, breviter, & dilucide exponere.* B. Thomas Aquinas *Proleg. in Prim. Partem Summæ Theologicæ*.

ut tempori ſerviret, & veluti coactus fecerat, ut aliquid ſubtile & Philoſophicum adhiberet Theologicis decretis; ea illi tamquam ſibi præcepta accipientes, ex una quæſtione tot alias deduxerunt inanes & non neceſſarias, eaſque tam fuſe ſubtiliterque perſecuti ſunt, ut qui cum iis Beatiſſimi Thomæ *Summam* conferat, Scholaſticum eum eſſe non putet. In iis enim methodus illa Scholaſtica, quæ in Lombardo, & Thoma laudata fuerat, quæque dogmata breviter exponebat & certo ordine, omnino deſideratur. Rara enim dogmata ab iis tractantur & explicantur: ſed incredibili acumine ac ſubtilitate innumeræ quæſtiunculæ diſputantur ſine ullo fine. Ex quo infinita quæſtiuncularum Philoſophicarum ſeges, quæ ſcholaſticam iſtam *Peripateticam* conſtituit.

Hoc ipſum a XIIII. ſæculo magis magiſque inveteravit, poſteaquam Durandus, & Occamus, Scholaſticorum coryphæi, auctores fuere ceteris, ut ſine ullo duce philoſopharentur, & nova ac ingenioſa ſyſtemata excogitarent, quo facilius ingenii & acuminis laudem conſequerentur. Quare mirandum non eſt, ſi Theologi nimis multi, qui per ea ſæcula floruerunt, talia ſcripta reliquerunt, quæ germanæ Theologiæ amplificandæ nullo modo idonea videbantur. Cum enim magis magiſque a mente Lombardi, Bonaventuræ, & Thomæ declinarent; nec ſecum reputarent, graviſſimos illos Theologos non aliqua ſubtilia admiſcuiſſe, ut ea ſine ullo fine amplificarent; ſed ut iis ſcite uterentur, & pedetentim, inanibus omiſſis, Theologiam ad Veterum exemplar exigerent; veramque, & Methodicam theologiam illam inſtaurarent, ac diligentiſſime diſputarent, in qua reipublicæ Chriſtianæ ſalus ac defenſio continetur; ea, inquam, cum non animadverterent, fieri non potuit quin tales diſputationes lucubrarent, quæ ad finem, quem ſibi proponere debent Theologi, nullo modo accommodata

data eſſe, ipſi graviſſimi Scholaſtici, qui regnante acumine Scholaſticorum floruerunt, ſine ulla ambiguitate teſtati ſunt. [1]

Cum igitur ex teſtimonio graviſſimorum Scholaſticorum, qui non modo prædictis ſæculis, verum etiam XVI. ſæculo [2] doctrina ac prudentia valuerunt, conſtet, ſcholaſticos Peripateticos aliam viam inſtitiſſe, ac illa erat, quam germani Scholaſtici ſequebantur; conſequens fit, ſcolaſticam illam Peripateticam, quæ ſubtilibus & inanibus quæſtionibus ex Ariſtotelis philoſophia ſumtis potiſſimum conſtat, longe diſtare a vera ac utiliori Scholaſtica.

Caput IIII.

Docet germanam Scholaſticam eſſe neceſſariam ad Judæos, & Hæreticos confutandos.

JAM vero bonam, & ſinceram Scholaſticam non modo accommodatam, verum etiam neceſſariam eſſe ad Judæorum, ac Hæreticorum inpudentiam perfringendam, eorumque errores patefaciendos, & infirmandos, nemo in Catholicorum theologorum ſcriptis vel mediocriter verſatus dubitare poteſt. Hoc ipſum nobis Theologi doctoris munus perſuadere videtur. Etenim Theologiæ doctor eſt, qui germanam Chriſti doctrinam penitus cognoſcit; adeo ut & filios Eccleſiæ docere, & inimicos ac hoſtes arguere poſſit, & confutare. [3] Cum enim pluri-

[1] *Veluti Gerſo, Clemangis, aliique Theologi XV. ſæculi, uti proximo libro oſtendimus.*

[2] *Horum loca protulimus Libro ſuperiori c. 8.*

[3] „ *Oportet Epiſcopum amplecti eum, qui ſecundum*
„ *do-*

mi ſint, qui noxias opiniones divulgant, eaſque in Eccleſiam inducunt, magno cum tironum damno; [1] nempe Infideles, Judæi, Hæretici; oportet eum, cui demandata eſt provincia Fideles inſtituendi, ac defendendi, iis inſtructum eſſe præſidiis, quibus hoſtibus & malis & eruditiſſimis cum operæ pretio ac dignitate reſiſtere poſſit. [2]

Hæc autem ſine Scholaſtica vera & bona Theologus præſtare nullo modo poteſt. Nam cum Hæretici, ac Judæi non meram Scripturarum auctoritatem nobis opponant; ſed omni argumentorum genere perſuadere nobis conentur, prædicta Scripturæ loca non alio intellectu accipi debere; tum demum argumenta noſtra ordine ponant, & ſecundum Dialecticæ leges, uti ſibi videntur,

---

„ *doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Paullus ad Titum I. v. 7. 9. ad Timotheum III. 2. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti .... ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Paullus Epheſ. IIII. v. 11.

[1] „ *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores ... quos oportet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes, quæ non oportet.* Ibidem v. 10. 11.

[2] „ *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.* I. Petri III. v. 15.

tur, diſſolvant; planum fit, eum, qui iis pro argumenti dignitate reſpondere cupit, & certa Scripturarum loca adducere debere, quod ad Poſitivam pertinet; & ex bonæ Dialecticæ regulis contraria argumenta infirmare, quod Scholaſticæ munus eſt.

Quare Poſitiva ſilvam & materiam; Scholaſtica vero formam, colligationem, firmitatem; id eſt, ſcientiam diſputandi ſuppeditat: & ex utraque Theologia illa conſtat, quam bonam Scholaſticam nuncupamus: quæque a graviſſimis Theologis alio nomine *Poſitivo-Scholaſtica* non incommode appellatur. Atque quemadmodum ferrum, licet materia cædendis lignis apta ſit, tamen niſi certo modo conformatum, & tractatum, id non præſtat: idem vero ſi rectam formam habeat, & apte ſcienterque tractetur, cuncta facillime dividit; ita revelata doctrina, id eſt, Scripturæ, & Traditionis teſtimonia, ſunt illa quidem idonea ad Hæreticorum proterviam confringendam, ſi ordine ac via ponantur, inluſtrentur, *dextere* ſcienterque adhibeantur: atque hoc modo tractata tantum habent momenti, ut iis reſiſtere adverſarii nullo modo poſſint. Sin autem hæc ars deficit, nihil efficiunt: non ſecus ac gladius acutiſſimus in manu infantis. Sed hæc dilucidemus oportet tironum gratia.

Et certe quidem Theologiam aliquam eſſe neceſſariam ad Hæreticos refutandos, nemini dubium eſſe poteſt, qui modo, quid ſit Theologia, quid Hæreticorum errores, penitus cognoſcit. Quænam vero ea ſit, diſſenſio eſt, an Poſitiva tantum, an vero Sholaſtica ſufficiat. Sed nihil facilius expediri poteſt, ſi vocabula recte percipiantur. Nam cum theologia Poſitiva arma ſuppeditet, quibus adverſum Hæreticos pugnamus; Scholaſtica vero rationem bellandi tradat; perſpicuum fit neutram ſine altera ſufficere: ſed utramque Theologo eſſe neceſſariam, & Poſitivam, & Scholaſticam. Ut enim

arma

arma militi non ſufficiunt ad ſe defendendum, ceteroſque aggrediendos, niſi peritia certantis accedat, ita Theologus, qui non niſi doctrinam revelatam adfert, peritiaque argumentandi eſt deſtitutus, ſæpe ad primum cadet hoſtis aggreſſum. Propterea utraque valeat oportet, ſi cum adverſariis bellum agere ſtrenue feliciterque conatur.

Non igitur abſque ratiocinandi diſciplina poteſt Theologus, ut ut Scripturarum auctoritate munitus, cum adverſariis noſtris diſputare: multo minus eos oppugnare & perfringere. Quod qui negant, ii certe, quid mentis habeant, intelligere non poſſum. Qui enim a Theologo rationem adimunt, artemque diſputandi, ii quidem nedum Theologum tollunt, ſed ne hominem quidem relinquunt: belluam faciunt, aut truncum, aut quidvis hujuſmodi.

At, inquies, naturæ ratio, quæ homini congenita eſt, ſi Theologicis decretis adhibeatur, ſatis eſt ut hoſtium conatus retundamus. Id nos conſtantiſſime pernegamus. Quamvis enim homo nulla artis diſputandi notitia tinctus, interdum caſu, ut ita dicam, recte ratiocinetur, & adverſarii ſui argumentis occurrat; tamen ſi ei cum adverſario & docto, & exercitato res erit, vix, aut nullo modo ab illius laqueis ſe expediet. Quod ipſum eodem exemplo, quo ſupra uſi ſumus, inluſtrari poteſt. Nam tametſi homo viribus pollens, ſed peritia bellandi certandique deſtitutus, cum adverſario & celeri, & parato contendens, nonnumquam illius aggreſſiones feliciter repellat; tamen id non niſi caſu rariſſimeque accidere poſſe, dubitabit nemo, qui vera certamina conſpexerit. Alter enim, tametſi viribus non adeo pollens, celeritate, atque exercitatione ſua fortiorem vincit, atque occidit plerumque. Non aliter de Theologo inexercitato judicare debemus, qui ſi quando cum altero, ab arte diſputandi

ſputandi parato, in agonem deſcenderit, non eum quidem conficere, ſed ab eo plurimis modis ſuperari poteſt, & debet. Quo enim modo ab illa ſophiſmatum multitudine, ab intricatiſſimis laqueis argumentorum ſe extricabit Theologus, qui artem contendendi, atque ſophiſmata internoſcendi, vitandique exploratam non habuerit? Id ego profecto non video. Ex quo conſequitur, artem ratiocinandi Theologo uſque adeo eſſe neceſſariam, ut, niſi ea valeat, non modo ab omni dimicatione removendus ſit, ſed etiam a convictu litteratorum.

Hanc autem diſputandi rationem nos germanam Scholaſticam nuncupamus: quæ, præter argumenta ex doctrina revelata deſumta, unum adfert, artem recte ratiocinandi. Artem ratiocinandi cum dico, non eam Dialecticæ partem ſignifico tantum, quæ in diſputatione cum adverſariis verſatur: ſed eam etiam, quæ verum invenire docet, & aliis explanare: id eſt, Dialecticam illam, de qua prima parte [1] mentionem fecimus. Non enim germana Scholaſtica aliud addit Theologicis decretis, quam artem recte cogitandi, & diſputandi. Nam tametſi Theologus interdum argumentatione naturali ea confirmet, quæ naturæ ratione continentur; ut Deum exſtare, ceteraque generis ejuſmodi; tamen hoc non Theologiæ proprium, ſed extraneum eſt: nec niſi in diſputatione cum Infidelibus locum habet. [2] Theologus ſiquidem eaſdem veritates ex Sacris litteris, tamquam ex propriis locis, probare poteſt, & vero debet, ſi cum iis, qui Sacros codices amplexantur, contendat. Quare cum bonus Theologus is ſit, qui & arma in promtu habet, & artem ea tractandi penitus cognoſcit; cumque theologia

[1] *L. II. c. 4. & 6.*

[2] *Vide quæ diximus cap. 2.*

gia Poſitiva arma ſuppeditet, Dialectica vero artem; ſit conſequens, germanam Scholaſticam ex Revelata doctrina, & bona Dialectica conſtare: & ex utraque validiſſimam diſciplinam parari contra hoſtium aggreſſiones.

Sed tamdem aliquando contrahamus vela, & rem totam in pauca tironum gratia conferamus. Triplex, ex Apoſtoli ſententia, Theologi munus eſt: primum, doctrinam Chriſti penitus cognoſcere: alterum, eadem pueros inſtituere: tertium, repugnantes confutare. Ad id vero efficiendum, & interior Scripturarum notitia, & ſelecta Dialectica eſt neceſſaria. Nam primum nullo modo Theologus veram doctrinam Chriſti a falſa aliorum ſecernere poterit, niſi bona Dialectica inſtructus ſit, quæ artem inveniendi verum cum certum, tum probabile; artemque Hermeneuticam, id eſt interpretandi libros, luculenter exponit. Deinde, nullo pacto Fideles inſtituere cum operæ pretio poterit, niſi in ea parte Dialecticæ, quæ docet verum tradere, & cum aliis communicare, verſatus ſit. Poſtremo, fieri non poteſt, ut ceteros, qui repugnant, confutet, niſi diſputandi artem plane cognitam & exploratam habuerit. Quare qui Theologicum munus cum dignitate adimplere cupit, hunc & interiori Scripturarum notitia, & bona Dialectica inſtructum eſſe neceſſe eſt. Id ipſum Veteres epiſcopi multo ante monuerunt; qui Logicam ad Sacras litteras exponendas, [1] Fideleſque inſtituendos & confirmandos, adverſarios autem funditus labefactandos, neceſſariam eſſe, diſertis verbis teſtati ſunt. [2]

Ne-

---

[1] „ *Scientia, qua fides ſaluberrima, quæ ad veram* „ *beatitatem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, ro-* „ *boratur*. Auguſt. L. XIV. *de Trinit. c.* 1. *n.* 3.

[2] „ *Sepimentum eſt Dialectica, ut ne a Sophiſtis ve-* „ *ritas*

Neque tamen nego, Phyſicam, & Aethicam interdum eſſe accommodatam vel ad Sacras litteras clarius faciliuſque exponendas, vel ad inpios refutandos, vel denique ut eos ad fidem noſtram quodammodo alliciamus. Hoc dico, reliquas Philoſophiæ partes, Hiſtoriam itidem, Geographiam, Chronologiam, ceteraſque humanas diſciplinas commode adhiberi ad aliqua inluſtranda; ſi cum iis ſermo erit, qui, relicta Scriptura, & Traditione, hujuſmodi rebus detinentur, uti ſupra adnotavimus: Logicam vero in omni Theologiæ parte ita eſſe neceſſariam, ut, niſi ea arte paratus, ad Hæreticos profligandos Theologus nullus aptus ſit. [1] Quæ cum ex iis, quæ

„ *ritas conculcetur*. Clem. Alex. L. VI. Stromat. *Adde* „ *Greg. Nazianz.* Orat. XX. ubi Baſilium laudat.

„ *Dialectica inſtar muri eſt dogmatibus, quod ea* „ *non ſinit facile diripi, & quorumlibet incurſioni pate-* „ *re*. Baſilius in Cap. I. Iſaiæ. *Fidem non nudam Apo-* „ *ſtolus atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis po-* „ *tiſſima ad ſalutem ſit, tamen niſi per doctrinam inſtrua-* „ *tur, habebit quidem inter adverſa tutum refugiendi re-* „ *ceſſum.... Contundendæ ſunt ergo inſolentes adverſus* „ *Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium* „ *munimenta*. Hilar. *de Trin. L. XII.*

„ *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtio-* „ *num, quæ in Sacris litteris ſunt, penetranda & diſ-* „ *ſolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda eſt li-* „ *bido rixandi, & juvenilis quædam oſtentatio decipien-* „ *di adverſarium*. Auguſt. *de Doctrina Chriſt. L. II. c. 31. & L. I Contra Creſcon. Gram. c. 13. ſeq.*

[1] *Contrarii alii aliis hoc loco videntur Veteres epiſcopi, ac doctores. Nam Tertullianus* de Anima c. 1. & 3. & 18. & L. de Præſcriptionibus c. 7. *Gregorius Nyſſe-nus*

quæ largius diximus, aperte deducantur, ea plurimis verbis confirmare neceſſarium non eſt.

Concludamus igitur, germanam Scholaſticam Theologo noſtro eſſe perneceſſariam: eam, inquam, Scholaſticam, quæ ex Scriptura, & Traditione argumentatur, idque ſecundum leges bonæ Dialecticæ: quæque Naturali philoſophia utitur interdum ut alliciat Infideles: ac demum quæ ordine atque via, non id quidem fuſe, ſed preſſiori ſtilo ſingula perſequitur, ut ſic facilius in animum audientis inlabantur. Hæc illa eſt Scholaſtica,

---

nus Contra Eunomium L. II. *Nazianzenus* Orat. 26. *Ambroſius* de Fide L. I. c. 3. *Leo Magnus* Serm. V. de Nativit. *Hilarius* de Trinit. L. XII. *alii Philoſophiam, præſertim Dialecticam, in Theologis reprobare videntur. E contrario alii, ut Juſtinus, Lucianus, Origenes, Didymus, Athanaſius, Gregorius Thaumaturgus, Damaſcenus, aliique plurimi, eam mirificis laudibus extollunt. Sed utrique nullo negotio in concordiam revocabuntur, ſi animadverterimus, primos non omnem Dialecticam exploſiſſe; ſed Sophiſticen illam, qua utebantur Hæretici, Arius, Eunomius, Aetius; qui ſola naturæ ratione nixi, arcana Dei rimari ſibi proponebant, arroganterque tribuebant. Quod & falſum eſt, & ab Apoſtolo, ceteriſque Scriptoribus divinis haud ſemel damnatum. Nam hoc errore admiſſo, innumera ſophiſmata in Eccleſiam inducebantur, quæ fidem noſtram labefactarent. Cum autem iidem Patres exemplo ſuo oſtendant, ſe ſe optima Dialectica uſos hoſtium laqueos ſolviſſe, arrogantiamque perfregiſſe; dubium non eſt, eos moderatum Dialecticæ veræ uſum probaſſe. Itaque hos ceteris Patribus conciliari, qui in aliam partem diſputarunt, & Dialecticam extulerunt, nemo non videt.*

laſtica, quam graviſſimi Recentiores laudant, & amplificant pro virili parte.

In quo tamen ne ambiguitate nominis errare videamur, alterum ab altero ſecernere neceſſe eſt. Itaque in Scholaſtica, quam laudo, aliud eſt omnino neceſſarium: aliud utile tantum & accommodatum ad dogmata inluſtranda, defendendaque. Neceſſarius eſt uſus bonæ Dialecticæ, quæ rationem perficit, ut & verum invenire queat, & adverſarios oppugnare: vel id perpetua oratione fiat; vel alio modo. Hæc enim Dialectica per omnes ſcientias pertinet, quacumque illæ ratione tractentur.

E contrario methodus Dialectica, nempe revocandi ſingula ad certa capita, eaque certo ordine ac ratione confirmandi, atque iis eadem methodo reſpondendi, non eſt omnino neceſſaria ad dogmata inluſtranda, Hæreticoſque refellendos. Quod Veterum doctorum exemplo efficitur, qui ad XII. uſque nominis Chriſtiani ſæculum dogmata explanarunt, adverſarioſque longe diverſa perfregerunt methodo, atque ea, quæ in præſentia obtinet: quod eorumdem Doctorum ſcripta ſatis declarant.

Eſt tamen methodus Scholaſtica admodum utilis & rebus exponendis accommodata: nam & maiorem lucem adfert argumento, ſingula ad ſuas claſſes referendo: & detractis inutilibus, ſine multo ſermone, ſine Oratoria expoſitione, quæ memoriam legentis fatigant, argumentum ſuum exponit, confirmat, defendit. Qui ordo rem ipſam animo altius defigit, faciliuſque memoria tenetur. Quod ipſum in diſciplinis omnibus magni momenti eſt, & a viris doctis, ob utilitatem ſuam, uno conſenſu approbatur.

CA-

CAPUT V.

Oſtendit acumina & diſputationes Peripateticorum non eſſe accommodatas ad confringendos hoſtes religionis noſtræ.

HActenus quantum utilitatis adferat bona ac vera Scholaſtica, ſeu, quod idem eſt, Methodica theologia, ad inluſtranda dogmata Catholica, & frangendos adverſariorum impetus, demonſtravimus. Supereſt ut doceamus, an ea, quæ a Peripateticis plerumque traditur, Theologia, germanæ Scholaſticæ ſigna præferat. Quæ ſi conficimus non habere, dubium non erit, ad perfringendos Hæreticorum conatus nihil habituram momenti.

Ac mihi de Peripateticæ theologiæ uſu & utilitate diſputaturo, illud moleſtum accidit, quod intelligo, utriſque orationem meam haud eſſe placituram: & iis, qui Peripateticam vehementer laudant; & iis, qui vituperant. Nam primi, quod vitam omnem ſubtilibus inanibuſque quæſtionibus diſputandis conſumſerint, adeo uſque acuminibus delectantur, ut, ſi quem inutiles iſtas quæſtiunculas damnantem audiunt, ſic excipiant, quaſi hominem non dico inſanum, non indoctum, non politioris omnis litteraturæ deſtitutum, nam id quoquo modo ferri poſſet; ſed quaſi perduellem Hæreticum, Catholicæ religioni bellum nefarie molientem, terricolarum, cælicolarumque inimicum. Alteri vero niſi intelligant, Scholaſticos diſputatores omni conviciorum genere onerari, riſui ludibrioque exponi; exiſtimant parum ſerio Methodicæ theologiæ cauſſam agi: & potius te proditorem eſſe, quam defenſorem, exiſtimant Theologiæ.

Utroſque autem in magno errore verſari puto, qui exiſtiment, frugi ſcriptori hæc aut tolerabilia, aut decora

cora videri. Qui enim ſarcaſmis, & dicteriis adverſarios confutant, nimium illi ſunt inepti, qui non animadvertunt, ſe plane oſtendere, quam infirmis copiis præſidiiſque nitantur, qui ad levia puerorum, & anicularum arma confugere coguntur. Nugacium hominum, & ſophiſtarum fuerit, adverſarios ſuos probris refutare: vir doctus & ſapiens levia iſta non curat: graviſſimis rationibus pugnat, non dicacibus ſyllogiſmis. In quo ego eorum ſæpe miratus ſum temeritatem, an ſtultitiam? qui tales lucubrationes edunt in vulgus, in quibus, ſi convicia demas, nihil non dico ponderis aut rationis, ſed ne verborum quidem ſupereſt. Libellum diceres famoſum, non apologiam.

Eos itaque imitari ego nolo: neutris litem movebo: ſed ea tantum adferam in medium, quæ neceſſaria videbuntur, ut ea, quæ hucuſque diſputavimus, adſpergantur clariori luce. Agam igitur quod cauſſa deſiderat, atque omni remota injuria, rem ipſam ratione perſequar ſine gratia, & ſimultate. Neque vero mihi ſuccenſeant Scholaſtici non nulli, qui dum audiunt, quorumdam vitia perſtringi, id omnium cauſſa dicta eſſe clamitant: omniaque in deteriorem partem accipiunt: nec modo id vellent, ut bonam Theologiam prædicarem, ſed ut Scholaſticos ab omni labe inmunes eſſe defenderem. Quod ego nec facere poſſum, nec debeo. Non enim Theologorum defenſionem, ſed Theologiæ conſcribo: ejuſque Theologiæ, quæ ab Catholica eccleſia magno habetur in pretio, nempe bonæ Scholaſticæ. Hanc ego ſi laudo, ſi ab omni reprehenſione vindico; quod Theologi eſt, facio: quid alii dicant, non curo. Sed hæc hactenus: nunc ad id, quod erat propoſitum, revertamur.

Quanta ſubtilium, & Metaphyſicarum quæſtionum copia referta ſint vulgarium Scholaſticorum ſcripta, nemo in eorum libris verſatus vertit in dubium. Illud in

controverſia eſt, an ad id, quod Theologia ſibi vindicat, nempe ad dogmata inluſtranda, & adverſarios refutandos, ſubtiles illæ diſputatiunculæ accommodatæ ſint. Cui quæſtioni non ego, ſed graviſſimi Scholaſtici, quique ætatem hoc diſputationum genere contriverunt, reſpondent, non modo accommodatas non eſſe, verum etiam detrimentum adferre non minimum Dogmaticæ theologiæ.

Poſſum ego in medium proferre, Adoleſcentes, ex Dominicanis Melchiorem Canum, Santem Pagninum, Contenſonum, Gottium cardinalem; ex Franciſcanis Ludovicum de Carvajal, Alfonſum a Caſtro, Chriſtophorum a Capite Fontium; ex Auguſtinianis Laurentium a Villavicentio, Bertium; ex Jeſuitis Salmeronum, Maldonatum, Poſſevinum, Elizaldum, Petavium, ceteros; ex Sæculari autem clero Hamelium, Tournelyum, Witaſſium, doctiſſimos homines, & re Theologica perbelle eruditos, qui plane fatentur, Scholaſticorum contortas ſubtilitates, quas ex Peripatetica philoſophia deſumunt, ad Theologiam noſtram inluſtrandam aptas non eſſe: multo minus ad Hæreticos refutandos habere momentum. Sed cum plerorumque teſtimonia ſupra in Theologiæ hiſtoria exſcripſerimus, [1] prætereundum puto. Unum dicam, nullos Theologos luculentius & accuratius demonſtraſſe, quam pernicioſa ſit ſubtilium quæſtiuncularum multitudo dogmatibus Catholicis defendendis, Hæreticiſque confringendis, quam Scholaſticos theologos, præſertim Canum, & Maldonatum, & Carvajalium: qui tres concilii Tridentini tempore, id eſt, multo ante quam Carteſius, & Gaſſendus, & Newtonus, ceterique Recentiores nova ratione tractarent graviores diſci-

[1] c. 9.

diſciplinas, Scholaſticorum theologorum vitia diligenter perſecuti ſunt.

Quod eorum cauſſa monitum volumus, qui dum audiunt, vulgarium Scholaſticorum errores a graviſſimis Theologis reprehendi, inepte, confidenterque reponunt, ejuſmodi reprehenſionem non niſi ex Hæreticorum, philoſophorumque Recentiorum fontibus [hæ duæ claſſes ſecundum eos vix aut nullo modo differunt] eſſe deſumtam. Qua certe calumnia temperarent, ſi hiſtoria Litteraria vel mediocriter eſſent eruditi. Sed hæc vetera, uſitata, quotidiana ſunt, ut qui diſciplinæ, quam tractant, hiſtoriam ne a limine quidem ſalutarunt, ceteros, qui ea penitus imbuti ſunt, gravi ſupercilio, & veluti ex tripode reprehendant. In quo qui alios rubore ſuffundere ſibi perſuadent, ipſi ludibrio & cachinnis doctiſſimorum hominum objiciuntur. Verum hæc obiter: redeo ad inſtitutum.

Sed etſi graviſſimos Scholaſticos, quique hujus generis quæſtionibus diſputandis operam, induſtriam, ac ætatem conſumſerunt, auctores non haberemus; vel ipſa prædictorum librorum lectio ſatis ſuperque conficeret, ejuſmodi diſputationes, quæ ex Peripatetica philoſophia ſumuntur, nec ad dogmata inluſtranda utiles, nec ad Hæreticorum argumenta diſſolvenda eſſe accommodatas. Nam ſi verum eſt, quod profecto verum eſt, Revelatam theologiam non ex humana ratione, ſed ex divina declaratione proficiſci; [1] nullus profecto dubitabit, Metaphyſicarum ſubtilitatum adjumento dogmata no-

[1] *Non eſt hoc loco diſputatio de theologia Naturali, quæ argumentatione naturæ nititur: ſed de Revelata theologia, divinituſque tradita vel in Veteri, ac Novo teſtamento, vel Traditione divina.*

noſtra nec dilucidari poſſe , nec defendi . Sed hæc exemplis inluſtrare non alienum puto .

Duplex adverſariorum Catholicæ doctrinæ genus eſt , Judæi , & Hæretici : Illi eoſdem errores una omnium conſenſione defendunt : hi in multiplici differentia ſunt , atque in plures rivulos , ut ita dicam , deducti . Quare de illis primum , quod ad id , quod quærimus , magis ſunt accommodati , dicemus .

Judæorum igitur una eſt nobiſcum & graviſſima controverſia de Chriſti adventu : id eſt, an Chriſtus filius Dei , quem Patriarchæ , & Prophetæ tanto ante venturum nuntiarant, certo tempore venerit in mundum . Negant illi : nos aimus , atque omni contentione animi fidem noſtram defendimus . Eos itaque ut penitus labefactemus , & plane oſtendamus , quanta illi in cæcitate verſentur , omni argumentorum genere rem ipſam oportet efficiamus : eaque diluamus , quæ ex contrario objici ſolent : atque effugia , ad quæ ſe recipere ſolent , omnia præcludamus .

Quare primum oſtendere oportet, Patriarcharum , & Prophetarum vaticiniis Chriſti Jeſu vitæ diſciplinam , ceteraque adjuncta perfecte reſpondiſſe : quod & Herodis regis genus , & epocham regni ejus , & epocham nativitatis , ac mortis Chriſti : verbo dicam , totam Chriſti hiſtoriam Criticam complectitur . Cumque Artaxerxis regni epocha , atque legis , quam Judæorum gratia ſancivit , annus certus ad inluſtrandas confirmandaſque Danielis vatis hebdomadas , penitus ſit neceſſarius ; de iis luculente eſt diſputandum . Deinde contortæ Rabbinorum interpretationes diluendæ ſunt infringendæque . Multum etiam facit ad dogmatis noſtri declarationem teſtimonium Flavii Joſephi hominis Hebræi , qui ſub Veſpaſianis floruit : quare de eo eſt pertractandum , & ab omni ſuſpicione falſitatis liberandum . Nec id ſolum ,
ſed

ſed etiam Gentilium teſtimoniis confirmanda ſunt facta, quæ narramus: ut omnem Judæis tergiverſandi occaſionem adimamus. Tum demum Gentilium dubitandi rationes omnino ſunt diſſolvendæ. Quæ omnia & Græcæ, & Hebrææ linguæ, & hiſtoriæ tum Sacræ, tum Profanæ non levem, ſed reconditam notitiam requirunt. Et hæc contra Judæos, & Gentiles.

Proximi his ſunt Hæretici plerique, qui cum Chriſtiani audire velint, nihil minus ſunt quam Chriſtiani, propterea quia Chriſto Domino vel a prima Eccleſiæ ætate aperte bellum intentarunt. Horum quidam verum Chriſti corpus negarunt, ſed vel aëreum ac umbratile tribuerunt, vel ex æthere ac Elementis compactum: ut Baſilides, Saturninus, Valentinus: item Marcion, Apelles, ceteri. Alii Chriſti corpus fuiſſe natura incorruptibile dixere, ut Aphthartodocitæ. Non nulli rationalem animam denegarunt, ut Apollinariſtæ: alii naturali voluntate ſpoliarunt Chriſtum Jeſum, ut Monothelitæ omnes. Sunt qui divinam ab eo naturam removerunt, relinquentes humanam: ut Ebionitæ, & proxima ætate Sociniani. Sunt qui dixere, in Chriſto Jeſu duas eſſe perſonas, divinam, & humanam: cujuſmodi fuere Neſtoriani. Alii e contrario non modo unam perſonam, ſed etiam unam tantum naturam in Chriſto poſuerunt, ut Eutyches. Tum demum alii intemeratæ Virginis integritatem denegarunt, tametſi alii alio modo: ut Ebion, Cerinthus, Carpocrates; quibus addi poteſt Helvidius, ceteri. Reliquas hæreſes prætereo minoris momenti.

Quare ut dogma noſtrum pro merito dilucidemus, primum adverſariorum errores ex Eccleſiaſtica hiſtoria aperte atque ordine ſunt exponendi: deinde ex tradita doctrina, atque Scripturarum teſtimonio iis occurrendum eſt: omniaque, quæ ex adverſo opponi ſolent, labefactanda. Cumque non nulli veteres Epiſcopi quæ-

dam ſcripta reliquerint, ex quibus argumentationes aliquæ compingi ſolent, præſertim de Neſtoriana hæreſi; diligenter inveſtigandum, quænam fuerit eorum germana ſententia: & quantum fieri poteſt, ab omni ſuſpicione vel minimi erroris liberandi. Quod ipſum ſine exquiſita ac interiori hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia, & vero etiam ſine Græcæ linguæ cognitione, effici non poteſt.

Præterea cum ex mirabili illa unione utriuſque naturæ illud proficiſcatur, ut eidem Chriſto, & perſonæ, quæ Dei, atque Hominis ſunt, proprietates adtribuantur; exſtitit ut homines non nulli non animadvertentes, quæ naturis, & quæ perſonæ tribui deberent, inprudentes aberraverint. Quidam itaque inmenſitatem, & omnipotentiam humanæ naturæ Chriſti tribuerunt: ut Ubiquetarii, & Lutherani aliqui cum Brentio, & Joanne Andrea. Quidam in Chriſto ut homine poſuerunt alieni filii adoptionem ſenſu Neſtoriano, ut Felix, & Elipandus. Alii novas theſes incommode pronuntiantes, præſertim de una in Trinitate perſona cruci ſuffixa, ut Monachi quidam Acœmete, & Scythæ: vel de Chriſto ſacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech, ut Novatores, Koerberus, Rungius, Rivetus, Tarnovius, reliqui; graviſſimas diſſenſiones apud Fideles commoverunt. Quare operæ pretium eſt diligenter conſtituere, quo ſenſu certa quædam prædicata de Chriſto enuntiari poſſint, vel non poſſint; ne vel ſermonem demus Hæreticis, vel in eorum errores inprudentes incurramus.

Jam vero Incarnati verbi maximum beneficium eſt hominum redemptio: id eſt, quod is Deo plane ſatisfecerit pro peccatis hominum, ſanguinem redemptionis pretium effundens. Id tamen nobis tollere conantur inpudentiſſimi quidam homines, quos a Fauſto Socino, Socinianos vocant; qui negant, Chriſtum fuiſſe vere redem-

demptorem, & Metaphoricam redemptionem tantum admittunt. Quare huic peſti late graſſanti occurrendum eſt, efficiendumque, Chriſtum vere & proprie ſatisfeciſſe Deo, noſque eidem morte ſua reconciliaſſe: tum omnia Socinianorum ſophiſmata contorta ea quidem & intricata ſolvenda ac diluenda ſunt. Cumque non defuerint, qui Chriſti beneficium reſecare voluerint, defenderintque, eum non pro omnibus, ſed pro ſolis electis mortuum fuiſſe, ut V. ſæculo Prædeſtinatiani: VIIII. vero Gottheſcalcus, & proxima ac præcedenti ætate Calviniani, & Janſeniani; alii autem audacter pronuntiaverint, Chriſtum pro mulieribus mortuum non eſſe, quod proximo ſæculo fanaticus quidam nomine Horatius Plata ſingulari libro probare inſtituit; probandum eſt, & gravi oratione demonſtrandum, Chriſtum Jeſum pro omnibus omnino viris, ac mulieribus mortem ſubiiſſe. Præterea alii fuere, qui in contrarium incidentes, Chriſtum etiam pro dæmoniis, immo etiam pro aſtris [ea non nulli veteres ex animo rationali, & corpore conſtare putabant] mortuum exiſtimarent, ut Origenes, ejuſque adſeclæ: qui proinde omni animi contentione, atque eruditionis copia ſunt refutandi.

Hæc itaque ut efficiant theologi Catholici, atque diſputationes ſingulas, quas tetigimus, & exponant, & argumentorum copia confirment; eoſque, qui repugnant, funditus labefactent; non levi aliqua vel Scripturæ, vel Hiſtoriæ, vel linguarum, vel critices notitia tincti eſſe debent; ſed ſingula habere explorata, eaque penitus notitia comprehendere. Quod qui non faciunt, ſed prædictæ eruditionis expertes, bellum committere non recuſant, ne illi palam inſcitiam, & arrogantiam oſtendunt in diſputando ſuam.

Habetis, Adoleſcentes, ordinem diſputationum, quæ ad inluſtrandum vel unum Incarnati verbi dogma

neceſſariæ Theologis omnibus, qui rem accurate examinant, eſſe videntur. Ex his aliæ quæſtiones hiſtoricæ haud magni ponderis duci poſſunt, quas nos brevitatis gratia prætermiſimus. His aliquæ rurſum ſubtiles & non neceſſariæ diſputationes adjungi ſolent a Theologis non nullis. e. g. *Utrum unio hypoſtatica ſit in natura, vel in perſona. An Sancti mereri potuerint Incarnationis ſubſtantiam, vel circumſtantias. An pura creatura ſatisfacere pro peccato. Cur Filius carnem ſumſerit, non Angelicam naturam. An veniſſet Chriſtus, ſi Adam non peccaſſet. An veniſſet, ſi eſſent ſolum peccata actualia.* Præterea de merito Chriſti quærunt: *An fuerit merendi capax: & quando mereri cœperit. An merita Chriſti ſint pretii infiniti. An ſint diverſa merita in Chriſto. An Chriſtus Parentem orans, interdum exauditus non fuerit*: ceteraque generis ejuſmodi. Horum tamen quæ aliquid diſputationis habent, jam ſatis explicata ſunt in refutatione hæreſum, quas antea memoravimus: ex iiſque proxime & directe ſine ulla argumentatione veluti *corollaria* conſequuntur. Quæ vero curioſitatis, atque exercitationis cauſſa tantum ſunt inſtitutæ, poſſunt eæ quidem, ſalva dogmatis, ut ita vocem, ſubſtantia, vel omitti, vel in aliud tempus reſervari: & tum demum diſputari, cum jam nulla amplius inluſtrandi dogmatis noſtri, illudque defendendi contra perduelles adverſarios occaſio ſupererit.

Hactenus, Adoleſcentes, quid facere debeat Theologiæ candidatus, ut Theologi muneri pro dignitate ſatisfaciat, demonſtravimus. Hinc quale judicium de libris, qui hujuſmodi argumentum tractant, facere debeatis, ſine labore intelligetis.. Qui enim hanc viam non inſiſtunt, ſed miſſis neceſſariis diſputationibus, atque vero Theologo dignis, tempus omne atque operam ſuam in controverſias conferunt minime neceſſarias; atque

magna

magna vocis, & laterum contentione defendunt, eas exquiſitæ Theologiæ ſpeciem præ ſe ferre; ii quidem maximo cum labore, atque temporis diſpendio maximas nugas agunt: ſeque doctorum hominum reprehenſionibus opponunt.

Quis enim non rideret eum, qui cum hoſtium copias per ejus poſſeſſiones graſſantes, eaſque funditus devaſtantes, &, ut quidque obvium erat, lacerantes videret; ipſe tamen cum ſervis ſuis de lana caprina magna voce altercaretur: atque ſe hac via inmaniſſimos hoſtes fugaturum, ſuaſque poſſeſſiones defenſurum eſſe exiſtimaret? Atque hoc illi faciunt, qui cum nullam profligandi Hæreticos partem adtingant, ſed diſputationibus nullius momenti terant ætatem; nihilominus perſuadere aliis conantur, ſe Theologos eſſe omnibus numeris abſolutos. Hi enim dum hereditatem Chriſti, id eſt Catholicam doctrinam, Hæreticis diripiendam, lacerandamque relinquunt, longis arundinibus [inanibus argumentis] levibus armis puerorum decertant inter ſe: ſeque hac ratione idoneos fieri, qui hoſtibus & fortiſſimis, & exercitatiſſimis occurrere poſſint, arroganter contendunt. Quaſi vero Theologi munus ſit, acumen incredibile ſophiſmatis excogitandis oſtentare, non vero Catholicam fidem graviſſimarum rationum copia ab illorum inpugnatione defendere.

Hæc ſi recte intelligeretis, Adoleſcentes, ſupervacaneum eſſet, alios cum aliis ſcriptores conferre: atque, quid theologi Polemici, quid ſcholaſtici Peripatetici faciant, ſingulatim examinare. Nemo enim eſt qui non videat, eos, qui contrariam viam ſequuntur, oleum & operam perdere: nemo, qui, quid vulgares Peripatetici faciant, quibuſque diſputationibus referciant ſcripta ſua, ut ut in eorum ſcriptis non multum verſatus ſit, non illico deprehendat. Pervolvite, Adoleſcentes, non

dico

dico eos, qui uſque ad finem XVI. ſæculi ſcripſerunt, ſed qui proximo, & præſenti ſæculo, vel apud exteros, vel apud noſtros de hoc argumento aliquid ediderunt; tum demum cognoſcetis, nos in iis, quæ adfirmamus, falſos non eſſe. Quæ ſi ego, Adoleſcentes, vellem in præſentia citatis eorum locis conficere, & in aprico ponere, poſſem, idque nullo negotio, profecto. Producerem ſiquidem atque in medium adferrem recentiſſimum quemque Peripateticum, ſeduloque collectis diſputationibus, quæ utramque in iis faciunt paginam, quam multis iiſque ſubtilibus, nec niſi ad otium terendum, & acumen oſtentandum excogitatis, abundent, ſole clarius demonſtrarem. Sed nolo in aliorum erratis colligendis multus videri: nolo ulli noſtratium litem intentare: qui, ut audio, moleſte ferunt, ſi quis de eorum ſcriptis libero judicio, tametſi vere ac modeſte, pronuntiet. Nolo exagitare homines de Chriſtiana republica optime meritos, qui non libere atque ſponte, ſed vel conſuetudine ætatis abrepti, vel domeſtica diſciplina coacti, aliquid non commode lucubrarunt, ac ediderunt. Hæc æquitas atque humanitas poſtulare videntur. Quædam tamen addam, quæ ſatis ſint, ut ea, quæ ſtrictim diximus, & clarius intelligatis, & facilius vitare poſſitis.

Tria mihi in lucubrationibus ſuis Theologicis ſcholaſtici Peripatetici peccare videntur: quæ tametſi alii alio modo, tamen communia eorum ſunt vitia. Unum eſt, quod quæſtiones *de poſſibili* plurimas inſtituunt, & ſine ullo fine perſequuntur. Alterum eſt, quod controverſias diſputant nimis multas innixas Peripateticæ philoſophiæ: id eſt, formis ſubſtantiali, & accidentali, & ideis abſtractis Metaphyſicorum. Tertium eſt, quod ſi quando de aliquo dogmate ſunt diſputaturi, non id Scripturarum locis, & perpetua Eccleſiæ traditione, ut opus erat, efficiunt; ſed unum vel alterum Scripturæ,

Pa-

Patrumve locum adferunt : & quaſi rem omnibus exploratam tangunt potius , quam exponunt . Prioris generis ſunt illa : *Utrum lumine naturæ poſſit evidenter cognoſci Incarnationem dari de facto . Utrum Incarnatio ſaltim ut poſſibilis , poſſit evidenter & naturaliter cognoſci . Utrum ſaltim probabiliter poſſit naturaliter cognoſci poſſibilitas Incarnationis . Utrum humanitas Chriſti mereri potuerit Incarnationem . Utrum ſit poſſibilis creatura , quæ tamquam cauſſa inſtrumentalis poſſit ex natura ſua producere unionem hypoſtaticam . Utrum Deus poſſit elevare quamcumque creaturam , ut inſtrumentaliter producat unionem hypoſtaticam .. An poſſit creata ſubſiſtentia alienam terminare naturam . An natura divina præciſa a ſuis relationibus immediate ac per ſe poſſit uniri humanitati . Utrum ſi daretur in Deo abſoluta ſubſiſtentia poſſet humanitati immediate conjungi . An Verbum Divinum perſonam hominis adſumere potuerit . An Verbum adſumſerit naturam univerſalem ab omnibus individuis abſtractam . An adſumere potuerit irrationalem . An Pater , & Spiritus adſumere potuerit eamdem carnem Chriſti*. Poſterioris generis ſunt : *An actio productiva humanitatis ſit indiſtincta ab unione hypoſtatica . Utrum humanitas , & unio hypoſtatica producta ſint per eamdem indiviſibilem actionem . Qualis ſit formalis terminus incarnationis activæ . An unio hypoſtatica diſtinguatur realiter ab extremis . An detur duplex unio , alia ex parte Verbi, alia ex parte humanitatis. An unio ſit incorruptibilis : an compoſita vel ſimplex : an perfectior anima , vel angelis . An Verbum mutetur per unionem , an non* . Et hujus generis alia , quæ paſſim ſe offerunt .

Quod ad primas adtinet,perſpicuum eſt ad inluſtrandum , confirmandumque Incarnationis dogma nihil eas adferre momenti: ita enim pleræque ſunt comparatæ , ut ſalva fide , qua Catholici ſumus , diſputari in utramque partem poſſint . Utilius autem fuerit , & ad noſtrum inſtitutum

tutum accommodatius, Incarnationem factam eſſe oſtendere, quam, quo modo aut fieri, aut cognoſci poſſit. inquirere. Appoſite ad rem noſtram ſecundum Veteres epiſcopos ait graviſſimus Theologus: *Ignotis de rebus, & in occulta Dei poteſtate, ac voluntate latentibus, quæ nullis indiciis proditæ ſunt, temere vaticinari, non eſt conſiderati hominis, nedum perfecti ſapientis, qualem eſſe, ſtudio ſaltem & conatu, Theologum oportet.* [1] Et præclare quidem. Cum enim tot, tamque graves diſputationes ſe offerant de Incarnatione verbi, quæ nos ab Judæis, & Hæreticis ſecernunt, quæque non parum temporis, laboris, eruditionis requirunt; minime laudari illi poſſunt, qui, neceſſariis controverſiis omiſſis, rebus ejuſmodi diſputandis tempus omne conſumunt.

Similiter de altera quæſtionum claſse eſt judicandum. Nam cum prædictæ diſputationes ex principiis Peripateticis naſcantur omnes; talia autem principia Philoſophica ad dogmata exponenda confirmandaque idonea non ſint; non enim fides noſtra Peripateticorum pronuntiatis, ſed doctrina Prophetis, Apoſtoliſque tradita nititur; hinc fit [2] hujuſmodi quæſtiones ſine ullo damno religionis noſtræ præteriri poſse. His accedit, quod Catholici ceteri, qui vel Carteſii, del Gaſsendi, vel Newtoni philoſophiam amplexantur, eas vel prætereunt, vel de iis interrogati in aliam ſententiam diſputant. Facile ut intelligamus, ejuſmodi eſse quæſtiones prædictas, quæ, ſalva dogmatis ſubſtantia, reſecari poſſint. Cumque & primi, & ſecundi generis quæſtionibus Peripatetici non nulli adeo occupentur, tantumque in iis exponendis ingenii ac operæ ponant, vix ut ullum

---

[1] *Petavius* Dogmat. Theologic. Tom. V. de Incarnation. L. II. c. 17. n. 7.

[2] *D. Thomas* Summ. Theolog.

ullum diſputandarum reliquarum tempus ſuperſit; plane conficitur, veræ Theologiæ inluſtrandæ, & amplificandæ, non parum ſubtiles iſtas quæſtiunculas damni adferre.

Jam illud, quod in enumeratione tertio loco poſuimus, hujuſmodi eſt, ut a nemine Theologo ſanæ mentis non dico laudari, ſed ne ferri quidem poſſit. Cum enim Theologi officium, quod jam ſæpe monuimus, ſit, Sacram doctrinam Fidelibus recte explicare, repugnanteſque confutare; qui dogmata obiter tangunt, & ſe ad Logicam conferunt, aut Metaphyſicam, ex iiſque in Theologia noſtra plures quæſtiones inſtaurant, copioſeque exponunt; ii quidem non Theologicos tractatus, ſed mere Philoſophicos lucubrare cenſendi ſunt: adeoque de Theologia noſtra male mereri. Deinde illud etiam damni adferunt Theologiæ candidatis, quod iis quodam modo perſuadent, dogmata noſtra a Theologis obiter & aliud agendo diſputari ſat eſse: tum Hæreticorum objectiones una vel altera argumentatione labefactari poſſe. Præterea adoleſcentium mentes uſque adeo fatigant inmenſa illa turba diſputationum ſubtilium & intricatarum, iiſque adeo iſti adſueſcunt, ut ad ea, quæ neceſſaria ſunt, plane intelligenda, ordineque ac ratione explicanda, nullo modo idonei videantur. Quo quantum damni faciant germanæ Theologiæ ſtudioſi, vel me non monente intelligetis. Et de his hucuſque.

Sed jam tempus eſt, ut eos audiamus: &, quid iis, quæ primo, & ſecundo loco diximus, reponere ſoleant, examinemus. Primo aiunt, non nulla in Veteribus epiſcopis veſtigia occurrere quæſtionum ſubtilium, iis ſimilium, quas minime neceſſarias eſſe prædicamus. Deinde reſpondent, Anſelmum, Aquinatem, alioſque graviſſimos Theologos quæſtiones his ſimiles inſtituiſſe, & latiſſime diputaſſe: quibus ſi qui morem

rem gerant, omni reprehenſione carere merito judicentur.

Sed talibus argumentationibus ut occurramus, non alte repetenda eſt reſponſio, cum ex iis, quæ ſuperiori libro diſputavimus, nullo negotio eæ refutentur. Et ad primam quod adtinet, fateor, Veteres epiſcopos cum Hæreticis diſputantes, plurima explicandi gratia tetigiſſe, ex quibus quæſtiones aliquæ curioſæ, ut ita dicam, naſci poſſunt: interdum vero contra moleſtos perſcrutatores quædam poſſibilia inveſtigaſſe, uti de Auguſtino diximus. Quid inde? coactine ſumus ex ſingulis PP. verbis ſingulas diſputationes inſtituere? Minime vero: ſed diligenter conſiderandum, quid ipſi fecerint, quave de cauſſa. Quædam Patribus judicantur neceſſariæ ad dogmata exponenda & munienda: & eæ quidem ſedulo retinendæ ſunt: quædam non dogmatum cauſſa, ſed eruditionis gratia, vel eorum cum quibus diſputabant, additæ ſunt, quæ niſi nos gravior cauſſa cogat, ſunt omittendæ, idque Patribus ipſis auctoribus. Nam Patres prius dogmata copioſe exponebant, defendebantque: tum, ſi argumentum poſtulabat, aliqua ſubtilia addebant, idque ſobrie: numquam vero ſubtilium quæſtionum gratia dogmata prætermiſerunt. At Scholaſtici vulgares dogmata vel parce, vel nullo modò exponunt: & in rebus inanibus & non neceſſariis multi ſunt. Quod ipſi Patrum diſciplinæ directe repugnat. Tractent ipſi primum ea, quæ debent; tum, ſi tantum erit otii, hujuſcemodi controverſias aliquas adjungant, non id quidem fuſe, & cum ingenti animi contentione, quod PP. non faciunt; ſed breviter modeſteque, per me licet. Quæ ut, quam vere dicantur, apertius cognoſcatis, conferte non dico eos, qui ad finem uſque VI. ſæculi ſcripſere PP., ſed recentiores alios, nempe Joannem Damaſcenum, qui medio VIII. ſcripſit, quemque Scholaſtici

quaſi

quaſi Parentem alterum venerantur, cum iis, qui proxima, & præſenti ætate aliquid Scholaſticum ediderunt, & plane intelligetis longe illum ab iſtis diſtare.

Ad ſecundum quod ſpectat, eadem reſponſio eſt. Nam Anſelmus Roſcelinum adverſarium eſt nactus, Dialecticum percelebrem, eumque acutiſſimum: quem iiſdem armis, eadem diſputandi via confutare neceſſe habuit. Aliquid item ſuæ ætatis conſuetudini permiſiſſe eum, alio loco demonſtravimus. [1] Quare minime mirum eſt, ſi in illius ſcriptis multa ſubtilia occurrunt. Aquinas vero cum plane fateatur [2] inutiles quæſtiones nimis multas iis temporibus viguiſſe, ſeque, ut eas diligenter vitaret profligaretque, *Summam Theologicam* conſcripſiſſe; aperte oſtendit, quid ipſe de illa Theologiam explicandi ratione judicaret. Quare ſi aliquas in ſuis ſcriptis addit, excuſationem habet: neque enim aliter facere poterat, nec uno ictu diſputatores illos ineptos ad bonam frugem revocare, niſi aliquid ſuo illi ſæculo, atque æqualium ſuorum præjudicatis ſententiis conceſſiſſet: vir ille quidem prudentiſſimus, & omnium Theologorum judicio plane admirandus: quique in aliis ſuis ſcriptis, qualis vir eſſet, oſtendit. Et de his ſatis multa.

Ex dictis itaque perſpicuum eſt, vulgarium Peripateticorum ſcripta, vel ipſis graviſſimis Scholaſticis fatentibus, longe diſtare a bona Scholaſtica, quam veri Theologi profitentur: adeoque ad confutandos Hæreticorum conatus, ſaltim in hac tanta tamque recondita eorum eruditione, accommodata non eſſe.

Ca-

[1] *Prima parte L. III. c. 2.*

[2] *In* Prolog. Summæ: *quem locum ſupra c. 3. produximus.*

Caput VI:

Demonſtratur Theologiam, quæ hac ætate plurimis in locis excolitur, bonæ Scholaſticæ characteres præ ſe ferre.

EXtremum eſt ut doceam, & breviter oſtendam, ubi nam germana illa Scholaſtica, quam ad inluſtranda dogmata noſtra, & adverſarios perfringendos neceſſariam eſſe, plurimis verbis demonſtravimus, reperiri poſſit. Quod ſi fecerimus, abunde toti huic quæſtioni ſatisfactum erit. Hæc tamen nos ſi pro rei dignitate explicare vellemus, longiores profecto eſſemus, quam tirones noſtri ferre poſſent. Non enim de hoc argumento recte pronuntiabimus, niſi expenſis Recentiorum ſcriptis, qui Poſitivo-Scholaſticam, uti vocant, tradere ſolent: quod non parum temporis, & operæ, & judicii requirit. Quare, miſſa longiori diſputatione, iis tantum definietur oratio noſtra, quæ omnino videntur neceſſaria, ut cetera, quæ deinceps dicturi ſumus, lucis copia conſpergantur.

Porro ex hucuſque diſputatis plane conficitur, eos qui Theologiam recentiori methodo ac ratione perſequuntur, bonam Scholaſticam profiteri. Nam cum bona Scholaſtica, uti non uno tantum loco docuimus, ſæpius autem admonere coacti ſumus, illa ſit, quæ & doctrinam Catholicam plane exponit, & adverſarios ejus pro merito eorum confutat; cumque hac ætate plerique Theologi id ipſum pro rei dignitate faciant; conſequitur, eos germanam illam Scholaſticam profiteri, quam ſeniores Theologi veris laudibus ad cælum uſque extollunt. Hæc tamen ut in luce meridiana ponantur, omniſque dubitandi occaſio penitus auferatur, quænam hiſce vocabulis poteſtas ſubjecta ſit, fuſius explicemus oportet.

Ut quis dogmata noſtra recte inluſtret, & eos, qui con-

contradicunt, vel Judæos, vel Hæreticos, perfringat, oportet primo hiſtoriam Veteris, & Novi teſtamenti, atque eccleſiæ Chriſti plane cognitam & exploratam habere. Cognitam cum dico, non hoc dico, ſatis eſſe, ut memoriter hiſtoriam prædictam recitare ſciat, quod pueri & femellæ poſſunt: ſed ut eorum, quæ in controverſia ſunt, quæ vera, aut veriſimilia ſunt, penitus cognoſcat: &, quæ contra opponuntur, diluere poſſit: quam hiſtoriam Criticam vocant. Tot enim, tamque graves diſputationes Hiſtoricæ inſtituuntur, ex quibus dogmata lucem accipiunt; ut ſine earum cognitione nemo in Sacra doctrina non dico e ſuperiori loco diſputare, ſed ne leviter quidem, quæ in ea diſputantur, capere poſſit. Deinde opus eſt, ut linguam Hebræam calleat: neque enim aliter reſpondere poterit Judæis, verumque ſenſum verborum codicis Hebræi cognitum habere. Tum Græcam linguam ſciat neceſſe eſt, quo facilius Hæreticis cum veteribus, tum recentioribus poſſit occurrere, qui ex Hebræa, & Græca lingua argumentationes ſuas plerumque deſumunt. Item ut Novum teſtamentum, quod Græce [Matthæi Evangelium Syriace, ut plerique putant, exaratum fuit] ſcriptum eſt, atque patrum Græcorum lucubrationes ſine ullo negotio percipere queat. Cumque hiſtoria Sacra, & Eccleſiaſtica ſine Profana; utraque autem ſine Chronologiæ, & Geographiæ notitia penitus cognoſci non poſſit; tres hæ diſciplinæ erunt neceſſariæ ad Theologiam dilucidandam.

Præterea neceſſe eſt ut bona philoſophia Eclectica germanæ Scholaſticæ candidatus inſtructus ſit, ſi Naturalem theologiam, ac religionem Naturalem, quod interdum neceſſarium eſt, adverſum recentiores Hæreticos aliquos confirmare & probare velit. Præſertim vero recentiſſima Logica eſt neceſſaria, quæ doceat tum cer-

 tum,

tum, tum probabile inveſtigare: & artem interpretandi auctores, atque artem omnem Criticam complectatur. Hæc ad explananda confirmandaque dogmata noſtra, penitus eſſe neceſſaria, nemo, niſi bonæ Theologiæ omnino expers, atque in Recentiorum theologorum ſcriptis plane hoſpes, vertet in dubium: adeoque ad germanam Scholaſticam neceſſaria ea eſſe, nemo ſanus ibit inficias.

Jam vero hujuſmodi eruditionem in recentioribus quibuſdam Theologis, atque apud cultiſſimas nationes inveniri, qui hiſtoriam Litterariam legit, negare non poteſt. Pervolvite, Adoleſcentes, ut alios hoc tempore prætereamus, Thomaſſinum, Petavium, Huetium, Natalem Alexandrum, Jueninum, Tournellyum, Witaſſium, Drointium, Bertium, ceteros, qui proximo, & præſenti ſæculo Theologiæ fama nobiles habentur, & reperietis, eos hiſce præſidiis paratos ad philoſophandum in Sacra doctrina acceſſiſſe, tametſi alios alio modo. Non enim eamdem linguarum peritiam ad theologizandum adtulere omnes: ſed ceteris ornamentis omnes præditi ſunt.

Inficiandum non eſt horum non nullos vel Theologiam copioſius diſputaſſe, quam tironum ingenia ferre poſſint, ut Thomaſſinus, Petavius, Huetius; vel quædam ex Metaphyſicorum officina deſumta addidiſſe, quæ in hac tanta ingeniorum luce non incommode præteriri poſſent; quod fecit ante alios Tournellyus, cui proximus eſt Witaſſius, & Jueninus. Tamen laudari & ipſi debent, primo quod viam reliquis, qui poſt fuere, monſtrarunt: deinde quod multa utilia & graviſſima diſputarunt: poſtremo quod uſui eſſe poſſunt, ſi ex regulis, quas tradidimus, quid in iis legi, quid omitti debeat, diligenter examinemus. Quæ ſi minus tiro ſe ipſo præſtare poteſt, ſaltim a doctore ſuo admonitus ſine ullo negotio præſtabit; modo illud ante oculos perpetuo habeat, quem finem Theolo-

gia

gia ſibi poſuit, atque in arte recte judicandi exercitatus ſit.

Forſitan a me requiretis, Adoleſcentes, quiſnam eorum, quos nominavimus, vel maiori cum judicio argumentum ſuum perſequitur, vel ad puerorum inſtituendorum ingenia accommodatior videatur. Quorum alteri ſi pro merito reſpondere vellem, & rem totam palam facere, poſſem profecto: ſed cum hæc hujuſmodi ſint, ut longiorem ſermonem requirant, nec ſine invidia aliqua diſputari poſſint, commodius in aliud tempus reſervantur. Alteri vero ſine ulla hæſitatione reſpondebo; inter alios, quos in præſentia omitto, eſſe Bertium. Sane, niſi me opinio fallit, nullus Scholaſticorum, qui Theologiæ corpus hac ætate abſolutum edidere, acriori judicio id præſtitit, quam Bertius. Nam primum dogmata ſingula accurate exponit, quantum per epitomam poteſt. Deinde, quid ad dogmata, quid ad Scholæ diſputationes pertineat, diligenter diſtinguit. Ad hæc ubi de rebus Scholaſtico-Metaphyſicis diſputandi eſt occaſio, ut ſe omni invidia liberet, id facit, ſed tam parce, ut facile, quid ipſe ſentiat, quoque loco hujuſmodi quæſtiones habendas ducat, judicari poſſit. Et quamquam in quibuſdam tractatibus ab iis diſputandis non temperet, tamen parcius id facit, quam plerique eorum, qui eamdem provinciam ſuſceperunt. Poſtremo etiam in iis quæſtionibus Scholaſticis, quæ diſputari in utramque partem ſolent, ea fere ſemper ab eo præferri animadverti, quæ cum ſaniori Philoſophia conſentiunt. Facile ut mihi perſuadeam, illius methodum, & philoſophandi rationem methodo ceterorum Scholaſticorum eſſe anteponendam. Et de Bertio ſatis, de quo dicendi occaſio ſæpe redibit. Hæc de Theologiæ natura, atque uſu quam breviſſime potui diſputata ſunt. Nunc ad ea, quæ remanent dicenda, ex ordine inſtituto progrediar.

LIBER TERTIUS

IN QUO

DE CELEBRIORIBUS AUCTORIBUS THEOLOGIAE EST DISPUTATIO.

CAPUT I.

Hujus interrupti atque dilati laboris cauſſæ exponuntur.

TAMDEM, Adoleſcentes humaniſſimi, exacto longo tempore, ad vos redimus, & commodo veſtro inſervimus: quod ipſum permultos menſes ſæpe tentavimus, numquam tamen efficere potuimus. Nam cum ſuperiori libro ultimam manum admoveremus, adferuntur litteræ, in quibus ſcriptum erat, amicum meum cariſſimum, mihique iiſdem ſtudiis conjunctiſſimum, non illum quidem ætate contritum, ſed in ipſo virilis ætatis robore in Gallia diem ſuum præter omnium opinionem obiiſſe. Quo quidem accepto nuntio ſi me commotum dixero, & multis verbis prædicavero, fecero inepte: id enim, vel me tacente, conjicietis. Angebar ſiquidem non ejus tantum morte, quamvis id ipſum immane & intolerabile videbatur, ſed mortis genere. Annus erat, cum amicus ſuaviſſimus diro morbo laborabat: ſed

medi-

medicinæ vi adjutus e mortis pæne faucibus evaſerat, idque mihi nuntiatum fuerat, facile ut exiſtimarem nihil amplius periculi ſupereſſe. Poſtea vero quam nuntius adlatus eſt de morte hominis, adeo dolore percitus fui, quaſi qui naufragio liberatus, & portum jam intraturus adverſo vento impellitur, & in portu extinguitur. Obverſabatur mihi ante oculos illius imago, &, quocumque gradiebar, comitabatur: quemque dolorem ejus audita morte conceperam, illum ipſum occurrens identidem imago adeo renovabat, ut ferre vix poſſem. Non me vetuſta tantum conſuetudo, ſed occulta quædam vis ad benivolentiam rapiebat. Erat illi mecum ſimilitudo quædam non oris tantum, ſed etiam animi; mores etiam quam ſimillimi: ut tametſi tanto terrarum ſpatio ſejunctus, ille mihi præſens, cum me ipſum intuerer, videbatur. Compellabat me etiam interdum litteris ſuis, & amanter flagitabat, ut aliquid ad ſe mitterem, quod dignum ſtudiis noſtris, & nomine noſtro videretur. Adeo cum me aliquando & vires, & ingenium deficeret, hominis recordatio amantiſſimi non modo me ſolabatur, ſed ſtimulos admovebat ut ſcriberem. Agnoſcebam enim quantam ille voluptatem ſuſcepturus eſſet, ſi mea non nulla typis deſcripta legeret: atque ea, quæ puerorum gratia, eoque auctore, inceperam, iiſdem opitulari, doctiſſimiſque viris probari cognoſceret. Augebat etiam moleſtiam, quod non adverſarium, & invidioſum reprehenſorem, ut eorum, qui in eamdem diſciplinam incumbunt, fere mos eſt; ſed conſortem potius laboris, & fautorem laudum mearum amiſeram: qui & me monendo, & errores meos notando, non exigua pars meæ laudis fuiſſet: ex quo Philoſophorum inſtitutis in parentis eum loco habere deberem. Nunc vero tali amico orbatus ſi aliquid aggredi volo, labaſcit animus victus dolore: & quo ma-

 gis

gis conor e memoria delere,eo dolor ex ejus recordatione proveniens acerbius recrudeſcit.

Nec vero ego dubitem quærenti, quid de amico ſentiam, reſpondere, talem fuiſſe, qualis apud mortales reliquus nullus eſt. Nam fide, conſtantia, pudore, integritate morum, pietate in Deum nemini concedebat. Multa etiam & recondita in illo Philoſophiæ, multa Mathematicæ, multa Theologiæ notitia. In Hiſtoria vero & omni antiquitate verſatus adeo, ut etiam de Sacra hiſtoria interrogatus, non eam modo in promtu teneret, ſed etiam verba Sacrorum codicum memoriter recitaret: poſſet etiam caput, & verſum, ſi opus eſſet, referre. Ad hæc Hiſpane, Gallice, Italice, & Latine loquebatur facile, & politiſſime ſcribebat: Græcam etiam, & Hebraicam linguam callebat: Arabicam vero deguſtarat. Quam ille fideliter e veteribus Græcis non nulla Latine reddidit! nec verba modo, ſed etiam ſententias accurate expreſſit: ut interpretem omnibus numeris abſolutum præ ſe ferret. Quam polite, & eloquenter orationes vel amicorum cauſſa, vel ad otium conſumendum conſcripſit! Quam acri judicio Scriptorum errores odorabatur, quamque amice eos, qui tale quid ab eo rogarent, erudiebat! Plane hæc ſunt admiranda. Sed illud, mea ſententia, admirabilius, quod tametſi tanta eſſet & eruditione, & judicio, tamen tam erat ab omni faſtu, & pædagogi ſuperbia, & maledicendi conſuetudine alienus; ut non modo non ſe oſtentaret, ſed ne umquam quidem aliquid in proprio nomine apparere, aut etiam ficto nomine edi permiſerit: immo ne ſe quidem laudari, aut nominari volebat; contentus alios opere, conſilio, ac doctrina juvare. Quod quantum laudis habeat in homine tanta doctrinæ copia expolito, viderint illi, qui tametſi levi aliqua eruditione tincti ſunt, ita ſe jactant & oſtentant, nulla habita ratione temporis,

ris, loci, auditorum; ut non riſum, ſed ſtomachum moveant viris doctis. Mihi ſane ita magnum illius ingenium videbatur, ut nihil omnino eſſet, quod ille, ſi vellet, efficere non poſſet, idque nullo negotio.

Sed quoniam acerbus dolor amici morte conceptus, ejus virtutibus percenſendis, exacerbatur quodammodo, temperabo a longiori narratione, & vulneris acerbitatem profundiſſimi ſcribendo lenibo. Obſequar ergo amici ſtudio defuncti: qui nihil prius habebat, quam me monere, ut ſcripta mea emittere inciperem: veſtriſque commodis, & utilitati quantum poſſem ſervirem: ac me ex tanto intervallo ad munus meum & penſum revocabo, & eam operis partem, quæ ſexto loco poſita eſt, quam breviſſime potero abſolvam. Ego vero te, amice, quem divino conſilio ab hujus vitæ ærumnis, & ab acerbiſſimo cruciatu ægritudinis ad perpetuam quietem, & beatum adſpectum ereptum eſſe arbitror, oro, & obſecro, mihi ſcribenti ne deſis: ſed Deum enixe roges, ut tantum mihi virium, & ingenii donet, quantum ſatis eſt, ut opus, quod incepi, facillime perſequi, & ad finem uſque perducere poſſim. Quod ſi facies, me tibi carum eſſe, & a te multum amari exiſtimabo.

Caput II.

De Sacris codicibus Veteris, & Novi teſtamenti.

De Theologiæ igitur auctoribus clarioribus diſputaturos res ipſa admonere videbatur, ut primum de Sacris codicibus, inexhauſto illo omnis Theologiæ fonte, diſſereremus. Et quamquam de hoc argumento graviſſimi Theologi hoc, & ſuperiori ſæculo doctiſſime copioſiſſimeque diſputarint, quorum ſunt in manibus lucubrationes æneis formis deſcriptæ; tamen aliqua nos hoc loco vobis

bis tradere conſentaneum judicavimus; ne hujus eruditionis penitus expertes, cetera, quæ deinceps dicturi ſumus, percipere nequeatis. Quare ea ex doctiſſimorum hominum ſcriptis in præſentia excerpemus, quæ ad finem, quem nobis in hoc libro ſcribendo propoſuimus, conſequendum ſatis eſſe videbuntur. Quod ſi reliqua cognoſcere deſideratis, auctores ipſos adeatis, qui in hoc argumento dilucidando ſumma cum omnium approbatione verſati ſunt. [1]

I.

I. Sacra Biblia ſeu Scriptura dividitur in Vetus, & Novum teſtamentum. Vetus continet hiſtoriam mundi, ac Iſraelitarum uſque ad Meſſiæ adventum: Novum complectitur vitam Chriſti, & Apoſtolorum facta. Vetus teſtamentum continet XXXXV. libros: Novum vero XXVII. quorum nomina in Vulgatis bibliis ordine ponuntur, ex iiſque facile cognoſci poſſunt. Hæc ex Catholicæ eccleſiæ fide, ac traditione habemus: quæ in Canone ſuo omnes hos libros ponit. [2]

Hos libros in quatuor claſſes Theologi dividunt: *Legales*, *Hiſtoricos*, *Sapientiales*, *Propheticos*. In Veteri teſtamento *Legales* ſunt, Pentateuchus. *Hiſtorici*, Joſue, Judices, Ruth, Reges, Paralipomenon, Eſdras, Tobias, Eſther, Job, Maccabæi. *Sapientiales*, Pro-

[1] *Horum catalogum dabit Le Long. in* Bibliotheca Sacra. *Interea legi poteſt Turre* Inſtitutiones ad Verbi Dei intelligentiam. *Serarius*, *& Bonfrerius* in Prolegomenis in Scripturam. *Lamy*. Apparatus Biblicus, *Dupinius* Prolegomena in Biblia, *ceteri*.

[2] *Ita habetur in* Tridentino Seſs. IIII. decreto de Script. Canon.

Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum, Sapientia, Eccleſiaſticus. *Prophetici*, Pſalmi, & reliqui Prophetæ. In Novo teſtamento *Legales* ſunt IIII. Evangelia. *Hiſtorici* Acta Apoſtolorum. *Sapientiales*, Epiſtolæ Paulli, Petri, Joannis, Jacobi, Judæ. *Prophetici*, Apocalypſis.

At Hebræi tantum XXII. libros Veteris teſtamenti referunt in canonem ſuum: [1] nam librum Ruth conjungunt cum libro Judicum: & Lamentationes Jeremiæ cum reliquis Prophetis. Verum alii Hebræi XXIIII. libros diſtincte admittunt. Eos Hebræi diſpertiunt in partes tres: *Legem*, *Prophetas*, *Hagiographa*. *Lex* continet V. libros Moſis. *Prophetæ* complectuntur eos, qui ſub Prophetarum nomine exſtant: [excipe Danielem, quem inter Prophetas non referunt] item Joſue, Judices, Reges, Ruth. *Hagiographa* ſunt, Job, Pſalmi, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum, Daniel, Paralipomenon, Eſdras, Eſther.

II.

Libri omnes Veteris teſtamenti Hebræa lingua conſcripti fuere, ſi excipias *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, *Tobiam*, *Judith*, *Maccabæos*, qui Græce exſtant: & quædam, quæ *Danieli*, & *Eſtheri* adjecta ſunt. Beatiſſimus Hieronymus ait, [2] *Tobiam*, & *Judith* ex Chaldæa lingua a ſe eſſe converſos: item vidiſſe ſe priorem *Maccabæorum* [3] Hebraice exaratum, nam ſecundum eſt Græcum:

---

[1] *Hieron.* in Prolog. Galeato.

[2] *Conferte illius* præfationes *ad ſingulos Scripturæ libros*.

[3] *Concilium Hipponenſe anno* 393. *canonem Scripturarum condidit. Poſtea Carthaginienſe III. anno* 397. *Hip-*

cum: item *Sapientiam* Hebraice exſtitiſſe. [1] *Eccleſiaſticum* vero ex Hebraica lingua converſum fuiſſe in Græcam, ejus prologus declarat. *Daniel* a verſu 4. capitis II. uſque ad totum caput VIII. loquitur Chaldæa lingua: item *Jeremias* in verſu 11. capitis X. Bona pars *Eſdræ*, nempe a verſu 8. capitis IIII. uſque ad verſum 27. cap. VII. Chaldæa eſt: nec ultra aliquid Chaldaicum habemus. In libro *Jobi* quædam voces Arabicæ ſe offerunt. Hæc autem lingua Hebræa pura & incorrupta nuſquam hodie niſi in Veteri teſtamento reperitur.

At omnes Novi teſtamenti conditores Græce loquuntur; ſi *Matthæum* tollimus, qui, Hebræa lingua, id eſt, Syro-Chaldæa [2] Evangelium exaravit. [3] Sed autographum deperditum eſt, nec niſi verſio Græca exſtat, quæ pro autographo habetur.

III.

Cum libri omnes Sacri non uno eodemque tempore in canone poſiti ſint, exſtitit, ut alii aliis maiori in veneratione fuerint: nec apud omnes Eccleſias eamdem auctoritatem obtinuerint [4] antea quam exploraretur, ab

---

Hipponenſem confirmavit: & in illo demum Sapientia, Eccleſiaſticus, Tobias, Judith, & Maccabæi additi ſunt. Quod etiam confirmavit Carthaginienſe IIII. anno 419. Item Gelaſius Papa anno 494. in concilio Romano.

[1] *Hieronym.* Præfat. in Opera Salomonis

[2] *Vide Dupinium* Prolegomen. Biblic. Tom.II. c.2. §. 3. *Quis vero fuerit auctor verſionis, ignoratur.*

[3] *Ita ſentiunt Bellarminus* de Verbo Dei L II. c. 7. & *Baronius* ad Ann. 34. *qui addunt etiam Paulli* Epiſt. ad Hebræos. *Sed hoc exploratum omnibus non eſt.*

[4] *Auguſtin.* de Doctr. Chriſt. L. II. c. 8.

ab Apoſtolorum diſciplina omnes fuiſſe profectos. Quæ cauſſa eſt, cur eos Catholici ad tres claſſes revocent, *Proto-Canonicos*, *Deutero-Canonicos*, *Apocryphos*. In prima claſſe ponuntur illi, de quibus numquam apud Catholicos dubitatum fuit, eſſentne divini, an ſecus. Hujuſmodi ſunt omnes illi Veteris teſtamenti libri, qui Hebraice ſcripti ſunt. Item Novum teſtamentum exceptis iis, quæ paullo poſt dicemus. Altera claſſis eſt eorum, qui tametſi divini, & canonici ſint, tamen dubitatum olim fuit, an ita eſſent: & pro canonicis ab aliquibus non habebantur: ſed inſtitutionis gratia legebantur in Eccleſia, & *Eccleſiaſtici* vocabantur. Ad hanc claſſem referuntur hi: additamentum ad librum *Eſther*, *oratio Jeremiæ*, liber *Baruch*; & quæ in Vulgata exſtant poſt caput XII. Danielis, nimirum *hiſtoria Suſannæ*, *oratio Azariæ*, *hymnus trium puerorum*, *Belis hiſtoria*. Item *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, pars *Eſther*, *Judith*, *Tobias*. Item *Marci* caput ultimum, Lucæ hiſtoria *de ſudore ſanguineo Chriſti*, & *apparitione Angeli*; Joannis hiſtoria *de muliere adultera*, Paulli *Epiſtola ad Hebræos*, *Jacobi Epiſtola*, *Petri Epiſtola ſecunda*, *Joannis ſecunda*, & *tertia*, *Judæ Epiſtola*, Joannis *Apocalypſis*. Ad tertiam claſſem ſpectant illi, qui licet poſt canonicos recenſeantur ac legi ſoleant, tamen in canone divinorum non ſunt, ſed adhuc dubitatur, divini ſint, an aliter: veluti oratio *Manaſſe*, tertius & quartus liber *Eſdræ*, tertius & quartus *Maccabæorum*, ceteri.

IIII.

I. Ex codice Hebræo librorum Veteris teſtamenti, de quo paullo ante diximus, plures verſiones factæ ſunt eorum gratia, qui Hebræam linguam non callebant.

bant. [1] Græcæ celebriores ſunt, de iis igitur primo dicemus. Hæ ſeptem omnino numerantur. Antiquior omnium eſt illa, quam *LXX. Interpretum* vocant. Hujus auctores faciunt aliqui ſeptuaginta duos ſenes: alii probabilius judicant, auctorem notum non eſſe. Ut ut eſt ante Chriſtum natum factam fuiſſe extra controverſiam eſt poſitum. Alteram fecit *Aquila* Ponticus circiter annum CXXX. Chriſti, Adriano imperante. Is primum Chriſtianus, deinde Judæus, plurima Judaica in ſua tranſlatione admiſit: tamen codicem Hebræum fere ad verbum transfert. Tertius eſt *Theodotion* Epheſinus ex Chriſtiano Hæreticus, ac demum Judæus, qui prope annum Chriſti CLXXXIIII Commodo imperatore, uti putant, aliam exaravit, quæ ad LXX. Interpretes multum accedit. Quarta eſt *Symmachi* Samaritani, qui cum ex Judæo Chriſtianus, ex Chriſtiano Ebionis diſcipulus factus eſſet, Hebræum textum convertit. Verum non verbum de verbo reddidit, ſed ejus ſententias expreſſit, idque circiter annum CC. Severo imperante. Quintam, & ſextam ſine nomine auctoris Origenes Hierichunte, & Nicopoli in quibuſdam doliis invenit. Fuiſſe ſeptimam aliam anonymam, ait Hieronymus. Et hæc de verſionibus Græcis.

II. Jam vero Origenes ex iis triplex opus compoſuit,

[1] *Hi libri ſine punctis vocalibus primum conſcripti fuere, & vera lectio traditione apud Judæos ſervabatur. Cum vero poſt Judæorum diſperſionem traditio aboleri inceperit, addita fuere puncta vocalia circiter initium VI. ſæculi, &, ut vulgo putatur, ab Judæis Tiberienſis academiæ. Hæc late perſequitur Elias Levita, doctus Judæus. Sed præter ceteros Ludovicus Capellus in* Arcano punctuationis Hebraicæ revelato, & *Morinus* in Exercitat. Biblic. Exercit. XVIII.

ſuit, quæ *Tetrapla*, *Hexapla*, *Octapla* vocata ſunt. *Tetrapla* complectuntur quatuor verſiones hoc ordine poſitas: primum Aquilæ, dein Symmachi, tum LXX. Interpretum, poſtremo Theodotionis, quatuor diſtinctis columnis expreſsas. *Hexapla* continent, præter quatuor verſiones illas, textum Hebræum, Hebræis, & Græcis characteribus depictum. *Octapla* vero ſex iſtis verſionibus addunt quintam, & ſextam Græcam, quas Origenes invenit, uti diximus ſupra. [1]

Præter editionem Origenis, aliæ a duobus conditæ ſunt, quæ magno habebantur in pretio. Altera erat *Luciani* Antiocheni presbyteri, & martyris, qui ſub Diocletiano, & Maximiano paſsus eſt. Hic LXX. Interpretes ad fidem Hebræi codicis emendatos edidit inito ſæculo IIII. quæ cum in aliquibus mutata eſset, verſio nova non nullis videbatur. Altera erat *Heſychii*, qui eoſdem libros Græcos quam emendatos vulgavit.

III. Præter Græcas aliæ ſunt verſiones Orientalibus linguis conſcriptæ. Prima eſt *Samaritana*. Nam cum Samaritani paullo ante Chriſtum, relicta idololatria, Judaicam religionem amplexarentur; haberent autem Pentateuchum Moſis tantum, eumque Hebræum, ſed Samaritano charactere exaratum; eum religioſe conſervarunt. Sed ab Hieronymi fere ætate uſque ad ſæculum XVII. vix Chriſtianis notus fuit: poſtea vero in eorum manus devenit: hodieque in Polyglottis Pariſienſibus, & Anglicanis exſtat. Ex hoc Pentateucho longe ante Chriſtum facta eſt verſio *Samaritana* lingua, id eſt lingua Chaldaica ſed Samaritana dialecto, quæ Samaritanis in uſu erat. Hæc una cum textu Samaritano edi ſolet. Utraque

[1] *Conſule Cl. Montfauconum* in Prolegomenis ad Origenis Hexapla.

que tamen ad intelligentiam Hebræi pentateuchi, & Vulgatæ Latinæ multum lucis adfert. [1]

IIII. Altera eſt *Syriaca* verſio, quæ omnium, quæ poſt Chriſtum factæ ſunt, antiquiſſima eſt. Lingua autem Syriaca reapſe eſt Chaldaica, ſed phraſi ac flexione ab ea interdum recedit. Hebræi enim in captivitate Babylonia linguæ domeſticæ obliti, Chaldaica loqui cœperunt. Verum cum eam non ita commode pronuntiarent, quin aliud Hebraicum retinerent, nata eſt tertia dialectus, quam vocarunt Syriacam: quæ pro diverſitate nationum, quibus ſerviebant Judæi, magis magiſque a Chaldaica receſſit, & diverſis idiotiſmis vitiata eſt. [2] Hæc apud Judæos obtinebat tempore Chriſti, & Hebræa vulgaris appellabatur, quod Hebræis ſive Judæis eſſet familiaris: immo etiam nunc obtinet apud Maronitas, ſeu Chriſtianos, qui in vicis ac pagis Libani montis, & Syriæ habitant. Hac itaque lingua facta eſt verſio quædam Veteris teſtamenti ex codice Hebræo, & Novi ex Græco fonte, qua utuntur Maronitæ in ſacris ſuis, & quam *ſimplicem* appellant. Præterea aliam translationem utriuſque teſtamenti ex Græco fonte expreſsam habent Maronitæ: quam ante mille annos factam fuiſse contendunt non nulli. Certe ex iis graviſſima argumenta ſumi poſsunt ad Hæreticos profligandos.

V. Præterea in alias linguas Orientales converſi ſunt codices Sacri, vel omnes, vel pars eorum aliqua: hujuſmodi ſunt *Arabica* verſio, *Æthiopica*, *Perſica*, *Armena*, *Illyrica*, *Coptica*, de quarum auctoritate, & antiquitate vel plane non conſtat, vel ita conſtat, ut ad inlu-

[1] *Vide Joann. Morinum* Exercitat. in Pentateuchum Samaritanum.

[2] *Vide Ludovicum de Dieu* Præfat. ad Grammatic. Linguar. Orientalium.

inluſtrandos veteres codices fere nihil conferant. [1] His addi poſsunt Occidentales, *Italica*, *Hiſpanica*, *Gallica*, *Germanica*, *Hungarica*, *Polonica*, *Belgica*, *Hibernica*, ceteræ, quæ ad id, quod quærimus, nullius uſus ſunt. [2]

VI. Reſtant *Chaldaicæ paraphraſes*, quæ poſt captivitatem Babyloniam eo conſilio conditæ ſunt, ut opitulari poſsent Judæis, qui veterem illam Hebræam Bibliorum vix aut nullo modo intelligebant: adeo ut doctores Judæi coacti eſsent Legem, & Prophetas in Synagogis Chaldaice populo explanare. [3] Hæc tamen ut facilius eorum præceptores efficerent, interpretationes & paraphraſes Chaldaica lingua conſcripſerunt, quæ Chaldaice vocantur *Targum* in ſingulari, in plurali vero *Targumim*, quod Latine redditur *interpretatio*. Tres hujuſmodi exſtant celebriores Paraphraſes: in *Pentateuchum*, in *Prophetas*, in *Hagiographa*. Prima auctorem habet *Onkeloſum*, qui paullo ante Chriſtum vixiſſe putatur. Altera condita fuit a *Jonathane Ben Uziel*, qui fuit æqualis *Onkeloſi*. Hic Priores, & Poſteriores Prophetas, Daniele excepto, interpretatus eſt. Exſtat præterea Paraphraſis in Pentateuchum ſub nomine Jonathanis, ſed recentioris longe auctoris eſt. Tertia Paraphraſis in Hagiographa tri-

[1] *Confer Dupinium in* Prolegomen. Biblior. *L. I. c.* 8. *& Simonium* Exercitat. Critic. c. 22. *ſeqq. & in* Hiſt. Cr. Veter. teſt. L.II. c.22. *& in* Hiſt. Critic. Novi teſt. *Huetium de* Interpr. Claris L. II.

[2] *Vide Waltonum in* Prolegomen. ad Biblia Polyglotta Londinenſia, *qui de iis copioſe differit*.

[3] „ *A diebus Eſdræ conſueverunt Judæi habere interpretem, qui populo id interpretetur, quod lector* „ *ex lege prælegit*. Maimonides *Hilch. Tephi. L. I. cap.* 12.

tribuitur cuidam *Joſepho* cæco, vel luſco, ſed fortaſſe plurimi auctores fuere. Præter has aliæ exſtant *Paraphraſes Chaldaicæ* in alios Bibliorum libros, ſed certæ antiquitatis non ſunt. [1] Porro harum Paraphraſium notitia admodum neceſsaria eſt noſtris, qui ex iis & textum Scripturæ inluſtrare, & adverſus Judæos validiſſima argumenta promere poſsunt. [2] Nam primum plura loca interpretantur de Meſſia, quæ hodierni Judæi alio intellectu accipienda eſse contendunt: quod argumento eſt ante Chriſtum aliquas ſaltim exaratas fuiſse: vel ſi poſt, doctrinam, quæ ante Chriſtum vigebat, expreſſiſse: non enim aliquid tale a poſterioribus Judæis ſperari poterat. [3] Deinde tantæ auctoritatis apud Judæos ſunt *Targumim*, præſertim Onkeloſi, & Jonathanis, ut fere eas Hebræo textui exæquare videantur. Idcirco a peritis Theologis magni fiunt ejuſmodi *Targumim*.

VII. Ve-

---

[1] *Octo in præſentia exſtant* Targumim. 1. Onkeloſi *in Pentateuchum*. 2. Jonathanis Ben Uziel *in eos, quos Prophetas nominant Judæi*. 3. *In Pentateuchum ſub nomine ejuſdem* Uzielis. 4. *In Pentateuchum, ſed dialecto Hieroſolymitana exarata, quam vocant* Targum Hieroſolymitanum. 5. *In libros* Meghilloth, *id eſt, in Ruth, Eſther, Eccleſiaſten, Canticum, & Lamentationes Jeremiæ*. 6. *Alia Targum in* Eſther. 7. *Targum* Joſephi cæci ſeu luſci *in Job, Pſalmos, & Proverbia*. 8. *In* Paralipomena. *De Eſdra, Nehemia, & Daniele non exſtat* Targum. *Vide Humfredum Prideaux, in* Concordia Veter. & Novi Teſtam. P. II. L. 8. *& in* Hiſtor. Judæorum P. II. L. 16. *Vide etiam Morinum laudatum, qui de iis eruditiſſime diſputat*.

[2] *Confer Lucam Brugenſem* Epiſtola ad Candidum.

[3] *Vide Brian. Walton.* in Appar. Biblico prolegom. XII. §. 14. *& Prideaux Libro ultimo loco laudato*.

VII. Venio ad *Latinas* verſiones: quæ primis Eccleſiæ ſæculis tot numero exſtiterunt, ut vel ipſo fatente Auguſtino [1] enumerari vix poſsent. Harum una præſtantior habebatur, quæ ab Auguſtino *Itala* [2] ab Hieronymo *Communis*, & *Vulgata* nominatur, quæ ex Græco deducta erat. Verum cum Hieronymus in ea multa emendatione digna animadverteret, primum *Latinam* verſionem Veteris teſtamenti ad fontes Græcos exegit & emendavit: immo vero aliquos libros, & Pſalterium nove convertit, quæ verſio periit. Deinde *Pſalterium* Latinum ex Lucianea LXX. Interpr. editione, auctore Damaſo papa, emendavit. Poſtremo cum in eremum Bethlemiticam ſecederet, aliam verſionem Veteris teſtamenti ex Hebræo fonte aggreſſus eſt: omneſque libros, qui Hebraica lingua exſtabant, & ab Judæis in canone ponuntur, etiam *Judith*, & *Tobiam*, Latine convertit: qui vero Græce legebantur, ut *Sapientia*, *Eccleſiaſticus*, *Maccabæi*, *Baruch*, *Epiſtola Jeremiæ*, *additamenta ad Eſtherem*, & Danielis *duo ultima capita*, & *canticum trium Puerorum*, quæ Hebraice non exſtabant, non convertit, ſed Italam veterem intactam reliquit. Ex hac verſione Hieronymi ſuperſunt hodie liber *Pſalmorum*, & *Prophetæ*, qui inter opera ipſius leguntur. Tanta autem fide in iis ſe geſſit Hieronymus, ut ipſi homines Judæi ejus verſionem Hebræo textui conſentaneam eſſe defenderint: immo & Græci eam in Græcum ſermonem verterunt. Latinis vero pleriſque diſplicuit, qui ex LXX. Interpretum verſione Latinam Italam expreſſam, eamque Apoſtolorum uſu conſecratam, ceteris anteponendam eſſe judicabant. [3] I i At

[1] De Doctrin. Chriſt. L. II. c. 2.

[2] „ *Itala ceteris præfertur*, *nam eſt verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ* ibid. c. 15.

[3] *Conſule Auguſt.* Epiſt. XIX. ad Hieron.

At Hieronymi obitu deferveſcente invidia, tum Nova, tum Vetus illa verſio Latina eadem auctoritate excepta eſt: quod fine VI. ſæculi obtinebat: [1] immo vero paullo poſt Nova verſio prælata eſt Italæ vetuſtiori, & appellari cœpit *Vulgata*. Verum neſcio quo modo ex utraque illa verſione facta eſt verſio *Vulgata*, quam nunc habemus: quæ partim ex Itala veteri, partim ex verſione Hieronymi compoſita eſt. Nempe librorum, quos Hieronymus in ſermonem Latinum non tranſtulit, de quibus ante dictum eſt, verſio Vetus manet intacta in bibliis *Vulgatis*. Item Pſalmorum verſio in *Vulgata* noſtra non eſt illa, quam Hieronymus ex Græco, aut Hebræo integre convertit; ſed illa, quam ipſe ex LXX. Luciani emendavit. Item Libri Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Maccabæorum non ſunt Hieronymi, ſed ex antiqua verſione anonyma. Hos ſi excipias, reliqui libri ſaltim maiori ex parte Hieronymi ſunt: dico maiori ex parte, nam quædam in *Vulgata* reperiri, quæ non ſunt Hieronymi, ex ejus commentariis plane conficitur, ubi alio modo legitur. Ut videatur dicendum, Latinam *Vulgatam* non modo ex verſione Hieronymi, ſed etiam ex aliis, præſertim ex *Itala* vetere, conflatam fuiſſe. Quo tempore, vel auctore, neſcimus: illud certo ſcimus, ex plurimis coaluiſſe.

Porro Vulgatam noſtram Tridentini PP. *authenticam* declararunt, ſanciveruntque ut nemo eam quavis de cauſſa rejicere auderet. [2] Non eam Græco, ac Hebræo codici anteponendam eſſe dixerunt, vel fontes ipſos

[1] *Gregor. Magn.* Epiſt. ad Leandrum, p. libr. Moralium.

[2] *Seſs. IIII. can.* 2.

ipſos damnarunt; [1] ſed tantum ceteris Latinis verſionibus præferendam eſse declararunt: [2] hoc eſt, in iis, quæ ad fidem, moreſque ſpectant, hanc præter ceteras Latinas veram, puram, & autographo magis eſſe conſentaneam finiverunt. [3] Sua tamen ſtat fontibus auctoritas, ex iiſque in rebus dubiis & obſcuris; in phraſibus, & proverbiis, & idiotiſmis exponendis; tum etiam in locis librariorum oſcitatione vitiatis inluſtrari poſſunt Vulgatæ plurima loca. Præſertim vero LXX. Senum verſio maximo ſemper in honore habita eſt. Hac Apoſtoli, & Evangeliſtæ uſi ſunt, [4] eaque naſcentis Eccleſiæ fidem confirmarunt. Hanc Veteres epiſcopi in ore ſemper habuerunt, ſcriptis inluſtrarunt, & Hebræo fonti magis conformem eſſe judicarunt. Hac eccleſia Græca a prima ætate ſacra fecit, & etiam nunc facit, conſentiente eccleſia

[1] „ *Liberum reliquit*, Concilium, *omnibus, qui „ ſcripturas Sacras profundius meditantur, fontes Hebræos, & Græcos, quatenus opus eſt, conſulere, quo „ noſtram Latinam, vitio librariorum, vel temporum „ injuria corruptam, emendare valeant*. Salmero *Prolegom. 2. in Biblia. Confer. Andream Vegam* in Concil. Trident. L. XV. c. 9.

[2] „ *Nullam fontium mentionem faciunt* [Patres] „ *ſed ſolum ex verſionibus Latinis, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt; quam ceteris anteponerent*. Bellarminus *de Verbo Dei ſcripto L. II. c.* 1.

[3] „ *Eccleſia certos nos reddere voluit, in iis præ„ ſertim, quæ ad fidem, & mores pertinent, nulla eſſe „ in hac verſione interpretum errata . . . . ſed tuto poſſe „ Fideles, & ſine periculo huic verſioni confidere*. Bellarminus *ibid. cap.* 2.

[4] *Irenæus L.III. c.25. Hieronymus* Præfat. in Evangelia.

ſia Latina. Hanc Sixtus V. Pont. Max. ex Vaticano codice quam emendate edi curavit, & auctoritate ſua roboravit. Id ipſum de Hebræo codice dicendum eſt, proportione ſervata. [1] Quod eorum gratia dictum ſit, qui ut ſtudium Græcæ, & Hebrææ linguæ reprehendant, ad hoc decretum Tridentinæ ſynodi confugere ſolent: quos merito carpit laudatus Bellarminus.

Sed antequam finem faciam, illud tirones monere non alienum erit, librorum, quos in Canonem ſuum eccleſia Romana refert, quoſdam ab Hæreticis præſertim recentioribus vel integros, vel ex parte rejici ſolere, & pro Canonicis ac divinis non haberi. Hujuſmodi ſunt in Veteri teſtamento libri *Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſtis*, *Eccleſiaſtici*, *Cantici Canticorum*, *capita quædam Danielis*, liber *Jobi*, *Eſtheris*, *Pſalmorum*, & libri duo primi *Maccabæorum*. Ex Novo teſtamento *Epiſtola Paulli ad Hebræos*, *Epiſtola Jacobi*, *Petri Epiſtola II.*; *Joannis Epiſtolæ III.*, *Judæ Epiſtola*. Nec id ſolum, ſed etiam contra Evangelium *Matthæi*, & *Marci* quædam opponunt Anabaptiſtæ, qui in hoc, ut in ceteris, a Veteribus hæreticis ſtultitiæ hereditatem acceperunt. Et de Sacris codicibus ſatis dictum. [2] Nunc ea, quæ dicenda ſuperſunt, expediamus.

CA-

---

[1] *Vide Melchior. Canum* de Locis Theologic. L. II. cap. 15.

[2] *Qui de hac materia ſcripſerunt, totum hoc argumentum copioſe perſecuti ſunt. Plures eorum adduximus, ut Dupinium, Simonium: ceteros ex Le Long.* Bibliotheca Sacra *P. II. cognoſcere poteſtis, ubi omnes, qui de quavis Bibliorum parte libros ediderunt, accuratiſſime percenſet.*

CAPUT III.

De celebrioribus Eccleſiæ Patribus uſque ad X. ſæculum.

PAtrum nomine, ut vobis exploratum eſſe confido, cenſentur Veteres illi, qui poſt Apoſtolorum ætatem, id eſt primis Eccleſiæ ſæculis, inſigni doctrina, ac pietate floruerunt, & in communitate cum eccleſia Catholica diem ſuum obierunt: tum demum eam non modo editis libris, ſed etiam exemplo erudierunt, formarunt, roborarunt: quorum ea de cauſſa in Eccleſia ſcripta laudantur, & memoria in benedictione eſt. [1] Sed hæc acceptio ſtricta eſt, & Veteres epiſcopos tantum, qui ſex primis Eccleſiæ ſæculis vixere, complecti videtur. At hoc loco Patrum nomen latius patet, & ad eos etiam pertinet, qui poſterioribus ſæculis tamquam ſtellæ fulgentiſſimæ in Eccleſia reſplenduerunt. Hi autem tanto in numero ſunt, ut eos enumerare velle, atque de iis ſeparatim diſputare, longum eſſet, & a conſilio operis alienum. Quare de iis tantum non nihil dicemus, qui litterarum nomine præter ceteros prædicantur, & utilia ſcripta nobis reliquerunt.

Sed ante quam id facio, illud monere conſentaneum erit, non eſſe hoc loco ſermonem de Patrum methodo, ac ratione diſputandi in Theologia: propterea quod ex iis,

[1] *Referuntur etiam inter Patres, Tatianus, Tertullianus, Origenes, Euſebius Cæſarienſis, Rufinus, alii, qui in Sanctorum album relati non ſunt, immo vero non conſtat, an in Eccleſiæ ſinu obierint: non quod re vera pro Patribus, & Doctoribus in Eccleſia habeantur; ſed quod vaſtiſſima eruditione ſua, & etiam antiquitate commendantur, & ex iis utilia multa ſumi poſſunt.*

iis, quæ de Patrum philoſophia diximus, [1] ſatis id conſtat. Cum enim Patres, quod jam ſæpe monuimus, non dedita opera de Philoſophia diſputarent, ſed in explananda Orthodoxa doctrina, & adverſariis profligandis occuparentur toti; planum fit, ea, quæ de Patrum philoſophia ſuperioribus libris diſſeruimus, ad Theologiæ tractatus referri debere. Præterea cum in hiſtoria Theologiæ ordine ac diſtincte narraverimus, qua ratione Epiſcopi ac Doctores ſingulis Eccleſiæ ſæculis uſque ad finem ſæculi X. Sacram doctrinam tractarint; non opus eſt, ut eadem repetamus. Quare ſatis erit in præſentia, qui ſingulis ſæculis præſtiterint Patres, & quibus ſcriptis Theologicis nobilitati fuerint, demonſtrare.

SAECULUM II.

Qui ſæculo ſecundo ſcripſere Patres, ut *Juſtinus*, *Athenagoras*, *Theophilus*, *Tatianus*, *Minutius*, *Clemens Alexandrinus*, ceteri fere omnes contra Gentiles, aliquando vero contra Judæos ſcripſerunt pro veritate Chriſtianæ religionis. De iis autem jam diximus: Duo ſuperſunt: alter eſt Irenæus, de quo prima parte locuti ſumus: alter Tertullianus, de quo breviter dicendum eſt.

Tertullianus igitur Carthaginienſis fine II. ſæculi Chriſto nomen dedit, & presbyter conſecratus, plurima pro fide Orthodoxa contra Gentiles, & Judæos, & Hæreticos lucubravit, ac mores corruptos ſui ſæculi emendare adortus eſt. Verum Montaniſtarum artibus deluſus, aliquot contra certa dogmata libros divulgavit. Incertum etiam, an Catholicus obierit. Eorum, quæ pro Orthodoxa eccleſia ſcriptorum lucubravit, laudantur libri

[1] *Parte I. L. I. c. 10. & L. III. c. 2.*

libri *Præſcriptionum adverſus Hæreticos*, in quibus Eccleſiæ cauſſam accurate agit contra eos. Item libri aliquot contra errores Philoſophorum, velut Hermogenis, Marcionis, Praxeæ, ceterorum. Plurimum etiam laudatur ab omnigena eruditione, & ſacra, & profana, qua valebat. Verum, quod dolendum, ipſe doctiſſimus vir pergrandes errores admiſit in pleriſque ſcriptis, quæ propterea caute legenda. Reprehenditur etiam in eo, quod acri judicio interdum caret: quod adverſarios copia rationum obruit magis quam docet, & perſuadet: quod declamatorem magis agit, quam Philoſophum, & didaſcalum: quod dicendi genere turgido, duro, & inconcinno utitur, & propter inſolentes voces obſcuro: ut Afrum nullo negotio loqui cognoſcas.

SAECULUM III.

Thaſcius Cæcilius Cyprianus Carthaginienſis, vir doctiſſimus, & ſanctiſſimus, ſub Valeriano, & Gallieno pro Fide paſſus eſt. Plurima reliquit ſcripta, quibus & morum innocentiam ſuaſit, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſuo ſplendori reſtituit. Item Gentiles adgreſſus eſt libro *de Idolorum vanitate*, & etiam Novatianos. Laudat in eo Lactantius ornatum in eloquendo, facilitatem in explicando, & in perſuadendo vim: addere poſſet, modeſtiam, gravitatem, pietatem, qua Pontificem loqui, & martyrio deſtinatum vel primo adſpectu cognoſcas. Stilus pro ſæculo, quo vixit, ſane eſt tolerabilis: ſed longe a maieſtate Tulliani ſermonis abeſt.

SAECULUM IIII.

Athanaſius Alexandrinus, clariſſimus Orientalis eccleſiæ doctor, iſque omni litterarum genere expolitus,

 vitam

vitam omnem debellandis adverſariis noſtris conſumſit. Nam & Gentiles confregit, & contra omnes hæreſes breviter ſcripſit, & Apollinariſtas, ac Samoſatenianos fuſius confutavit. Sed præſertim Arianos totis voluminibus perfregit: adeo ut unus ad ejuſmodi Hæreticos penitus labefactandos ſuffecerit *Athanaſius*. Laudant in eo viri docti perſpicuitatem, ſuavitatem, vim, & copiam dicendi. Tum peritiam Dialecticæ artis, & in diſputando moderationem, ac judicium: nam tametſi dextere & perite ex Scriptura, & Traditione argumentando adverſariorum argumenta infirmaverit; tamen numquam ſe jactat, aut oſtentat: nec ſyllogiſmorum artificium, aut ſubtilitates Dialecticas pueriliter præ ſe fert, ſuo argumento unice intentus, quod mira arte ac ingenio perſequitur. Laudatur etiam ab Scripturarum eruditione, qua multum ceteris antecellit. Quare inter Polemicos theologos IIII. ſæculi primum locum tenet. Deſideratur tamen in eo linguæ Hebrææ notitia.

Epiphanius Phœnicius, Salaminis epiſcopus, vir fuit quinque linguis excultus, atque in Sacris, & Profanis ſcriptoribus bene verſatus. Scripſit contra Hæreſes LXXX. *Panarium*, in quo Veterum fragmenta inſignia, & magna pars hiſtoriæ Eccleſiaſticæ continetur. Utiliſſimum ſane opus: nam & hiſtoriam hæreſum condit, & eas ſtrenue profligat. Quædam tamen in eo requirunt & veteres, & recentiores Catholici: aiunt enim, beatiſſimum virum, quod eſſet magno candore, atque animo aperto & ſimplici præditus, multa credidiſſe, quæ vera non ſunt. Item in argumentis non nullis acre judicium non adhibuiſſe. Scripſiſſe etiam ſtilo ſimplici, abjecto, aſpero: ita ut in ejus ſcriptis emendatum ſermonem, & eloquentiam fruſtra requiratis. Hæc tamen plurimis aliis virtutibus vir doctiſſimus redemit.

Baſilius Cappadox, Cæſarienſis epiſcopus, tam ſingulari

gulari fuit & eloquentia, & doctrina; item tam acri judicio ac ſollerti præditus, ut merito ſuo nomen *Magni* una omnium approbatione adeptus ſit. Sed præſertim eloquentia ab omnibus commendatur: & ſi Photii judicio ſtandum eſt, Demoſthene, ceteriſque Oratoribus inluſtribus haud inferior eſt habendus: ſin autem Eraſmi, Græcis oratoribus longe præſtat, vitiiſque eorum caret. Certe in omni litterarum genere, ac ſtili varietate mire eſt diſertus. Sive enim Scripturam exponat, ſive Panegyricos ſcribat, ſive Polemicos libros componat, ſive Morales ſermones, & Aſceticos exaret, tam pure ac eleganter, tamque apte ſcribit, ut quid amplius requiri poſſit non videam. Et, quod mirabilius, tametſi tanta in eo & artis, & Philoſophiæ peritia occurrat, quanta maxima occurrere poteſt; nulla oſtentatio & ſignificatio appareat artis, nulla ſcientiæ. Laudantur præ ceteris ſcriptis ejus *Homiliæ in Hexaemeron*.

Gregorius Nazianzenus Theologi cognomen ob acumen, quo de rebus divinis philoſophatur, habuit. Magna eruditio, & facundia, & ſanctimonia in *Orationibus* ſuis apparet. Oratio ejus nativa, ſuavis, facilis, jucunda videtur. Sententiæ acutæ & breves; ſed ſublimes & graves adeo, ut Eraſmus dicat, vix aut nullo modo in alias linguas converti commode poſſe. In tanta tamen dicendi peritia, illud viris Rethoricæ artis peritis non placet, frequentes antitheſes, alluſiones, comparationes, quæ vim orationis enervare videntur.

Joannes Chryſoſtomus Antiocheæ natus, omni fere diſciplinarum genere excultus fuit: quibus non ad pompam uſus eſt, ſed eas coegit ſervire pietati. Tanta autem valuit eloquentia, ut flumen aureum merito ſuo nominaretur, id enim ſonat *Chryſoſtomus*. Illud autem in hoc homine mirabile, quod miram dulcedinem, & amœnitatem dictionis præ ſe fert, & omnia ad populorum aures

res accommodat adeo, ut nullus magis aut erudiat, aut placeat auditori: adeoque in *Homiliis*, ſi quis alius, excellit. Scripturam Sacram feliciter interpretatus eſt: ejuſque interpretationes in Orientali eccleſia ceteris præferebantur: in Occidentali vero magni fiebant. Sunt tamen viri docti, qui putent, eum in aliquibus redundare, & in digreſſionibus multum videri.

Ad Latinos venio, in quibus primus ſe offert *Hilarius* Aquitanus, Pictavienſis epiſcopus, qui primus inter Latinos Catholicæ fidei explanationem, defenſionemque adverſus Arianos ſuſcepit. Vir fuit ſingulari eruditione ornatus, magnæ eloquentiæ, acriſque judicii. Quibus dotibus quantum valeret, oſtendit in *Libris XII. de Trinitate*, in quibus, ut ait Hieronymus, [1] duodecim Quinctiliani libros & ſtilo imitatus eſt, & numero. Quare inter optimos Polemicos referri debet. Laudatur etiam ab *Commentariis in Matthæum*, & *in Pſalmos*. Verum in tanto eruditionis apparatu aliqui nævi ſe offerunt, quos viri acerrimi ingenii diligenter adnotarunt. Nam primum linguæ Hebrææ ignarus, in Græca mediocriter verſatus erat. Deinde obruit magis lectorem ſuum, quam docet. Præterea periodis & longis, & intricatis abundat, ex quo incredibilis naſcitur obſcuritas, præſertim in quibuſdam locis. Præterea frequens eſt in figuris, & antitheſibus: in phraſi vero nimis elaboratus. Ad extremum utitur vocibus & novis, & barbaris: adeo ut a munditia, & facilitate Tullianæ dictionis toto cælo abſit.

Ambroſius ſeu Romanus, ſeu Trevirenſis, ſeu Arelatenſis, Liguriæ, & Inſubriæ primum præſes, deinde vero Mediolanenſis epiſcopus creatus eſt. Platonicæ philoſophiæ haud ignarus, Græci vero ſermonis callentiſſi-

[1] Epiſt. ad Magnum.

tiſſimus, & varia doctrina inſtructus feliciter Hæreticos aggreſſus eſt. In omnibus ſuis ſcriptis pietatem, gravitatem, jucunditatem miram ſpirat. Feliciter ex Græcis patribus præſertim ex Baſilio in ſua ſcripta plurima derivavit, idque ſummo judicio. Antecellunt *Hexaemeron*, & *LL. de Fide*, *&* *Trinitate ad Gratianum*, in quibus tam perſpicue obſcura Arianorum argumenta exponit, tamque perite & accurate diſſolvit, ut nemo eorum, qui tale quid præſtiterunt, ei ſit comparandus. Item *Commentarii in Lucam*, ubi magis Hiſtoricum ſenſum, quam in ceteris expoſitionibus, perſequitur. Verba ejus bona, ſed ſtilus ſæculum ſuum prodit: nam periodis brevibus, ſententiis argutis utitur: ut Senecam aliquem de re Chriſtiana diſputantem te audire dicas.

SAECULUM V.

Aurelius Auguſtinus Tagaſtæ in Numidia natus, Hipponenſis epiſcopus, de quo jam prima parte [1] mentionem fecimus, magnam virtutum copiam ad Theologiam tractandam adtulit: nam & ingenio acri præditus erat, & Sæcularibus litteris inſtructus, & in Sacris ſcripturis doctiſſime eruditus. Ad hæc in arte diſputandi multum verſatus. Tanta autem erat animi moderatione, ut etiam a procaciſſimis Hæreticis laceſſitus, ab omni maledicto temperaret. De ſe autem ita modice ſentiebat, ut errata ſua plane fateri non dubitarit: immo cum in libris de *Doctrina Chriſtiana* dotes enumeraret germani interpretis Scripturarum, ſe plurimas non habere, ingenue faſſus eſt. Quamvis eruditione cum Hieronymo, aut Origene comparari non poſſet, tamen ſubtilior Hieronymo, magis ordinatus Origene erat. Verbo dicam, in

[1] *L. III. c. 2.*

in Fidei dogmatibus diſcernendis, exponendiſque accuratiſſimus erat: in adverſariis refellendis mira arte valebat: ad monita vero vitæ recte inſtituendæ tradenda factus videbatur. Ex libris ejus laudantur, quos contra Paganos, Donatiſtas, Pelagianos, alioſque Hæreticos lucubravit: tametſi in libris duobus *de Geneſi adverſus Manichæos*, qui abſoluti non ſunt, felix non fuit. Item libri *de Doctrina Chriſtiana*, in quibus Exegeticum, & Homileticum theologum informat. Item libri *de Civitate Dei* contra Paganos. In Novi teſtamenti parte aliqua exponenda felicior fuit.

Sunt tamen aliqua, quæ in eo cenſores & pii, & eruditi deſiderant: quæ ſi habuiſſet, quem nos cum Auguſtino conferre poſſemus? Primum linguæ Hebrææ ignarus erat: Græcam vero minus quam mediocriter ſciebat. Ex quo in Commentariis in Scripturam punctum non tulit: præſertim in libro inperfecto *in Geneſim*, & *in Pſalmos*: ubi ex inperitia linguarum ad allegorias deflectit, quod ipſe ingenue fatetur. Præterea non nullis præjudiciis ſcripta ſua aliquando infuſcat. Item in pleriſque ſuis ſcriptis obſcurus eſt. Ciceronianam autem dictionem nec adfectavit, nec habet.

Hieronymus Stridonenſis, omni diſciplinarum genere & Sacrarum, & Profanarum adeo eruditus fuit, ut in eccleſia Græca pares paucos habeat, in Latina vero neminem. Ad hæc Hebræam, Chaldæam, Græcam, & Latinam linguam callebat, & incredibili valebat eloquentia. Cumque & indefeſſus eſſet, ac longa vita uſus, & interpretes omnes Hebræos, Græcos, ac Latinos legiſſet, omnino erat aptus qui Scripturam recte interpretaretur: adeo ut Veterum doctorum non alius tot præſidiis ad eam interpretandam fuerit munitus. Quare in Litterali ſenſu exponendo una cum Chryſoſtomo primas tulit. Præterea ſcripta Polemica præſtantiſſima nobis reliquit

quit contra Jovinianum, Helvidium, Vigilantium, ceteros. A nemine non laudatur Hieronymus: quædam tamen in eo requirunt doctiores Catholici: nempe exiſtimant eum, ut erat fervidi temperamenti, in quibuſdam modum non tenere: adeo ut mentem ſuam clarius exponere aliquando coactus fuerit. Ad hæc utitur interdum ſtilo declamatorio: & quamvis munditiem orationis habeat, tamen in Polemicis ſcriptis a didactico dicendi genere aliquando recedit. Tamen poſt Lactantium, ab eloquentia Latina multum laudis habet.

Theodoretus Antiochenus, epiſcopus Cyrenſis, recondita eruditione, judicio limato, & Attica eloquentia nobilitatus, præclarum ſibi nomen fecit in Oriente. Plurima reliquit ſcripta, quibus & Sacram ſcripturam expoſuit, & hæreſes aliquas refutavit, & alia multa conſcripſit. Sed præſertim in Divinis litteris interpretandis enituit ejus induſtria: quas ad verbum multo preſſius ſequitur, quam ceteri patres Græci. Etiam in hiſtoria Eccleſiaſtica conſcribenda palmam tulit. Tanta vero elegantia, tanta perſpicuitas, is lepos in ejus ſcriptis apparet, ut Joannem Chryſoſtomum, quem ſibi imitandum propoſuit, omnino reddere videatur. Hæc laudant: plurima vero in eo reprehendunt doctores, quæ late perſequitur Garnerius Jeſuita, & Richardus Simon. Quod errores Theodori præceptoris defenderit: quod in Cyrillum Alexandrinum contumelioſius aliqua dixerit: quod plurima inutilia ſuis Quæſtionibus admiſcuerit: quod in Chronologia interdum labatur. Cetera prætерire ſatius duco, quam doctiſſimum hominem tanta reprehenſionum mole onerare.

Cyrillus Alexandrinus patriarcha, vitæ ſanctitate mirabilis, ad certamina cum Hæreticis natus videbatur: nam & præſtanti doctrina, & interiori Theologia ornatus erat, & in Dialectica arte bene exercitatus, & magno adver-

adverſus eoſdem zelo ardebat. Laudatur vehementer *Theſaurus de S. Trinitate* contra Arianos, & Eunomianos: item libri *contra Neſtorium*, & *contra Julianum*, in quibus has duas peſtes eruditiſſime confutavit.

Vincentius Gallus, monachus Lerinenſis, Divinis litteris eruditus, Sæcularium vero haud ignarus, *Commonitorium* edidit adverſus hæreſes, non ſuo nomine, ſed *Peregrini*, quo viam munit ad Hæreticos quoſcumque refutandos: nempe docuit eſſe confugiendum ad Traditionem eccleſiæ Catholicæ, ſeu certam normam controverſiarum de Fide, viamque tutiſſimam Hæreticos profligandi. Qua de cauſſa magno ſemper in pretio habitus fuit.

SAECULUM VI.

Hoc ſæculo primus ſe offert *Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius* Romanus, de quo alio loco fuſius commemoravimus, vir ſummo loco natus, & omni diſciplinarum genere eruditus: nam & Logicus fuit, & Mathematicus, & Theologus, & Orator, & Poeta; Græce, ac Latine doctus. Multa lucubravit, in quibus & acre ingenium, quo valebat, & eximia eruditio elucet. Sed palmam ferunt *Libri V. de conſolatione Philoſophiæ*, quos exul Ticini conſcripſit: quibus nihil venuſtius vel illud, vel præcedens ſæculum vidit. In ſoluta vero oratione ſatis inperitiam ſui ſæculi oſtendit. Scripſit etiam contra Eutychetem, & Neſtorium.

Marcus Aurelius Caſſiodorus ſenator Romanus, vir fuit Divinis, & Sæcularibus litteris apprime doctus: &, ut erant illa tempora, eloquens ſatis. Scripſit multa. Primum Exegetica in Scripturam, quæ præſertim ex Auguſtino decerpſit. Deinde Grammatica, & Hiſtorica. Sed præ ceteris laudantur libri *Inſtitutionum Divinarum*, in

in quibus ſe in Sacra critica verſatum eſſe demonſtrat: tum etiam legiſſe ea, quæ Veteres epiſcopi ad theologiam Exegeticam pertinentia ſcripſerunt, & hiſtoriam antiquiorum Interpretum: ex quo multa utilia pro ſæculi moribus ſumi poſſunt. Ex dictione vero eum ſexto ſæculo ſcripſiſſe, aperte cognoſcitur.

Gregorius I. pontifex Maximus, cognomine *Magnus*, hoc ſæculo labente floruit: quod non minus ſanctitate, quam doctrina, celebre fecit. Scripta ejus Exegetica ſatis nota ſunt. In iis Litteralem ſenſum non perſequitur, ſed ad Moralem plerumque ſe confert; quod populorum inſtitutioni magis accommodatus videretur: nam ad formandos, emendandoſque mores hic Pontifex factus videbatur. Ex illius ſcriptis præſtant libri *Dialogorum*: quos qui legent, multum ſe profeciſſe fatebuntur. Sunt quæ in ſummi viri ſcriptis docti aliqui Catholici non laudent: nimirum quod litteralem ſenſum neglexerit: quod in Commentariis nimis interdum ſit longus: quod illius oratio fluat luculenter: quod ob ſimplicitatem & candorem facile fidem habuerit ſcriptis, quæ plura falſa contineant: cetera hujuſmodi. Sed hæc ætatis vitia ſunt, non hominis: & cum illius virtutibus comparata, pæne nihil ſunt.

SAECULUM VII.

Iſidorus Junior, Hiſpalenſis archiepiſcopus, mirifica ſanctitate claruit hoc ſæculo: ac, pro ſæculi conſuetudine, etiam doctrina. Varia ſcripta reliquit Grammatica, & Hiſtorica: etiam *commentarios* in libros hiſtoricos Veteris teſtamenti, ex Gregorio deſumtos, pro ſæculo, quo ſcripſit, ſane tolerabiles. Sed magis vitæ actionibus, quam lucubrationibus, & doctrina, Philoſophus exſtitit. Cetera, quæ in eo culpant viri docti, ex illius ævi more ac uſu excuſari poſſunt.

SAE-

SAECULUM VIII.

Beda Britannus, ob morum integritatem appellatus *Venerabilis*, hoc ſæculo clarus exſtitit, & in omni diſciplinarum genere verſatus fuit. Nam & Græce, ac Latine ſciebat, & Gentilium libros legerat, & plurima lectione, ac eruditione animum ornarat. Scripſit ſatis multa in vario litterarum genere. Etiam commentaria in Scripturam ex PP., qui anteceſſerant, ſcriptis fere depromta, quæ tolerabilia ſunt. Negare non poſſumus, *Bedam* fuiſſe virum doctum, &, ſi ad ſæculum, quo vixit, referimus, plane doctiſſimum, ac admirandum: rari enim, aut nulli ea ætate tot virtutibus ornati erant. An vero tanta tamque exquiſita doctrina, quantam de eo prædicant Angli, ceterique, valuerit, vehementer dubito. Saltim ex ejus ſcriptis id non conſtat. In Divinis ſcripturis explanandis, nullo delectu ſingula conjungebat, nihil de ſuo addebat, præter allegorias aliquot. Dictio vero, ut ut dicunt aliqui, tam ſimilis eſt Ciceronianæ, quam lapis homini.

Joannes Damaſcenus eruditione, & vitæ innocentia in eccleſia Orientali nobilitatus eſt. Bene de eccleſia Catholica meretur propter libros, quos contra Manichæos, Acephalos, Monothelitas, ceteroſque exaravit, quibus & Chriſtianorum, & Catholicorum partes ſtrenue propugnavit. Non minimam laudem habent *Libri IIII. de Fide Orthodoxa*, in quibus Theologiæ quoddam corpus, & veluti ſyſtema dedit: quod longo poſt tempore Lombardus, ceterique Scholaſtici imitati ſunt. Occurrunt tamen in tanto viro nævi aliqui, quos noſtri dum eum laudant notare non dubitant. Nam primum, ut aiunt, graviſſimis argumentis de libero arbitrio, fide, juſtificatione, ceteris, adjungit quædam abſtruſa, metaphyſica,

phyſica, & vix intelligibilia. Deinde vehementer delectatur diſceptationibus abſtractis, extraneis, & non neceſſariis: quod ex diuturna Arabum conſuetudine, & nimio amore Ariſtotelis accepit. Tum Orationibus quibuſdam ſuis fabulas aliquot non meditatus adhibuit. Praeterea utitur phraſeologia inſolita, & parum dilucida. Cetera omitto, quae hujuſmodi ſunt, ut nihil damni ex iis faciat *Damaſcenus*.

SAECULUM VIIII.

Eorum, qui ſaeculo VIIII. in eccleſia Occidentali floruere, Doctorum plerique omnes ita ſimiles inter ſe ſunt, ut qui unum paene cognitum habuerit, de ceteris vel me non monente dijudicare poſſit, modo aliquam praedictorum librorum notitiam habeat. Nam cum ex diſciplina ſaeculorum, quae praeceſſerant, exiiſſent, in quibus nihil niſi Veterum epiſcoporum ſententiae ordine ponebantur; nihil aliud ipſi praeſtiterunt, quam quoſdam quaſi centones lucubrare. Excellunt tamen inter eos *Rhabanus Magnus Maurus*, *Walafridus Strabo*, *Claudius Taurinenſis*, *Haymo Alberſtadienſis*, *Chriſtianus Druthmarus*, *Notkerus Balbulus*, ceteri, qui ſaeculi ſui eruditionem ſunt praetergreſſi, & in Scripturae interpretatione aliquid non aſpernandum ediderunt.

Horum *Walafridus* conditor eſt *Gloſſae*, quam vocant *ordinariam* in Scripturam, quae a non nullis praeſertim Scholaſticis magni fiebat. Sed viri acerrimi judicii monuere, nihil minus eſſe, quam *Gloſſam*, ſed *Commentarium*: nam in explicandis verbis textus non ſemper occupatur; ſed interpretationes addit ſubtiles & metaphyſicas, quae nihil ad rem faciunt. Ex hoc autem de ceteris judicium ſine negotio facietis: qui tametſi ingenio, & eruditione aliqua valuerint, eo ſaeculo tolerabiles ſunt,

 cul-

cultiori ſæculo non item. Et hæc de Exegetica theologia.

In Polemica vero ut mirificæ contentiones exſtitere hoc ſæculo in utraque Eccleſia, ita ſcripta diverſa nata ſunt; quorum aliqua aliis maiori in pretio habita ſunt. De Prædeſtinatione contra Gotteſcalchum, qui plurimas turbas excitavit in Occidente, ſcripſere *Rhabanus Maurus*, *Hincmarus* Rhemenſis, ceteri. [1] Item in controverſia de Euchariſtia, quæ celebris etiam fuit, pro noſtris ſtetit inter primos *Paſchaſius Radbertus*, *Rhabanus Maurus*, alii. In Oriente contentiones a Photio Pſeudo-Patriarcha Conſtantinopolitano excitatæ, tot turbas, tamque diuturnas commoverunt, ut tamdem apertum ſchiſma inter utramque Eccleſiam evaſerint. Sed Photium totis voluminibus perfregerunt ex Græcis *Joannes Veccus* patriarcha Conſtantinopolitanus. Ex Occidentalibus, *Ratramnus*, *Aeneas Pariſienſis*, alii. Verum cum de his in hiſtoria Theologiæ dixerimus, propoſiti memores præcipuos hoc loco indicare ſatis ſuperque duximus.

SAECULUM X.

Sæculo X., ut cum Poeta loquar, apparent rari nantes in gurgite vaſto: nam rari ſcriptores occurrunt, quorum mentio cum honore fieri poſſit. In tanta tamen caligine emicat *S. Odo* Abbas Cluniacenſis, qui *Collationes Morales in Job*, & *Comment. in LL. Regum* poſteris reliquit. *Moſes Bar Cepha* epiſcopus Syrus, in *Orat. de Opere ſex dierum*, ceter. *Ratherius* Veronenſis, qui lib. edidit contra *Antropomorphitas*, item *de Euchar. & Prædeſti-*

---

[1] *Conſule Gilb. Mauguinum in* Veterum Auctorum qui 9. ſæculo de prædeſtinatione & gratia ſcripſere operib. & fragmentis.

deſtinatione, aliique pauci. Hæc ſatis ſint ut intelligatis, Adoleſcentes, qui ſingulis his ſæculis inter ceteros doctrinæ gloria præſtiterunt. Qui plura cognoſcere avet, habet in promtu conditores hiſtoriæ Litterariæ. [1] Nos ad alia, quod tempus urget, orationem convertimus.

Caput IIII.

De Celebrioribus Scholaſticis.

Scholaſtici vel ſunt antiquiores, vel recentiores: illi a ſæculo XII. uſque ad XV. floruerunt: hi ſæculo XVI. & XVII. Antiquiorum ſupervacaneum eſt nomina proferre: ſatis fuerit in memoriam revocare, quæ de Scholaſticis philoſophis diximus alio loco: [2] nam ii omnes Theologica laude nobilitati ſunt. Ex Dominicanis inter ceteros prædicantur, *Albertus Magnus*, *Thomas Aquinas*, *Durandus* uterque, *Capreolus*. Ex Franciſcanis *Haleſius*, *Bonaventura*, *Scotus*, *Aureolus*, *Occamus*, ceteri. Ex Auguſtinianis, *Aegidius*, *Gregorius Ariminenſis*, *Thomas de Argentina*, *Gerardus Senenſis*, *Alfonſus Vargas*, & alii plurimi. Quæ tres familiæ cohortem omnem rigidiorum Scholaſticorum fere complectuntur.

Eſt igitur hoc loco de noviſſimis Scholaſticis tantum diſputatio, qui his duobus ſæculis, qui proxime præceſſerunt, Scholaſticæ theologiæ laude clari habiti ſunt. Scholaſtici autem, qui hac IIII. ætate aliquid ſcriptis conſignarunt, plerique omnes ſunt Religioſi, qui huic philoſophandi rationi vehementer ſe dederunt. Præter ceteros memorantur Jeſuitæ, ex quorum familia innumeri

 meri

[1] *Ut Bellarminus*, *Cavæus*, *Warthonus*, *Colomeſius*, *Labbæus*, *Oudinus*, *ceteri*.

[2] *Parte I. L. I. c.* 12.

meri profeſſi ſunt Scholaſtici graviſſimi, qui magno in pretio ea ætate fuere. Inluſtriores ſunt, *Adamus Tannerus*, *Martinus Becanus*, *Franciſcus Suareſius* Granatenſis, *Gabriel Vaſqueſius*, *Rodericus de Arriaga*, *Gregorius de Valentia*, *Franciſcus Amicus*, *Leonardus Leſſius*, Cardinalis uterque *Toletus*, & *de Lugo*, *Jacobus Granado*, *Joannes de Ledeſma*, *Luiſius Turrianus*, *Gaſpar Hurtadus*, *Didacus de Avendano*, *Aegidius Coninck*, *Sebaſtianus Izquierdo*, *Ludovicus Molina*, *Didacus Ruys*, alii: quibus addi poſſunt ceteri minorum gentium, ut *Comptonus*, *Rhodeſius*, *Sandius*, *Gormas*, *Maurus*, & alii ſine ullo fine. [1]

Proximi ſunt Dominicani, qui Scholaſticos etiam magni nominis pepererunt. Celebrantur inter alios, *Caietanus* cardinalis, *Fr. Ferrarienſis*, *Victoria*, *Dominicus Soto*, *Bannezius*, *Javellus*, *Bartholomæus Medina*, *Alvareſius*, *Joannes a S. Thoma*, *Joannes Baptiſta Gonetus*, *Godoy*, ceteri. Ex Auguſtinianis autem nomen aliquod conſecuti ſunt, *Auguſtinus Gibbon de Burgo*, *Fridericus Gavardi*. Ex Franciſcanis, *Joannes Lalemandet*, *Fraſſen*, *Du-Paſquier*, *Maſtrius*, *Lichetus*, *Fevardentius* ſenior, *J. Maior*. Ex Carmelitanis excellit *Philippus a SS. Trinitate*, qui edidit præter alia *Diſputa-*

[1] *Cum fere omnes, qui vicino ſæculo ſcripſerunt, Scholaſtici ex Hiſpania profecti ſint, in qua hæc obtinet adhuc & Philoſophia, & Theologia; qui eorum nomina & ſcripta noſcere cupit, legat Nicolaum Antonium in* Bibliotheca Hiſpanica Nova, *& Alegambe, & Sotvelum in* Bibliotheca Societatis Jeſu. *Item Jacobum Quetif, & Jacobum Echard in* Scriptoribus Ordinis Prædicatorum: *& Lucam Wadingum in* Scriptoribus Ordinis Minorum. *In his libris præcipui Scholaſticorum recentiorum nominantur, eorumque ſcripta percenſentur.*

ſputationes in Thomam. Item *Curſus Theologicus Salmanticenſis*, qui X. tomis continetur. Ex Sæculari autem clero *Jacobus Almain*, *Guilelmus Eſtius*, *Nicolaus Yſambertus*, & alii, quos nominare non vacat.

Reliquis Scholaſticis percenſendis ſuperſedemus: neque enim perfectam eorum hiſtoriam conſcribere nobis propoſuimus, ſed fontes indicare tantum. De iis vero judicium facere, hac ætate præſertim, ſupervacaneum etiam puto: nam & ex iis, quæ plurimis in locis diximus, id plane conſtat: & preſſe adeo ſinguli coryphæorum ſuorum veſtigiis inſiſtunt, ſententiaſque defendunt; ut ex cujuſque ſectæ auctore & veluti ſignifero de reliquis judicare poſſimus: omnes enim idem dicunt, ſed alii alio modo.

Illud tamen vos monitos volumus, non nullos eorum, quos nominavimus, etiam in Dogmaticæ, atque adeo Polemicæ theologiæ ſpatiis verſatos fuiſſe, & aliquid etiam contra Hæreticos lucubraſſe: in quo tamen longe diverſo modo, ac in Scholaſtica fecerant, diſputarunt.

CAPUT V.

De celebrioribus Dogmaticis & Polemicis.

QUamquam tot homines eruditiſſimi, & Philoſophi graviſſimi ab hinc duobus ſæculis, ſeu a turbata per Recentiores hæreticos eccleſia Dei, adverſum eos ſcripſerint, & cauſſam eccleſiæ Catholicæ omni animi contentione defenderint; tamen non omnes eadem auctoritate cenſentur; ſed alii aliis accuratius, & meliori ordine ac judicio ſcripſerunt. Nobis tamen hæc fuſe perſequi, ac ſingulatim demonſtrare, non eſt conſilium. Satis fuerit unum & alterum adducere eorum, qui vel

Theologiæ recte tradendæ viam ſtraverunt, vel eju partem inſignem pro dignitate tractarunt: ut cognoſca tis, Adoleſcentes, quos auctores conſulere debeatis ut in Sacra doctrina exponenda, defendendaque no pœnitendum progreſſum faciatis.

Quod antequam vobis expono, illud ſciatis velim Theologos fere omnes, qui XVI. ſæculo ad Dogmaticai diſciplinam animum contulerunt, eo conſilio feciſſe, u Hæreticis, qui Orthodoxam doctrinam lacerabant muti labantque, occurrerent: eoſque argumentis conficerent labefactarentque: adeoque Dogmaticos eoſdem & Pole micos exſtitiſse. Non niſi labente ſuperiori ſæculo de Dog matica nude tradenda cogitatum fuit. Quamquam, ſi pla ne res eſt dicenda, ii, qui Dogmaticos libros conſcriber videntur, etiam Hæreticorum argumenta ordine adſe runt, eaque infirmant, quod Polemicorum eſt: idqu hoc ſæculo plerumque obtinet. His adnotatis, de ſingu lis, idque ordine, dicendum eſt.

Eorum qui ſæculo XVI. in Theologia nobiles habi ti ſunt, eminet *Melchior Canus* Dominicanus, de qu jam ſæpe mentionem fecimus, qui editis Libris XII. *d Locis Theologicis*, ex quibus argumenta Theologi ſume re poſſint, & ad refellendos Hæreticos, & Sacra dogma ta confirmanda, magnam ſibi famam comparavit. Hc Cl. Serryus Dominicanus & ipſe iterum formis deſcri pſit, & *præfatione inſtar prologi galeati* ornavit: [1] qu *Canum* a vituperationibus ſuorum adverſariorum defer dit. Nimirum *Canus*, qui in primis nævos æqualiu ſuorum notavit, in varias reprehenſiones incidit, a qu bus eum liberarunt Theologi graviſſimi. Plurimis t men placuit illa philoſophandi ratio *Cani*, etiam Jeſuit

n

[1] *Patavii ann.* 1714. 4.

non nullis, a quibus vehementer laudatur. [1] Certe judicio, eruditione, elegantia nemini ſui temporis concedit: uſque adeo ut etiam in præſentia qui de locis Theologicis aliquid explicant, *Canum* reddere toto animo contendant.

Alter eſt *Joannes Maldonatus* Jeſuita, qui non modo Pariſiis orationem habuit eloquentiſſimam *de ratione theologiæ Scholaſticæ recte tradendæ*, qua plurium oculos adaperuit; ſed etiam aliquos ipſe libros conſcripſit, in quibus rem Theologicam acri judicio explicavit; & hæreſes, quæ tunc regnabant, confutavit. [2] Multum eruditione, & judicio valebat *Maldonatus*, & veram viam tradendi Sacram ſcientiam ingreſſus eſt: qua de cauſſa plurimum ſe probavit etiam poſterioribus.

Etiam *Antonius Poſſevinus* Jeſuita prætermittendus non eſt: nam etſi dedita opera de eadem materia, ut alii fecerant, non eſt locutus; tamen in ſuo *Apparatu Sacro* utilia plurima docuit, quibus ratio tradendi Theologiam emendari poſſet. Et quamquam interdum ſimulet ſe præjudicatas quaſdam ſui ſæculi ſententias probare; tamen ex principiis, quæ plurimis in locis diſputat, ſatis declarat, quid ipſe ſentiat. Laudat enim plurimum eos, qui contrariam viam ſequuntur, ut Maldonatum: deinde quædam adjungit utiliſſima documenta, quæ ſatis ſint ut non ſine aliqua laude nominetur.

Ludovicus de Carvajal Hiſpanus ex Franciſcano-

 rum

[1] *Poſſevinus* Appar. Sac. Tom. II. pag. 101. *Franciſcus Garcia in* Prolegom. Evangelici Concionatoris, de Eccleſiæ Canarienſis Præſulibus. *Pallavicinus cardinalis in* Vindiciis Societatis Jeſu c. 28. *Benedictus Pererius* Commentar. in Daniel. L. XII. c. 7.

[2] *Conſule Poſſevinum* Biblioth. Select. L. III. c. 9. p. 131.

rum ſodalitio, iiſdem temporibus edidit *Theologicarum ſententiarum librum ſingularem, ſive reſtitutæ Theologiæ, & a Sophiſtica, & barbarie pro virili repurgatæ, ſpecimen de Deo*. [1] Vidit quidem vir acutus & eruditus veram viam docendæ Theologiæ, eaque cum fructu adverſum Hæreticos utendi: idque docuit beneficio aliorum: quo certe plurimum laudis habuit. [2] Et de primis illis hactenus.

Venio nunc ad eos, qui dogma aliquod contra Novatores ſtrenue propugnarunt: de quibus quam breviſſime potero dicam. Inter hos præcipuam laudem habet *Bellarminus* cardinalis, Jeſuita, qui copioſo illo opere *Controverſiarum*, de verbo Dei, de S. Pontifice, de Conciliis egregie diſputavit, atque Hæreticos inſigniores ſui temporis pro merito refutavit. Nimirum copioſa, & ſelecta eruditione pollebat *Bellarminus*: cui cum acceſſerit & peritia linguarum, & adſidua exercitatio diſputandi de rebus Fidei, & labor indefeſſus in volvendis libris Hæreticorum; omnino aptus erat, qui ſcripta ex omni parte polita relinqueret. Laudatur etiam in eo modeſtia in refutandis adverſariis, digna tali viro. Quædam in eo deſiderantur, quæ tempori potius, quam homini, tribuenda videntur: non enim per id tempus diſputandi ratio cum Hæreticis,

[1] *Nicolaus Antonius* Biblioth. Hiſpan. Nova.

[2] *Præter Theologos, quos adduximus, alii XVI. ſæculo Scriptores occurrunt, qui de reformanda theologia Scholaſtica cogitarunt. In his cenſeri debet Laurentius a Villavicentio Hiſpanus ex ſodalitio Auguſtiniano, qui librum edidit* de Formando Theologiæ ſtudio, *ubi Scholaſticorum diſputandi viam reprehendit. Item Chriſtophorus a Capite Fontium Anglus, Miniſter Generalis Franciſcanæ familiæ, qui anno 1586. Pariſiis librum emiſit* de Theologia Scholaſtica corrigenda, *aliique*.

reticis, dogmataque inluſtrandi eo in lumine & ſplendore poſita erat, quo nunc eſt: neque qui tot tamque difficilia in unum codicem conjecerat, omnia recte atque ordine explanare poterat. [1] Quare non eſt cur *Bellarminum* hoc nomine accuſemus. Id certe *Bellarmino* laudi verti debet, quod primus inter noſtros de omnibus controverſiis cum Hæreticis dedita opera ſermonem fecit. Quæ cauſſa fuit cur Novatores plurimi, qui aliquod dogma ſibi refutandum propoſuerant, facere non potuerint, quin in *Bellarminum* oculos illico converterint, quem propterea ſcriptis multis adgreſſi ſunt.

Bellarmino adjungimus Jeſuitas aliquos: ac primum *Jacobum Gretſerum* fidum paraſtatam, qui Bellarmini libros contra Hæreticos defendit. Deinde *Valentiam*, *Becanum*, *Caniſium*, *Coſterum*, qui ea ætate cum Hæreticis bellum haud infeliciter geſſerunt.

Iiſdem temporibus cum honore memorantur, *Joannes Ekius*, *Petrus Soto* Dominicanus, *Thomas Stapletonus*, *Jacobus David Perronius* cardinalis, *Joannes Faber* Dominicanus epiſcopus Vienenſis, *Joannes Cochlæus*, *Thomas*,

---

[1] *Franciſcus Veronius Jeſuita in* Methodo Controverſiarum, *& præſertim in* Regula Generali fidei Catholicæ *ait*, *in* Controverſiis *Bellarmini*, *& hujus generis magnis voluminibus inutilia fere contineri*, *& quæ parum ad rem faciant*. *Conſule Richard. Simonium* Lettres Choiſies Lett. 30. pag. 212. ſeq. *Alii autem Catholici eum accuſant*, *quod argumenta nullius ponderis interdum adferat*: *quod* ſubleſtæ *fidei ſit in citandis auctorum locis*: *cetera*, *quæ videas apud Launoium in* Epiſtolis. *Vide Theoph. Raynaudum* Erotem. de bonis, & malis libris. Parte I. erot. 15. *& Danielem Bartolum in* Vita Bellarmini, *qui Cardinalem prædictum omni animi contentione defendit*.

mas Waldenſis , *Jodocus Coccius* , *Ruardus Tapperus* , *Albertus Pighius* , *Hoſſius* cardinalis , *Jacobus Latomus* , *Jodocus Clitovæus* , *Jacobus Paiva de Andrada* , *Andreas Vega* , *Alfonſus a Caſtro* , *Claudius Eſpencæus* , *Guilelmus Lindanus* , *Stephanus Gardinerus* , ut alios omittam ; qui celebritatem aliquam ſcriptis ſuis conſecuti ſunt .

Sed ad ſæculum XVII. veniamus , in quo ut maior horum ſcriptorum copia occurit,ita maior nobis adhibenda eſt cura , ut non niſi eos adducamus , qui in aliquo numero fuerunt,ne infinite excurrat oratio.In his *Franciſcus Veronius*, *Petrus Cottonius*, *Joannes Gonterius*, *Laurentius Forerus* , *Jacobus Kellerus*, Jeſuitæ locum ſibi faciunt propter controverſias cum Hæreticis , quæ ſunt in manibus quarum aliquæ Germanica lingua conſcriptæ fuere .

Clariorem tamen cum diligentiæ , tum eruditioni famam adepti ſunt *Adrianus* , & *Petrus de Walemburch* Epiſcopus uterque, alter Adrianopolitanus, alter Myſienſis : qui plurima contra Proteſtantes ediderunt , quæ conjunctim edita ſunt Coloniæ anno CIƆIƆCLXVIIII. & ſeq in duobus volum. in folio , ut aiunt . Certe inter eos qui ſcriptis Eccleſiæ cauſſam fortiter egerunt, *Walemburchios* numerari debere , dubium non eſt . Proteſtante aliquos adverſantes ſibi iſti duo Epiſcopi experti ſunt eoſque refutarunt .

Sed ecce vir & præſtanti ingenio , & flagrant ſtudio , & ſolidæ Theologiæ bene peritus , *Jacobus Benignus Boſſuetus* epiſcopus Meldenſis Gallus , cuju nomen non ſolum apud noſtros , ſed etiam apud Hæreticos celebre eſt . Plurima ſcripſit *Boſſuetus* in vari Theologiæ genere : ſed præſertim enituit ejus zel contra Proteſtantes , Jurieum , Claudium , Ferrium ceteros . Celebratur præ ceteris ejus *Expoſitio doctrin Catholicæ*,ea præſertim,quæ curis poſterioribus edita e Item *Collatio cum Claudio miniſtro Charentonio de Eccl.*

J

ſia &c. Item *Tractatus de communione ſub duabus ſpeciebus*, ubi Lutherum, & Calixtum, & Jurieum confutat. Sed præcipuum *Boſſueti* opus eſt *Hiſtoria de variatione Proteſtantium Eccleſiarum*, in qua illud efficere propoſuit, Proteſtantes in religionis doctrina mutabiles eſſe, nec ſibi conſtare. Huic libro Jacobus Baſnagius ex Pſeudo-Reformatis oppoſuit aliqua ſcripta, & præſertim *Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Chriſto nato uſque ad hanc ætatem.* Quibus ſcriptis *Boſſuetus* egregie reſpondit. Nec id ſolum, ſed etiam de *Hiſtoria* ſua pugnandum noſtro fuit cum Petró Jurieuo. Varia de *Boſſueto* doctorum hominum judicia fuere, quæ percenſere non vacat. Illud pro certo dicere pŏſſumus, inter polemicos Catholicos pares paucos vicino ſæculo eum habuiſſe, neminem ſuperiorem.

Poſt hunc nominandus eſt *Antonius Arnaldus* doctor Pariſienſis: de quo tamen homine multa in utramque partem dici poſſunt: nam & pro Janſeniſmo defendendo plurima ſcripſit, in quo notari jure meretur: & pro eccleſia Catholica contra Novatores eruditiſſime diſputavit, quo ipſo magnam ſibi famam peperit. [1] Nos vero Janſeniſmum in homine deteſtamur: atque de iis tantum dicemus libris, quos Fidei gratia, & pro Eccleſiæ defenſione conſcripſit. In his primum locum damus eruditiſſimo operi de *Perpetua fide eccleſiæ Catholicæ quoad Euchariſtiam &c.* quo libro & Joannem Claudium, & alios profligavit. De hoc libro duplex memoria proditur: alteri integrum *Arnaldo* tribuunt: alteri partim *Arnaldo*, partim *Petro Nicolio* adſcribendum eſſe dixerunt. Certe opus eruditum eſt, accuratiſſime, & acerrimo judicio conſcriptum. Alter *Arnaldi* liber eſt *Apologia pro Catholicis* contra Jurieum, belle, ac ſoli-

[1] *Vide Dupinium* Nova Biblioth. Script. Eccleſ. Tom. XVIII. p. 110.

ſolide ſcripta. Cetera illius ſcripta Philoſophica, & Theologica ſatis nota ſunt, nec ad inſtitutum noſtrum pertinet de iis diſputare.

Addi his poteſt ipſe *Petrus Nicolius*, vir certe eruditus, & acerrimi ingenii, propter librum inſcriptum: *Præjudicia de unitate Eccleſiæ*, & de *Reformatis ſchiſmatis convictis*, in quibus Proteſtantes ſtrenue confutat. Hic auctor, qui in eadem Arnaldi cauſſa fuiſſet, paullo diverſa fata expertus eſt, nec adoleſcentium ingeniis accommodatus videtur: certe non niſi caute legendus eſt.

Præter eos, quos hucuſque memoravimus, alii fuere eodem ſæculo, qui in eodem argumento verſati ſunt, & aliquid elenchcticum ediderunt. [1] Quos tamen nominare omnes, plena moleſtiæ res eſſet, & hoc tempore non neceſſaria. Nec defuere etiam, qui veluti in ſcholarum otio dogmata Eccleſiæ ordine exponerent, & ex Scriptura, ac Traditione confirmarent Juventutis commoditati: veluti *Dionyſius Petavius* Jeſuita, *Natalis Alexander* Dominicanus, *Franciſcus Feu*, *Ludovicus Thomaſſinus*, & alii quidam. Qui omnes quanto honore excepti ſint ab æqualibus, & ſupparibus, eorumdem ſcripta declarant, quæ omnium manibus teruntur. Id ſine ulla hæſitatione dicere poſſumus, etiamſi perfectum Theologiæ corpus in iis non habeatur; tum etiam alii aliis

---

[1] *Veluti Gilbertus de Choiſeul, Leo Allatius, Paullus Peliſſonius, Franciſcus D'Avemport, Anſelmus Pariſienſis, Eleonorus Langevin, Joannes Morinus, & etiam alii: quibus ex noſtro ſæculo adjungi debet Ludovicus Antonius Muratorius, Jacobus Boileau, Cordemoi, D'Antecourt, Liberius a Jeſu, Michael le Vaſſor, Vitus Pichler Jeſuita, qui edidit* Curſum Theologiæ Polemicæ univerſæ, *nec non alii, qui ex* Bibliothecis Eccleſiaſticis *haberi poſſunt.*

aliis meliori ordine, & acriori judicio conſcribant; magnum tamen eos adferre adjumentum Theologiæ ſtudioſis, qui in iis libris collecta invenient, quæ non niſi magno cum labore & temporis diſpendio ſparſa requirerent, & invenirent.

His adjungi debent alii, qui vel eodem, vel præſenti ſæculo Poſitivam cum Scholaſtica conjungere inſtituerunt, non id quidem confuſe, & contentioſe, ſed clare, ſobrie, & cum delectu. Hujuſmodi fuere, *Joannes Baptiſta Du Hamel*, in *Theologia* ſua & ejus *epitoma*, *Claudius Fraſſenius*, *Aſſermetus*, *Boucatus*, *Tournelyus*, *Witaſſius*, *Gottius*, *Habertius*, *Jueninus*, *Argentræus*, *Claudius Le Petit*, & alii noſtris temporibus. Sed cum de iis jam ſupra aliquid dixerimus, non eſt cur de eadem materia fuſius diſputemus. Tantum nomina attingenda fuere.

CAPUT VI.

De celebrioribus Hæreticis.

De celebrioribus Hæreticis quædam hoc loco adnectere non alienum putavi. Juvat enim ſcire, qui illi ſint, qui apud Novatorum gregem fama præ ceteris prædicantur, ut iis penitus labefactatis, ceterorum, qui ex illis hauſerunt, dogmata nullo negotio infirmari poſſint. Quare de non nullis breviter in præſentia dicemus, quo facilius vos tempore opportuno in iis profligandis operam & intelligentiam ponatis.

Tres Hæreticorum theologorum ætates conſtitui ſolent, in quibus ſingulis ipſi alia & alia ratione philoſophandi uſi ſunt. Prima ab anno CIƆIƆXVII. quo Lutherus delirare cœpit, uſque ad colloquium Ratisbonenſe, quod initio ſæculi XVII. habitum fuit, decurrit. Altera ab eo tempore uſque ad inſtitutionem academiarum

Re-

Regiarum circiter annum CIƆIƆCLX. Tertia ab conditi Academiis uſque ad præſens tempus .

In prima ætate vocabulis Metaphyſicis ſeu Schola ſticis abſtinuere Hæretici in tradenda Theologia : ſed o mnis in dogmatibus labor conſumebatur . [1] At cum i colloquio Ratisbonenſi tres illi Jeſuitæ , Adamus Tann rus , Jacobus Gretſerus , Balthaſar Hagerus , vocabul abſtractis & Scholaſticis in diſputationibus uterentur & quædam ad refutandos adverſarios ex Metaph ſica ſcholæ depromerent ; etiam ſtudio Metaphyſicæ dederunt Hæretici , & eodem modo diſputare cœperu ac ſcholaſtici Catholici , idque per totam fere ſecunda ætatem . Tertia ætate novam philoſophandi ratione amplexati ſunt : atque abjecta Scholaſtica diſputandi me thodo , & inanibus diſceptationibus , ad ſtilum fuſiorem & Metaphyſicarum notionum expertem , in tractandi dogmatibus reverſi ſunt ; imitantes noſtros , qui eade diſputandi methodo atque via in ſcriptis ſuis uti cœpe runt .

I. Prima ætate prædicatur ab iis , præter *Luthe rum* ipſum, *Philippus Melanchthon*, qui fuit conditor *Lu theranorum mitiorum* . Hic edidit *Locos Theologicos* , Chemnitio inluſtratos , & *Examen Concilii Tridentini* aliaque . Deinde *Martinus Chemnitius* , qui Philippi *Lo cos* amplificavit , in Academiis expoſuit , aliaque vulga vit . Deinde *Leonardus Hutterus* , qui *Locos* etia conſcripſit Lutheranis vehementer probatos hoc nomine quod non ſolum contra Catholicos , ſed etiam cont Calvinianos ſcripti ſint . Quos propterea & publice leg runt , & commentariis inluſtrarunt . Item edidit *Loc Theo*

---

[1] *Conf. Ger. Frid. Stieberus* Hiſtor. Theolog. Dog mat. Lutheri , & Melanchthonis opera reſtitutæ . Gri ſtoviæ 1712. 8.

Theologicos, quibus Melanchthonem emendavit. Poſtremo *Matthæus Haſenrefferus*, cujus *Loci Theologici* tantam celebritatem adepti ſunt, ut etiam in Svecia, & Dania publice expoſiti ſint. Scripſit ipſe inito ſæculo XVII.

Ex Pſeudo-Reformatis ſeu Calvinianis magno apud eos in honore eſt *Huldericus ZWinglius*, qui edidit *Brevem & Chriſtianam in Evangelicam doctrinam iſagogen*: præterea *Commentar. de vera & falſa Religione*. Deinde *Joannes Calvinus*, qui plurima lucubravit, quæ inter multum laudatur a ſuis adſeclis liber de *Inſtitutione Chriſtianæ Religionis*. [1] Tum *Theodorus Beza*, & *Andreas Hyperius*, qui ab iis doctiſſimi prædicantur, & multa ſcripta reliquerunt. His addi poſſunt *Wolfgangus Muſculus*, & *Petrus Martyr*: quibus non nulli addunt *Victorium Strigelium*, tametſi a Melanchthone ſtet. Plurimum etiam laudatur *Daniel Chamierus*, qui ineunte ſuperiori ſæculo floruit, ob *Panſtratiam Catholicam* [2] opus eruditum: & *David Paræus* ejus æqualis, ceterique.

II. In altera ætate, quam Scholaſticam vocant, e Lutheranis cum ſumma laude ab iis nominatur *Joannes Gerhardus*, qui in ſuis *Locis Theologicis* in primis Scholaſtica philoſophandi ratione uſus eſt: & auctor fuit ceteris, ut eadem ſedulo imbuerentur. Hujus libri epitomæ aliquæ factæ ſunt, & iis alio & alio modo uſi ſunt Lutherani, quod eum multa doctrina refertum, ordine, ac judicio conſcriptum dicant: [3] &, ſi eos audimus, Lutheranorum omnium, qui de hoc argumento ſcripſerunt, famam ſuperavit, obſcuravitque gloriam. Deinde

---

[1] *Editus fuit Baſileæ 1535. 8.*

[2] *Prodiit poſt auctoris obitum anno 1626. fol. vol. 4. opera Turretinii.*

[3] *Conſule Dupinium* Biblioth. Proteſtant. Tom. II. p. 1. pag. 74.

de Gaſpar Brochmanus *Univerſæ Theologiæ ſyſtemate* celebris, [1] quem alii compendifecerunt. Tum *Georgius Calixtus*, quem Lutherani recentiores hoc nomine reprehendunt, quod nimius fuerit Scholaſticus, & Logica, ac Metaphyſica impenſius fuerit uſus. [2] Verum reconditam eruditionem laudant, & admirantur. Præterea *Conradus Horneius*, & *Abrahamus Calovius* inſignis copioſo illo opere, quod inſcribitur, *Syſtema Locorum Theologicorum*. [3] Hic etſi eſſet Scholaſticus, tamen moderate de Scholaſtica judicabat. [4] Multo plus theologiæ Scholaſticæ deditus fuit Fridericus Koenigius in *Theologia Poſitiva Acroamatica*: [5] quem plurimi Proteſtantes exprimere conati ſunt. Etiam *Joannes Guilelmus Baierus*, & *Joannes Muſæus* percelebres Scholaſtici habiti ſunt, & multorum ſtudium ac induſtriam acuerunt. Quibus alii addi poſſent, qui vergente proximo ſæculo ex eadem diſciplina diſputarunt.

Ex Pſeudo-Reformatis hac ſecunda ætate primum locum

---

[1] *Editum Haffniæ* 1633. 2. *volum*.4.

[2] *Conſule J. F. Buddeum* Iſagog. Hiſtor. Theolog. Part. II. cap.1. p.m. 395.

[3] *Conſtat. XII. tomis* 4. *editum Wittebergæ* 1655. *uſque ad* 1677.

[4] „ *Sed nec inutile cenſemus moderatum Scholaſticorum theologorum ſtudium: & in primis accuratiori* „ *Theologo multum conferre judicamus ad confutandas* „ *ipſaſmet Papiſtarum hypotheſes, cum mutuis ſe conficiant contradictionibus*. Syſt. Theolog. Tom. I. proleg. quæſt. 15. p.76.

[5] „ *Celebritatem itaque quod olim hocce compendium nactum ſit, non aliunde factum, quam quod eo* „ *tempore theologia Scholaſtica in eccleſia noſtra hinc inde* „ *regnaret*: Buddeus loc. cit. p.399.

locum obtinet *Joannes Macovius*, qui primus eſſe videtur, qui Scholaſticam diſputandi viam in Belgii academias introduxit. Præſertim autem *Giſbertus Voetius* eſt memorandus, qui nomen ſibi fecit *Selectis Diſputationibus Theologicis*, in quibus & ſuis, & Lutheranis videtur, Scholaſticorum morem præter ceteros amplexari. Ceteros nominare non vacat; qui alio & alio modo eamdem viam ſecuti ſunt.

III. Jam tertia ætas aliam tradendi Theologiam rationem vidit. Nam poſt Carteſium in Phyſicis, & Logicis; & poſt Pufendorfium in Ethicis, mutata fuit non modo Philoſophica, ſed etiam Theologica methodus: nam qui ab eo tempore vel ſyſtemata, vel compendia aliqua ediderunt Theologiæ, ab vocibus & notionibus Metaphyſicis temperarunt. In hunc cenſum cum aliqua fama referuntur, Joachimus Juſtus Breithaupt ob *Theologicas Inſtitutiones*, in quibus verbis & formulis ex Scriptura depromtis utitur præſertim. Item *Joannes Guilelmus Zieroldus*, *Joannes Wolfgangus Iaegerus*, *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius*, qui hoc noſtro ſæculo ſyſtemata ediderunt ſuis multum probata. Certe *Pfaffius*, tametſi ſecum conſtituerit ab Scholaſticis vocibus abſtinere, tamen plane fatetur, id ſe interdum efficere non potuiſſe, idque ut ab aliis intelligi poſſet. [1]

Eodem tempore, atque eadem de cauſſa Pſeudo-Reformati veterem diſputandi rationem in Theologiam inportarunt. Facem prætulit *Joannes Cocceius*, qui Theologiam ſibi propoſuit in Belgio perpolire ac emendare. Nam cum per id tempus Carteſiana philoſophia in Belgio caput extolleret, exſtitit ut, qui *Coccei* par-

[1] *In* Prologo Galeato Inſtitution. Theolog. Dogmat. & Moralis, *editarum ann.* 1720.

tes ſequebantur, ſenſim ad eas Carteſianam rationem adjunxerint; vel quod ea Scholaſticæ theologiæ eſſet oppoſita, vel alia de cauſſa. Id ſcimus, ab eo tempore plurimos, qui nec a Carteſio, nec a Gaſſendo ſtabant, Scholaſticam docendi viam penitus rejeciſſe, & alia ratione adornaſſe ſyſtemata ſua.

Hinc *Franciſcus Burmannus* nova ratione lucubravit *Theologiæ Synopſin*. [1] Hinc etiam *Joannes Van Der Wayen*, & *Joannes Marckius*, & *Petrus Van Maſtrich*, & *Nicolaus Gurtherus* profecti ſunt, qui eodem modo ſunt philoſophati, nec cum minima apud ſuos laude. Maiori tamen cum plauſu exceptus eſt liber *Salomonis Van Til* hoc tit. *Theologiæ utriuſque compendium cum Naturalis, tum Revelatæ, una cum Appendice de origine controverſiarum noſtri temporis*; [2] quod alteram ab altera accurate ſeparaverit. Quod imitatus eſt *Vanden Honert*. Et hi fere omnes Belgæ. Etiam ex Helvetiis *Joannes Enricus Heideggerus* iiſdem veſtigiis inſtitit utroque opere de *Medulla Theologiæ Chriſtianæ*, & de *Corpore Theologiæ Chriſtianæ*: quod ipſis fatentibus Lutheranis, & eruditum admodum eſt, & palmam ceteris præripuit. Huic proximus eſt *Benedictus Pictetus*, qui in *Theologia Chriſtiana*, præſertim ſecundo edita, breviter ille quidem, ſed accurate, ut ipſi dicunt, non ſolum dogmata, ſed hiſtoriam exponit. Sane vel ipſis Lutheranis adeo placuit, ut eum non modo laudarint, ſed etiam in Germanicam linguam converterint. Sed de his ſatis ſuperque. [3]

Ex

[1] *Edita Trajecti ad Rhenum* 1671. 2. *volum.* 4.

[2] *Lugdun. Batav.* 1704. 4.

[3] *Qui plura cupit de Pſeudo-Reformatis legat Pfaffium* in Introduction. ad hiſtor. Litterar. Theolog. notis ampliſſimis inluſtrata. L.II. §.8. pag.258. ſeqq.

Ex Arminianis ſeu Remonſtrantibus [quædam eſt propago Pſeudo-Reformatorum,ſeu Calvinianorum] non ultimum locum habent Simonis Epiſcopii , & etiam Curcellæi *Inſtitutiones* : etiamſi uterque morte impeditus opus ſuum non abſolvit. Sed præ ceteris *Philippus a Limborch* a doctrina , & moderatione in *Theologia Chriſtiana* prædicatur . [1] Inter Socinianos *Fauſtus Socinus* , & ejus ſectatores , *Oſtorodus* , *Volckelius* , *Crellius* , ceteri in aliquo numero fuere , & celebritatem nominis conſecuti ſunt . [2]

Et hi ſunt celebriores Hæretici , qui aliquid Theologicum ſingulis ætatibus ediderunt , ut ſuas ſententias confirmarent . Abſtinui ab enumerandis iis , qui ſcriptis Polemicis contra noſtros nomen aliquod ſibi fecerunt , idque duplici de cauſſa : quarum erat altera , quia infinita eſſet oratio , ſi omnes Polemicos ad calculum revocare vellem , ſunt enim fere innumeri : altera , quia eorum , quos numeravimus , primores , & , ut ita dicam , ſigniferi , non modo de Dogmatica theologia , ſed etiam de Polemica libros ſatis multos lucubrarunt , ediderunt que. Quos qui conſecuti ſunt nihil aliud fecerunt , quam priorum placita exponere & amplificare . Omnes enim vel ad Lutheranos , vel Calvinianos , vel Socinianos , vel Anabaptiſtas , vel aliam claſſem referuntur . Verum ne vos alicujus utilioris notitiæ expertes dimittamus, præcipuorum nomina indicabimus .

Veterum Lutheranorum , qui contra noſtros vulgarunt libros Polemicos , nota ſunt nomina *Joannis Brentii* , *Matthiæ Flacii* , *Joannis Wigandi* , *Andreæ Oſiandri* ,

 Mar-

---

[1] *Amſtelædami 1686. & auctior. 1715.*
[2] *Confer. Chriſtophorus Sandius* Biblioth. Anti-Trinitariorum pag.91. & 96.

Martini Buceri , *Urb. Rhegii* , ceterorumque , quibus i
morari non licet . Recentiorum vero prædicantur , *Aeg*
dius Hunnius , *Joannes Hulſemannus* , *Abrahamus Cal*
vius , *Joannes Georgius Dorſchæus* , *Henricus Hoepfneru*
Balthaſar Meiſnerus , *Joannes Muſæus* , *Georgius Cali.*
tus , *Joannes Adamus Scherzerus* , *Valentinus Alberti*
Pfeifferus , *Daniel Scultetus* , ut alios omittam , qui ſi
gulis annis aliquid novum lucubrare ſolent .

Ex Pſeudo-Reformatis recentioribus [veteres , 1
Calvinus , *Beza*, *Oecolampadius*, *P. Martyr*, *Bullingerus*
aliique ſatis ſuperque cogniti ſunt] ſunt apud eos in pr
tio *Guilelmus Vhitakerus* , *Franciſcus Gomarus* , *Petr*
Molinæus , *Ludovicus Crocius* , *Guilelmus Ameſius* , *Fr*
dericus Spanhemius , *Jacobus Baſnagius* , *Petrus Jurieu*
Andreas Rivetus , *Samuel Mareſius* , *Joannes Cocceius*
Joannes Claudius , *Moſes Amyraldus* , *Jacobus Lenfant*
Beauſobrius , *Blondellus* , *Turretinius* ſenior , *Dallæus*
Heideggerus , aliique non pauci . Quibus addi poſſunt e
Anglis , *Joannes Rainoldus* , *Joannes Prideaux* , *Wiſthi*
nus , *Burnetus* , ut alios prætercam .

Hi ſunt , qui vulgo laudantur . Quot autem ſint
qui apud eos maiori in veneratione habeantur , & conti
noſtros ſtrenue ſuos errores propugnare judicentur ; i
non niſi ex ipſis Hæreticorum libris , aut eorum ſaltim
qui de hoc argumento fuſius accuratiuſque pertracta
runt , [1] cognoſci poteſt . Quod quia vobis , Adole
ſcentes , non eſt conceſſum , iis , quæ hucuſque diſpu
tavimus , contenti eſſe debetis . Cum vero ætate , ac do
ctrina progreſſi eritis , plurimam notitiam ex Dupinii *B*
bliotheca Proteſtantium haurire poteritis , quo eos i
prom

[1] *Ut Pfaffius* , *Fabricius* , *Buddeus* , *aliique Hæ*
retici locis citatis .

promtu habeatis, ſi aliquorum ſyſtemata confutare in animo propoſueritis. Non enim niſi legendis libris, qui errores ipſos defendunt, quale eorum ſit ſyſtema, plane intelligi poteſt. Sed hæc valentiorum ſunt laterum: & non, niſi ſi per Eccleſiam liceat, præſtari poſſunt. Reliqua, quæ continenter prodeunt, ſcripta Hæreticorum ex *Ephemeride*, quæ ſingulis fere in urbibus politioribus conditur, facile comparari poſſunt. Et de Hæreticis, eorumque claſſibus ſatis pro tironum intellectu dictum puto.

Hactenus, Adoleſcentes, quæ magis neceſſaria videbantur ut vos ad Philoſophiæ, ac Theologiæ adyta manuduceremus, dilucide ac diſtribute conſcripſimus. Reliquum eſt, ut veſtræ ſatietati conſulamus, & tamdem aliquando peroremus: ac de rebus inſolitis, & ab ſcholarum veſtrarum conſuetudine longe remotis, diſputandi finem faciamus. Plurima profecto adhibere poſſemus, & vero etiam deberemus, ſi pauca hæc, quæ diximus, omni ex parte inluſtrare, atque in lumine ſuo collocare conaremur. Sed hæc & invidiæ plena ſunt, & laboris, nec fortaſſe vobis hoc tempore opportuna. Quare ſatius puto quædam obſcura relinquere, quam veſtro detrimento & incommodo certa capita explanare. Vos ego interea hiſce litteris infantes blande infantiumque ritu tractandos duco: quibus non duriores, acerbioreſque cibi, ſale, aromatibus, ſuccis ſuaves redditi; ſed molliores, ſuaviores, nec ſtomaco graves apponi ſolent. Quod ſi ea, quæ ſcripſimus, recte intellexeritis, nihil ultra fortaſſe deſiderabitis. Sin minus, continenti labore efficietis, ut vobis admonitore opus non ſit. Nos vero utrique rei quoad potuimus conſuluimus, argumento, & ſatietati: neque enim tantam rerum copiam tam parvo volumine complecti, nedum pro dignitate exponere, poteramus. Sed de noſtro conſilio

ſatis.

ſatis. Reliqui vos eſtis, qui niſi toto animo in has diſciplinas incumbitis, & rem omnem iſtam mente comprehenditis, antea quam ad graviores diſciplinas illas animum adjungatis; invito, & prædicente me, laborem omnem, & operam in Philoſophia, ac Theologia addiſcenda inutiliter conſumetis.

F I N I S.

MAG 2366

MEN-

MENDA	CORRIGE.
Pag. 10 lin. 4 rgenandi	regnandi
p. 15 l. 14 inaceſſibilem	inacceſſibilem
p. 31 l. 11 Hiplerumque	Hi plerumque
p. 44 l. 24 conjuctus	conjunctus
p. 46 l. ult. Animæ	Animas
p. 56 l. 8 Itaqne	Itaque
p. 63 nota 1. *Proeterea*	*Præterea*
p. 85 [5]	[1]
p. 102 l. 11 comiſerunt	commiſerunt
p. 109 l. 2 accomodari	accommodari
p. 110 l. 6 Piloſophiæ	Philoſophiæ
p. 111 nota 4. *qaantum*	*quantum*
p. 128 l. 4 Muficæ	Muſicæ
p. 155 l. 12 Metaphiſicis	Metaphyſicis
p. 156 *nota 3 .n*	*in*
p. 157 *titulo* XIBER	LIBER
p. 190 l. 6 delegibus	de legibus
p. 199 l. 15 cedendum	cædendum
p. 213 l. 23 quæ	qui
p: 220 titulo APPRATUS	APPARATUS
p. 228 CAP. III. l. 2. pre	præ
p. 230 232 ſyllabas aliquas vitio diviſas	conjunge
p. 232 l. 5 Verulaminus	Verulamius
p. 248 l. 2 nihi	nihil
p. 288 l. 27 ſolidet	ſolide
p. 289 l. 4 viriſimiliter	veriſimiliter
p. 294 l. 18 laudantur	laudatur
l. 26 qui	quæ
p. 302 l. 15 inoportunum	inopportunum

ibid.

ibid. ſyllabas aliquas vitio diviſas	conjunge
p.310 l.10 inplebant	implebant
p.328 nota 2. Prœmio	Procœmio
p.341 l.9 ambiguuo	ambiguo
p.362 ſyllabas diviſas	conjunge
p.366 l.3 fæculari	ſæculari
p.369 l.1 noti	toti
p.370 nota 3. fine *pctius*	*potius*
p.373 374 378 379 diviſas ſyllabas	conjunge
p.395 nota 2. *fraudulente*	*fraudulenter*
p.408 nota 1. *idſputant*	*diſputant*
p.410 l.20 cætu	cœtu
p.416 l.20 *propbanam*	*profanam*
p.432 l.17 inutriti	innutriti
p.433 l 2 *Honoratns*	*Honoratus*
p.440 *fine capitis* pereƈtus	perfeƈtus
p.444 nota 1. *acommodatius*	*accommodatius*
p.511 l.19 luculenter	lutulenter

Verba aliqua in partes typographi vitio diviſa leƈtor humaniſſimus emendet. Cetera ad auƈtoris *Orthographiam* formis æneis exſcriptam exigere neceſſe eſt.